PLAUTUS
IN USUM
DELPHINI

TOM
II

A
7-164

BIBLIOTECA DEL DUCA DI LAVAGNA

23-5-22

32=3.65-4

7-4-2478

2-23-5922.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 7
Tabla
Número 164

1752393X

41-5-2

R-6816

M. ACCII
PLAUTI
COMŒDIÆ.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

JACOBUS OPERARIUS
Constantiensis Presbyter, Domus de Charitate B. Mariæ Provisor.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.

PARS II.

RIBL... UNIVERSITARIA
GRANADA

PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD Regis, Serenissimi Delphini & Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITARIA GRANADA

32-365-1

M. ACCII

PLAUTI

COMŒDIÆ.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRATÆ

JACOBUS OPORINUS

Collegii Trilingu. Domus de Cornibus A. Mauris Professor.

IUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.

PARISIIS,

Apud Viduam Leonardi Regis, Serenissimi Delphini
& Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæa.

M. DC. LXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

M. ACCII PLAUTI
MERCATOR.

ARGUMENTUM.

DEMIPHO erat civis Athenienſis diligens & attentus; uxorem habebat non abſimili ingenio, ejus nomen à Poëta non notatur. Erat eis filius Charinus; is ſtatim atque exceſſit ex ephebis ludoque litterario, & minus arctè contentéque habitus eſt à parentibus & Magiſtris, animum adjecit voluptatibus. Puellam perditiſſime amat. Conſequuta eſt, quod fit, amorem illegitimum pernicies rei familiaris. Parentes, cognito periculo & filii & ſuo, quacumque ratione potuerunt, ab meretrice eum avocare contenderunt. Demum, quà monitis, quà minis ad meliorem frugem revocarunt. Et quoniam videt Charinus, nullum eſſe tam tutum certumque præſidium adverſus amorem quam fugam, rogat Patrem, ut liceat aliquò proficiſci ad mercatum. Pater merces imponit navi & præterea numerat talentum argenti filio, adjungitque ſocium itineris eumdem quem habuerat in pueritia & litteris inſtitutorem; Hìc ejus à Poëta minime exprimitur nomen. Charinus Rhodum pergit in celeberrimum, illo ſæculo, emporium. Præter æſtimationem mercium à patre factam, antequam proficiſceretur, lucrum facit ingens & peculium ſibi parat ampliſſimum. Re proſpere geſtâ reditum adornat. Sed ecce invitatus ad cœnam, à quodam ſuo hoſpite, in priſtinas corruptelas relabitur. Nimirum ei dono datur puella pulcherrima nomine Paſicompſa, quam deperit, & ut ſecum habere liceat in patria proponit eam dare matri pediſequam. Satim atque advenit in portum Paſicompſa, Acanthione & cæteris viæ ſuæ comitibus in navi relictis, contendit ad ædes patrias. Pater accepto nuncio rei proſpere geſtæ à filio, & ipſe conten-

dit ad portum. Hic unâ viâ, ille aliâ. Senex, ut ad navem pervenit, ut vidit Pasicompsam, ita ejus amore exarsit, ut & eam uxori eripere & sibi asserere statuerit. Reverso ad navem filio, proponit pater Pasicompsam vendere Lysimacho vicino suo, eo consilio, ut quum libéret, eam convenire posset. Filius perspectâ mente patris & ipse allegat Juvenem Euthychum, filium Lysimachi, cui vult vendere, eodem ferme consilio quo pater. Vincit in illa contentione Demipho & cedit Pasicompsa Lysimacho. Victus Charinus sese comparat ad exilium. Sed cum Lysimachus mandasset coquis, ut cœna fieret lauta & opipara, Dorippa uxor Lysimachi revertitur rure ex improviso, & rata Pasicompsam esse meretricem Lysimachi tumultuatur, Bacchatur, excludit invitatos omnes, coquos & ipsum Lysimachum; omnia denique susdéque evertit. Ex illo tumultu Euthychus captat instaurandarum Charini rerum occasionem. Reverà hinc Lysimachus, illinc filius ejus Euthychus, edentulum sic amatorem oppugnant, vellicant, dicteriis jactant, ut ab amore Pasicompsæ avocent. Tandem Demiphonem pudet amentiæ suæ & sua Pasicompsa Charino suo restituitur. Hæc fabula scripta est primùm à Philemone Poëta Græco Syracusano 336. ante Christum & 136. annis ante Plautum. Græce dicitur, ἔμπορος: à Plauto Latine versa est, & *Mercator* inscripta. Hæc Comœdia constat Prologo, Fabulâ, & Epilogo. Prothasis patet ab initio ad Scenam quartam Actus secundi, quo res Mercatoris corruisse videntur. A Scena quarta Actus secundi ad Actum quartum Epithasis, quo res Mercatoris desperatæ sunt; Catastrophe in reliqua Fabula, quo res Mercatoris prorsus instaurantur. Hæc Fabula versatur in Argumento prorsus flagitioso, in quo constituitur ante oculos nostros imago deploranda corruptelarum omnis ætatis Juvenum, senum; omnis conditionis, servorum, dominorum; sed in eo præsertim est suo more totus Poëta, ut, & pudendos & flagitiosos & infaustos senum amores ostendat. In mercatore licet videre nusquam esse tutam Juventutem adversus voluptatum illecebras, domi, foris. Monitionibus parentum tanquam in exilium proficiscitur voluntarium ad fugiendam voluptatem. In ipso suo exilio perit iterum pudor; adeo verum est, homines nusquam esse tutos, ni præsidium habeant penes se adversum se; sine hoc ubique esse in periculo; cum hoc ubique esse securos.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS CHARINUS.

DEMIPHO, Mercator Athenienſis, pater Charini.

UXOR, Demiphonis anonyma.

CHARINUS, filius Demiphonis.

ACANTHIO, ſervus Charini.

PASICOMPSA, ancilla Charini.

LYSIMACHUS, Civis Athenienſis vicinus Demiphonis.

DORIPPA, uxor Lyſimachi.

EUTYCHUS, filius Lyſimachi & Dorippæ.

SYRA, ancilla Dorippæ.

COQUUS.

LORARII.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

MIssus Mercator ab suo adolescens patre
Emit atque apportat scitâ formâ mulierem.
Requirit quæ sit, postquam eam vidit, senex.
Confingit servus emptam matri pedisequam.
Amat senex hanc, ac se simulans vendere
Tradit vicino. eum putat uxor illius
Obduxe scortum. tum Charinum ex fugâ
Retrahit sodalis, postquam amicam invenerat.

INTERPRETATIO.

JUvenis Mercator, missus à suo patre, mercatur atque advehit mulierem præditam *egregia pulchritudine. Senex eam conspicatus, sisciatur, qua* illa *sit. Servus mentitur* eam *esse emptam*, ut esset *pedisequa matris* Charini. *Senex hanc deperit, ac fingens se* eam *vendere, dat vicino. Uxor hujus arbitratur eum ductare meretricem ante* oculos. *Tum socius Charini eum dehortatur ab exilio* voluntario, *amicâ* ejus *repertâ.*

ANNOTATIONES.

1. *Missus mercator.*] Hic autor Periochæ quia *brevis esse laborat obscurus fit.* Nam videtur innuere hoc versu & sequenti missum fuisse à patre filium ad emendam mulierem. Itaque ut lux fiat hæc supple; Charinus Mercator adolescens, missus Athenis Rhodum ad mercatum à patre suo Demiphone, emit Pasicompsam mulierem præditam scitâ formâ, atque apportat Epheso Athenas.

4. *Servus.*] Rursum caligo. Confingit Achantio servus Charini, esse emptam Pasicompsam ab hero Charino, ut suæ matri daret pedisequam.

6. *Tradit vicino.*] Id est, Lysimacho.

Eum putat uxor illius.] Id est, Dorippa, uxor Lysimachi, non Demiphonis. Itaque pro *illius* ponendum videretur, *hujus.*

7. *Obduxe scortum.*] Id est, ducere ob oculos meretricem, ad augendum contemptum uxoris legitimæ. Eo enim contumelia esse major videtur, quo minus fugias conspectum ejus cui infers.

8. *Sodalis.*] Eutychus filius Lysimachi & Dorippæ.

ALTERA PERIOCHA.

MErcatum à se dum filium extrudit pater,
Is peregrè unius redimit ancillam hospitis
Amore captus. ut venit, navi exilit.
Pater advolat, visam ancillam deperit.
Cujus sit, percontatur, servus, pedisequam
Ab adolescente matri emptam ipsius.

INTERPRETATIO.

QUum pater ejicit filium ab ædibus, & cogit proficisci ad mercatum, filius, longè agens, amore accensus ancillæ, quæ pertinebat ad hospitem, eam *mercatur. Statimátque reversus est, è navi egreditur alacriter. Pater accurrit. Conspicatus ancillam ejus amore capitur. Sisciatur ad quem pertineat. Servus respondet Charinum eam mercatum esse, ut esset pedisequa suæ matris.*

Senex ſibi proſpiciens, ut amico ſuo
Væniret, natum orabat: natus, ut ſuo.
Hîc filium ſubdiderat vicini; pater
Vicinum. præmercatur ancillam ſenex.
Eam domi deprehenſam conjunx illius
Vicini ſcortum inſimulat: protelat virum.
Mercator exſpes patriâ fugere deſtinat:
Prohibetur à ſodale, qui patrem illius
Orat ſuo cum patre, nato ut cederet.

INTERPRETATIO.

Senex, providens ſuis utilitatibus, *filium rogat, ut vendatur ſuo amico. Natus* rogat patrem, *ut ſuo* amico vendatur. *Hic ſupponebat filium vicini* Eutychum, *pater* ipſum *vicinum Lyſimachum. Senex emit ancillam. Uxor vicini domi deprehendit, eámque putat eſſe mariti amicam. Maritum inceſſit. Mercator, ſpe* omni *abjecta, ſtatuit patriâ excedere. Vetat ſodalis, qui cum ſuo patre obteſtatur patrem illius, ut* mulierem *concedat filio.*

ANNOTATIONES.

12. *Protelare.*] Eſt *incitare, exagitare.* Quod opponitur *hærere, conſiſtere.* Quod veteres dicebant *ſtrigare, protelum* eſt tractus jumentorum.

15. *Orat ſuo cum patre.*] Patet ex lectione ſolutionis hujus fabulæ, non Euthychum orare cum patre Lyſimacho Demiphonem; ſed onerare hominem maledictis. Unde conjicit Guillelmius pro *orat* ſcribendum *onerat.*

PROLOGUS.

ARGVMENTVM.

PLAUTUS Prologum Mercatoris ſuæ in duas diſtribuit partes ſub perſona Charini. Altera eſt Argumentum operis, altera amores Charini. Quæ partes duæ & permixtæ ſunt & digreſſiunculis verè comicis interciſæ. In hoc Prologo amoris impuri & illegitimi, & quæ amorem conſequuntur, moleſtiarum, curarum, inſomniorum, ærumnarum, terrorum, errorum, ineptiarúmque elegans eſt, & explicata tabula.

CHARINVS.

DUAS res ſimul nunc agere decretum eſt mihi,
Et Argumentum & meos amores eloquar.

INTERPRETATIO.

CHAR. *EGo ſtatui obire nunc duas res uno tempore; exponam, & Argumentum & meos amores.*

Non ego idem facio, ut alios in Comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut Nocti, aut Die,
Aut Soli, aut Lunæ miserias narrant suas.
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Græcè hæc vocatur EMPOROS Philemonis,
Eadem Latinè MERCATOR Marci Accii.
Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum.
Biennium jam factum est, postquam abii domo.
Abii: amare occœpi formâ eximiâ mulierem.
Sed, eâ ut sim implicitus, dicam; si opera est auribus,
Atque ad advertendum huc animum adest benignitas.
Et hoc parum etiam more majorum institi:
Priùs, ac percontatus sum vos, sumpsi indicium illicò.
Nam AMOREM HÆC cuncta vitia sectari solent,

INTERPRETATIO.

Ego non id ago quod vidi agere alios amatores in Comœdiis; qui exponunt suas calamitates, aut Nocti, aut Diei, aut Soli, aut Lunæ, quos Deos *credo per Pollucem non magni facere querelas hominum,* neque admodum curare, *quid exoptent, quid metuant. Exponam, non Diis, sed vobis potiùs nunc meas ærumnas. Hæc* fabula *appellatur Græcè* ἔμπορος *Philemonis, eadem Latinè Mercator Marci Accii* Plauti. *Hic meus pater me misit Rhodum ad mercaturam; jam effluxit biennium ex quo discessi domo: ut discessi statim incœpi deperire* Pasicompsam *mulierem pulchritudine præstanti. Sed aperiam, quemadmodum sim eâ irretitus; si præbeatis aures, atque* pro vestra *benevolentia advertatis huc mentem. Et non sequutus sum vestigia majorum in eâ re,* utpote qui *antequam rogavi* licentiam, *narravi statim amores; etenim universa illa mala consueverunt comitari amorem; sollicitudo,*

ANNOTATIONES.

4. *Qui aut nocti aut die.*] *Die* pro *diei*: veteres dicebant etiam *Dii*, quasi à *dies*, *Diis*, *Dii*.

7. *Non tanti facere.*] Nonnulli Ethnici, ad quorum sese mentem accommodat Charinus, existimabant indignum esse divinâ naturâ curare inferiora hæc, & aurem præbere mortalibus. Alii aliter & verius sentiebant. Nihil in terris, nisi nutu numinis evenire, idémque orantium preces audire & exaudire.

9. *Emporos.*] Græcè ἔμπορος, est à πείρω, *transeo*, & significat *vectorem*, maxime eum qui mare trajicit; unde sumptum est ad significandum mercatorem, non illum sellularium; sed qui ultra citráque maria merces comportet.

Philemonis.] Philemon erat Poëta Syracusanus Comicus: annis ante Plautum 136. scripsit.

14. *Si opera est auribus.*] Id est, si aures vacuæ sint. Si operam mihi dare possunt. Dare autem operam præceptori est audire præceptorem.

16. *Et hoc parum.*] Deprecatur à se culpam audaciæ quod minimè obtentâ dicendi licentiâ, nedum petitâ, aliquot versibus orsus sit amorum suorum narrationem; morémque esse positum innuit publicè dicentibus, ut benevolentiam captarent. Refundit hanc suam inurbanitatem in amorem, quasi cæcus cæcos faciat in officiis illis urbanitatis.

Cura, ægritudo, nimiáque elegantia:
Hæc non illum modò qui amat, ſed quemque attigit,
Magno atque ſolido multat infortunio.
Nec pol profectò quiſquam ſine grandi malo,
Præquàm res patitur, ſtuduit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiáque adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors immodeſtia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia:
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium. hoc ideò fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt uſui, hæc
Amator profert ſæpe adverſo tempore.
Hoc pauciloquium rurſum iccirco prædico;
„Quia NULLUS UNQUAM amator adeo'ſt callidè
„Facundus, quæ in rem ſint ſuam, ut poſſit loqui.
Nunc vos mihi iraſci ob multiloquium non decet:
Eodem quo amorem Venus mihi hoc legavit die.
Illuc reverti certum, ut conata eloquar.

INTERPRETATIO.

moleſtiæ, nimium ſtudium cultus; hæc mactat ingentibus & gravibus pœnis, non ſolum amatorem, verùm etiam quemcumque tenet; neque per Pollucem ullus animum adhibuit elegantiæ cultus pluſquàm par eſt citra magnum damnum. Verùm hæc quoque quæ non recenſui amorem conſequuntur, inſomnia, moleſtiæ animi, inconſtantia, metus, nugæ, amentiáque, adeò & temeritas, imprudentia, impudentia, vecordia, protervitas, libido, & malevolentia, adjuncta eſt quoque cupido, ſocordia, dedecus, egeſtas, probrum, & impenſæ, loquacitas, taciturnitas. Hoc idcircò contingit, quia amator profert ea adverſo tempore, quæ non pertinent ad rem, & inutiliæ ſunt. Rurſum laudo hanc taciturnitatem, quia nullus amator eſt unquam præditus tantâ eloquentiâ, ut poſſit edicere, ea quæ ſunt è re ſua. Nunc non oportet vos ſuccenſere mihi propter loquacitatem; Venus mihi impertiit id eodem die, quo amorem ſtatui reverti eo, ut perficiam ea quæ inchoavi.

ANNOTATIONES.

20. *Quemque.*] Quemcumque.

21. *Magno atque ſolido multat infortunio.*] Solidum opponitur levi & cavo, & ſignificat grave. Terent. *Gaudium ſolidum*; id eſt, minimè inane. Donat. *Solidum eſt plenum & integrum.* In Epidico *malefacta* ſolida, id eſt, gravia.

23. *Res patitur.*] Supple familiaris.

25. *Inſomnia.*] In ſexto caſu, ut eſt etiam in Cicerone, Salluſtio, & aliis.

26. *Ineptia.*] Perinde in ſingulari, atque in plurali dicitur tantum ab authoribus notæ melioris.

29. *Deſidia.*] Alii *veſidia*, ut *vecordia*, *veſania*; alii *reſidia à reſes*, ut *deſidia à deſes*.

35. *Callide facundus.*] Id eſt, callidus & facundus.

Principiò atque animus ephebis ætate exiit,
Atque animus ſtudio amotus puerili eſt meus,
Amare validè cœpi hîc meretricem : illico
Res exulatum ad illam abibat clam patris.
Leno importunus, dominus ejus mulieris,
Vi ſummâ quicque ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare pater hæc me noctes & dies,
Perfidiam, injuſtitiam lenonum expromere :
Lacerari validè ſuam rem, illius augerier.
Summo hæc clamore : interdum muſſans colloqui
Abnuere : negitare adeò me natum ſuum :
Conclamitare totâ urbe & prædicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere.
Amorem multos illexe in diſpendium.
Intemperantem, non modeſtum, injurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab ſe domo.
Rationem peſſimam eſſe ; ea, quæ ipſius optimâ
Omnes labores inveniſſet perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri.
Convitium tot me annos jam ſe paſcere.

INTERPRETATIO.

Ubi primùm animus exceſſit ex ephebis per ætatem, & à ſtudio puerili, incœpi amare perditè meretricem in hâc urbe. Bona patria ſtatim commearunt ad illam, inſcio patre. Leno moleſtus, herus hujus mulieris, rapiebat domum, vi ſummâ, quidquid poterat : pater me increpabat dies & noctes ; ob oculos ponebat perfidiam, & injuſtitiam lenonum ; ſuas fortunas dilapidari magnopere : angi animo idcirco : hæc ſummo clamore : nonnumquam muſſitans ſecum loqui : movere caput ; negare adeò me eſſe ſuum filium : vociferari tota urbe, & monere omnes, ut ne mihi crederent pecuniam mutuanti ; amorem vocaſſe complures in ruinam : me vino deditum eſſe, ſuperbum, contumelioſum : me ſuffurari, & abs ſe efferre domo quidquid poſſem. Eſſe inſulſam agendi *rationem, ea bona profundi ac dilapidari impetu amoris, quæ ipſe quæſiſſet in perferendis omnibus laboribus. Mihi eſſe pudendum me à ſe paſci, jam tot annos.*

ANNOTATIONES.

40. *Ephebis exiit animus.*] Ephebus eſt ab ἐπὶ & ἥβη *pubes*. Donatus dicit eſſe primam ætatem adoleſcentiæ, & extremam pueritiæ. Cenſorinus diſtinctius. Notat enim quemadmodum nos decimoquinto ætatis anno, quum primum pueritiam egreſſi ſumus, dicamur, μελλέφηβοι, hoc eſt, futuri Ephebi, decimo-ſexto, ἔφηβοι ; decimo-ſeptimo, ἐξέφηβοι, quaſi ephebiam egreſſi. Eſt autem hic tranſlatio ab ephebia & pubertate, quæ corporis eſt ad matuſiorem animum & firmiorem.

46. *Objurgare pater hæc me.*] Id eſt, me propter hæc.

49. *Muſſans.*] Summiſsè & compreſſis labris loquens & obmurmurans.

52. *Omnes tenerent mutuitanti credere.*] Tenerent pro abſtinerent : mutuitanti, pro volenti mutuam ſumere pecuniam. Mutuitanti à *mutuito*, quod eſt frequentativum à mutuo.

59. *Convitium tot me annos ſe paſcere.*] Id eſt, me filium ſuum, qui ſum convitio, probro, dedecori, & patri & familiæ, *le reproche de ſon pere.*

60 Quod

Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplò ex ephebis postquam excesserit,
Non, ut ego, amori, neque desidiæ in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse: adeò arctè cohibitum esse se à patre:
Multo opere immundo rustico se exercitum:
Neque nisi quinto anno quôque posse tùm visere
Urbem, atque extemplò inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum à patre.
Ibi multo primùm se familiarium
Laboravisse: quom hæc pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris; tibi eidem metis:
Tibi denique iste pariet lætitiam labos.
Postquam recessit vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse, atque eâ pecuniâ
Navim, metretas quæ trecentas tolleret,
Parasse, atque eâpse merces vectatum undique.
Adeò dum, quæ tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.

INTERPRETATIO.

Si non me puderet hujus rei, oportere me tædere vitæ; se, adultiorem factum, non statim indulsisse amori, ut ego, neq; segnitiæ in quiete, neque sibi fuisse copiam faciendi: *esse coërcitum à patre; se fuisse occupatum variis laboribus agrestibus, sordidis: Neque potuisse interim venire in urbem, nisi quinto quoque anno, & statimatque conspicatus esset peplum, se pelli consuetum rus rursum à patre. Incubuisse operi ibi, tamquam unum servum, eumq; primarium, patre sibi id inculcante; hæc aras tibi, occas tibi, seris tibi, metis eidem tibi. Uno verbo hic labor tibi afferet gaudium. Postquã anima reliquisset corpus patris, se vendidisse agrum; Mercatum esse navim eâ pecuniâ, quæ ferret trecentas mensuras, & portasse easdem merces in omnes regiones, usque eodum comparasset opes quibus tum potiretur; me oportere idem agere si essem, ut me oporteret esse.*

ANNOTATIONES.

65. *Immundo rustico se exercitum.*] Alii legunt in mundo; id est, in ornatu & apparatu rustico, ut dicitur mundus muliebris, mulierum ornatus.

67. *Ut spectavisset peplum.*] Peplum erat vestis candida aureis clavis distincta, sine manicis, quæ simulachris Deorum circumponebatur. Servius pallam fœmineam exponit. Aliis est pallii Græci genus: pallium autem Græcorum erat frustum panno excisum integro, quantùm satis esset tegendo corpori, longum magis quàm latum, sine ulla forma; nisi quòd ejus utraque extremitas ad pares angulos secta penderet. In peplo Minervæ erat victoria Enceladi à Minerva prostrati. Depicta erant & nomina duodecim tribuum Athenienſium, & salutarium Reipublicæ virorum. In solennibus Minervæ supplicationibus tantùm peplum ostendebatur. Hæ quinto quoque anno celebrabantur, & Panathenaïca magna appellabantur; nam Panathenea parva annis singulis agitabantur; sed peplum non ostendebatur.

75. *Metretas.*] Pondus amphoræ, sive dolii, sive metretæ vini centum erat librarum. Navim quæ trecentas metretas tolleret, nos modò diceremus, *un navire de trois cens tonneaux*; quamquam mensuræ nostræ illis minimè respondeant.

Ego me ubi inviſum meo patri eſſe intellego,
Atque odio eſſe ei me quoi placere æquum fuit,
Amens, amánſque, utut animum offirmo meum,
Dico eſſe iturum me mercatum, ſi velit:
Amorem miſſum facere me, dum illi obſequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promiſſa non neglexit perſequi.
Ædificat navim Cercurum, & merces emit:
Paratâ navi, imponit. præterea mihi
Talentum argenti ipſus ſuâ annumerat manu:
Servum unà mittit, qui olim à puero parvulo
Mihi pædagogus fuerat, quaſi uti mihi foret
Cuſtos. iiſce confectis navim ſolvimus:
Rhodum venimus. ubi, quas merces vexeram,
Omnes, ut volui, vendidi ex ſententiâ,
Lucrum ingens facto, præter quàm mihi meus pater
Dedit æſtimatas merces. ita peculium
Conficio grande. ſed, dum in portu illî ambulo,
Hoſpes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.
Venio, decumbo, acceptus hilarè atque ampliter.
Diſcubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, quâ mulier alia nulla eſt pulcrior:
Ea nocte mecum illâ hoſpitis juſſu fuit.
Voſmet videte, quàm mihi valdè placuerit!

INTERPRETATIO.

Ego ubi animadverto me eſſe minimè gratum meo patri, atque me eſſe odio ei, cui par erat eſſe acceptum, amans & amens, animo, quacunque ratione potui, corroborato affirmo patri, *me iturum ad mercatum, ſi cupiat. Me deſerturum amorem, dummodo illi placeam. Mihi agit gratias, atque approbat meum conſilium; ſed non intermittit ad finem promovere ea quæ eram pollicitus. Cercurum navim extruit, & emit merces: & iis onerat inſtructam navim. Præterea ipſe mihi numerat ſua manu talentum argenti: mittit mecum famulum, qui fuerat olim meus pædagogus, à prima pueritia, quaſi ut mihi eſſet cuſtos: hiſce peractis ſolvimus navim: venimus Rhodum, ubi vendidi ad voluntatem omnes merces, quas attuleram, facio magnum quæſtum, præter æſtimationem mercium à patre factam: ſic cogo magnum peculium; ſed intereà dum ambulo in portu, illic, quidam hoſpes me agnovit; invitat ad cœnam. Venio, decumbo, exceptus hilariter & opipare: quando imus diſcubitum noctu, ecce mulier venit ad me, quâ nulla alia mulier eſt pulchrior: ea illa fuit mecum eâ nocte imperio hoſpitis: judicate vos ipſi, quantum tùm mihi placuerit.*

ANNOTATIONES.

86. *Cercurus.*] Nonius: *Cereurus navis Aſiana pragrandis aliis oneraria*, aliis *geraria*: *un vaiſſeau marchand.*

88. *Talentum argenti.*] *Six cens écus.*

90. *Pædagogus.*] Medici, pædagogi, & alii qui nunc ferme ſunt in honore, ut plurimum erant ſervi.

Postridie hospitem adeo, oro ut vendat mihi.
Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore
Quid verbis opus est? emi, atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo resciscat pater.
Modò eam reliqui ad portum in navi, & servolum.
Sed qui currentem servum à portu conspicor?
Quem navi abire vetui. timeo quid siet.

INTERPRETATIO.

Postridie rogo hospitem, ut mihi vendat. Affirmo me futurum esse gratum & munificum pro ejus meritis. Quid opus est verbis? Emi, atque attuli heri. Nolo ut pater sciat me eam attulisse; eam reliqui modò ad portum cum servulo in navi: sed quare video servum currentem à portu, quem prohibui discedere navi? metuo quid sit.

ANNOTATIO.

104. *Munem.*] Id est, obligatum, obnoxium. *Immunis* contrarium.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

CHARINUS, Rhodo reversus à mercatu, relinquit Pasicompsam ancillam in portu & navi. Pergit una via ad Demiphonem patrem: sed pater audito ejus adventu alia pergit ad portum, in quo, non invento filio, lustrat merces ab eo allatas, & Pasicompsam ibi inventam sic deperit, ut & ætatis suæ & verecundiæ communis obliviscatur. Achantio servus Charini à portu contento cursu convolat ad Charinum, monétque eorum quæ in navi gerantur à Demiphone. Charinus testatur dolorem suum, quòd Demipho & Pasicompsam viderit & visam depereat.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

CHARINVS, ACHANTIO.

ACHANTIO.

EX ſummis opibus viribuſque uſque experire, nîtere,
Herus ut minor operâ tuâ ſervetur : agedum, Acanthio,
Abige abs te laſſitudinem. cave pigritiæ prævorteris :
Simul enicato ſuſpiritûs. vix ſuffero hercle anhelitum,
Simul autem pleniſſimè eos, qui adversùm eunt, aſpellito,
Detrude, deturba in viam. hæc hîc diſciplina peſſima eſt,
Currenti, properanti haud quiſquam dignum habet decedere.
Ita tres Simitu res agendæ ſunt, quando unam occœperis :
Et currendum, & pugnandum, & autem jurgandum eſt in viâ.
CH. Quid illud eſt, quod ille tam expeditè exquirit curſuram ſibi?
Cura eſt, negotii quid ſit, aut quid nunciet. *AC.* nugas ago,
Quàm maxime reſiſto, tam res in periculo vertitur.
CH. Mali neſcio quid nunciat. *AC.* genua hunc curſorem deſerunt.
Perii ! ſeditionem facit lien, occupat præcordia.
Perii ! animam nequeo vertere. nimis nihili tibicen ſiem.
CH. At tu edepol ſume laciniam, atque abſterge ſudorem tibi.

INTERPRETATIO.

AC. *Conare ſemper ſummâ ope, & totis viribus incübe, ut junior herus ſervetur tuâ operâ: agedum, Achantio, excute omnem ſegnitiem ; vidéne te pigritia occupet. Obliviſcere Aſtmatis tui per Herculem : vix duco ſpiritum: propelle autem, ſubmove, averte à viâ unâ omnes eos, qui fiunt obviam: eſt hic mos incommodus ; nemo dignatur viam facere acceleranti ; ſic currenti attendendum eſt tribus rebus, quando unam inſtituiſti, & accelerandum, & contendendum, & rixandum in viâ.* CH. *Quare ille exoptat viam, tam liberam in currendo ? Sum ſollicitus, quid ſit rei, aut quid nunciet.* AC. *Nugor ; quò magis moror, eo magis res periclitatur.* CH. *Apportat neſcio quid mali.* AC. *Genua labant huic curſori. Occidi : lien concitatur: invadit in præcordia. Interii ! non poſſum ſpiritum ducere & mittere, ſim malus tibicen.* CH. *At tuper ædem Pollucis accipe imam oram veſtis, & abſterge ſudorem.*

ANNOTATIONES.

1. *Ex Summis opibus.*] Summopere, magnopere.

3. *Cave pigritiæ prævorteris.*] Id eſt, cave ne te antevertat pigritia,

4. *Enicato ſuſpiritus.*] Id eſt, vince crebros anhelitus pectoris.

4. *Vix ſuffero anhelitum.*] Id eſt, vix recipio anhelitum, & aërem reſorbeo.

14. *Seditionem facit lien.*] Lien mihi currenti moleſtus eſt, & in præcordiis movetur huc & illuc. Credibile eſt Plautum, hic conſulto introducere ſervum parum congrue loquentem de partibus corporis internis, & motum lienis accipere pro motu cordis ; nam cum incitatius cucurrimus, non lienis motum, ſed cordis ſentimus.

15. *Nimis nihili tibicen ſiem.*] *Je ne ſerois pas bon à joüer de la fluſte.* Quia tibicines ſpiritu expedito, & copioſo indigent ad inflandas tibias.

AC. Nunquam edepol omnes balineæ mihi hanc laſſitudinem eximent.
Domin' an foris dicam eſſe herum Charinum ? *CH.* ego animi pendeo,
Quid illud ſit negotii : lubet ſcire ex hoc me, ut ſim certior.
AC. At etiam aſto ? at etiam ceſſo foribus facere hiſce aſſulas ?
Aperite aliquis. ubi Charinus herus ? domin' eſt, an foris ?
Num quiſquam adire ad oſtium dignum arbitratur ? *CH.* ecce me, Acanthio, quem quæris. *AC.* nuſquam eſt diſciplina ignavior.
CH. Quæ te res malè agitant ? *AC.* multæ, here, te atque me.
CH. quid eſt negotii ?
AC. Periimus. *CH.* principium inimicis dato. *AC.* at tibi ſortitò id obtigit.
CH. Loquere id negotii, quicquid eſt. *AC.* placidè : volo acquieſcere.
Tuâ cauſsâ rupi ramices, jamdudum ſputo ſanguinem.
CH. Reſinam ex melle Ægyptiam vorato, ſalvum feceris.
AC. At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abſceſſerit.

INTERPRETATIO.

AC. *Per ædem Pollucis numquam omnia balnea me recreent ab hac laſſitudine. herus Charinus éſtne foris an domi ?* CH. *Ego anceps ſum, quid rei ſit : id libet ſcire ex hoc, ut ſim certior.* AC. *At conſiſto adhuc? At moror adhuc comminuere aſſulatim has fores, aperite aliquis ? ubi herus Charinus ? Eſtne domi, an foris ? omnes dedignantur adire ad januam.* CH. *Adſum Achantio, quem inveſtigas.* AC. *Nuſquam diſciplina domeſtica eſt negligentior.* CH. *Quæ res te male incitant ?* AC. *Complures, here, te atque me* inſectantur. CH. *Quid eſt rei ?* AC. *Occidimus.* CH. *Da principium orationis inimicis.* AC. *Sed id tibi obvenit ſortito.* CH. *Dic id rei quid eſt ?* AC. *Da moram : volo recipere ſpiritum, rupi inteſtina tua cauſa, expuo jam dudum ſanguinem.* CH. *Vora reſinam Ægyptiam ex melle factam, te ſanabis.* AC. *At tu per ædem Pollucis pota picem ferventem ; morbus curabitur.*

ANNOTATIONES.

17. *Omnes balineæ.*] Balneæ ſalutares, & jucundæ feſſis recreandis viribus ac reficiendis, adimendæ laſſitudini idoneæ.

25. *Principium inimicis dato.*] Mos erat apud veteres, ut ſi quod ominis mali verbum excideret in colloquio, id à ſe vehementer deprecarentur, & derivare in inimicos ſaltem voto conarentur. Itaque Achantioni dicenti *periimus*, Charinus reſpondet ; orationis tuæ initium eveniat noſtris inimicis, id eſt, pereant inimici noſtri, non nos.

27. *Rupi ramices.*] Ramex eſt Plauto, quod eſt *hernia*, Martiali. Hernia autem eſt, quando è nimio conatu contentioneque ſeu virium, ſeu vocis in imo ventre tumor extus exiſtit: Quod nos Gallice appellamus, *Deſcente*. Sed quia mentio eſt hic miſti cum ſputo ſanguinis, patet Plautum per ramices intelligere venas pulmonis. *Ramex* autem originem videtur habere à *ramo*, qui ſive in hernia, ſive in venis repræſentari videtur.

28. *Reſinam ex melle.*] Id eſt, reſinam cum melle, quod quàm ſalutare ſit ſiſtendo ſanguini ex ramicibus ebullienti medicorum eſt videre.

29. *Calidam picem.*] Paulò familiarius Achantio herilem jocum ſervili remeritur: mos erat apud veteres, ut qui deorum nomina uſurpaſſent, irreligioſius calidam picem bibere cogerentur.

CH. Hominem ego iracundiorem, quàm te, novi neminem.
AC. At ego maledicentiorem, quàm te, novi neminem.
CH. Sin ſaluti quod tibi eſſe cenſeo, id conſuadeo.
AC. Apage iſtiuſmodi ſalutem, cum cruciatu quæ advenit.
„*CH.* Dic mihi, AN BONI QUID USQUAM EST, quod quiſquam uti poſſiet
„Sine malo omni: aut, ne laborem capias, cùm illo uti voles?
AC. Neſcio ego iſtæc: philoſophari nunquam didici, neque ſcio.
Ego bonum, malum quò accedit, mihi dari haud deſidero.
CH. Cedò tuam mihi dexteram agedum, Achantio. *AC.* hem, dabitur: tene.
CH. Vin' tu te mihi ob eſſe-ſequentem, an nevis? *AC.* operâ licet
Experiri, qui me rupi cauſsâ currendo tuâ:
Ut quæ ſcirem, ſcire actutum tibi liceret. *CH.* liberum
Caput tibi faciam, paucos cis menſes. *AC.* palpo percutis.
CH. Egon' auſim tibi uſquam quicquam facinus falſum proloqui?
Quin jam priuſquam ſim elocutus, ſcis, ſi mentiri volo. *AC.* ah,
Laſſitudinem hercle verba tua mihi addunt, enicas.
CH. Siccine mihi obſequens es? *AC.* quid vis faciam? *CH.* tun'? id quod volo.
AC. Quid eſt igitur, quod vis? *CH.* dicam. *AC.* dice. *CH.* at enim placidè volo.
AC. Dormientes ſpectatores metuis ne è ſomno excites.
CH. Væ tibi. *AC.* tibi equidem à portu apporto hoc. *CH.* quid fers? dic mihi.
AC. Vim, metum, cruciatum, curam, jurgiúmque atque inopiam.

INTERPRETATIO.

CH. *Ego novi neminem iracundiorem te.* AC. *At ego novi neminem maledicentiorẽ, quàm te.* CH. *Te doceo, quod exiſtimo eſſe tibi ſalutare.* AC. *Apage iſtam ſanitatem, qua advenit cum cruciatu.* CH. *Dic mihi, num eſt alicubi aliquid boni, quod quiſquam uſurpare poſſit, citra aliquod malum: aut quod adhibere queas, quando libebit citra laborem?* AC. *Ego hæc ignoro: hæc nunquam ego didici argutari, neque novi, aut opto mihi tribui bonum, ad quod accedit malum.* CH. *Da mihi tuam dextram: agedum, Acanthio.* AC. *Hem, dabitur; accipe.* CH. *Viſne tu mihi eſſe morigerum, an non vis?* AC. *Profectò potes intelligere experientiâ, qui me rupi accelerando tui gratia; ut diſceres ſtatim, qua didiceram.* CH. *Te manumittam citra paucos menſes.* AC. *Tu mihi oblandiris.* CH. *Egóne audeam tibi dicere, quidquam falſum? Quin ſcias etiam antequam ſim loquutus, ſi volo mentiri.* AC. *Ah! interimis; per Herculem tua verba mihi adjiciunt defatigationem.* CH. *Siccine mihi es obtemperans?* AC. *Quid vis ut agam?* CH. *Tune petis id quod volo?* AC. *Quid eſt igitur, quod vis?* CH. *Dicam.* AC. *Dic.* CH. *At enim volo dicere leniter.* AC. *Times ne excites è ſomno ſpectatores qui dormiunt?* CH. *Væ tibi.* AC. *Equidem tibi apporto id à portu.* CH. *Quid affers? aperi mihi.* AC. *Violentiam, timorem, ærumnam, ſollicitudinem & contentionem, & egeſtatem.*

CH. Perii, tu quidem thesaurum huc mihi apportavisti mali.
Nullus sum. *AC.* imò es. *CH.* scio. jam miserum dices. *AC.* tu dixti. ego taceo.
CH. Quid istuc est mali? *AC.* ne rogites: maximum infortunium est.
CH. Obsecro, dissolve jam me: nimis diu animi pendeo.
AC. Placidè, multa exquirere etiam prius volo, quàm vapulem.
CH. Hercle verò vapulabis, nisi jam loquere, aut hinc abis.
AC. Hoc sis vide, ut palpatur! nullus est, quando occœpit, blandior.
CH. Obsecro hercle oróque, ut, istuc quid sit, actutum indices: Quando quidem mihi supplicandum servulo video meo.
AC. Tandem indignus videor. *CH.* imò dignus. *AC.* equidem credidi.
CH. Obsecro, num navis periit? *AC.* salva est navis, ne time.
CH. Quid alia armamenta? *AC.* salva & sana sunt. *CH.* quin tu expedis
Quid fiet, quòd me per urbem currens quærebas modò.
AC. Tu quidem ex ore orationem mihi eripis. *CH.* taceo. *AC.* tace.
Credo si boni quid ad te nunciem, instes acriter:
Qui nunc, cùm malum audiundum'st, flagitas me ut eloquar.
CH. Obsecro hercle te, istuc uti tu mihi malum facias palàm.

INTERPRETATIO.

CH. *Interii, profectò tu mihi attulisti huc thesaurum mali: sum perditus.* AC. *Imò es.* CH. *Scio te dicturum me miserum.* AC. *Tu dixisti: ego sileo.* CH. *Quid mali est istud?* AC. *Ne scisciteris: est summa labes.* CH. *Rogo liberæ me nunc curâ: nimis diu mens est anceps.* AC. *Pedetentim volo adhuc sciscitari complura antequàm pœnas dem.* CH. *Per Herculem verò dabis pœnas, nisi loquaris jam, aut abeas hinc.* AC. *Vide hoc, si vis, ut oblanditur: est nemo urbanior quando occepit.* CH. *Per Herculem quæso & apprecor, ut aperias nunc demum quid sit istud, quando quidem video me supplicem esse oportere meo mancipio.* AC. *Tandem tibi videor aspernandus?* CH. *Imò magnifaciendus.* AC. *Equidem existimavi.* CH. *Rogo, navis num periit?* AC. *Navis est incolumis, ne metue.* CH. *Quid alia armamenta?* AC. *Sunt salva & integra.* CH. *Quin aperis tu quid sit quod quærebas modò currens per urbem.* AC. *Tu profectò mihi adimis sermonem ex ore.* CH. *Sileo.* AC. *Sile. Urgeres acerrime, ut quidem existimo, si tibi nunciarem aliquid boni, qui me rogas nunc aperiam, quando est audiendum malum.* CH. *Te obtestor etiam atque etiam, ut tu mihi detegas istud malum.*

ANNOTATIONES.

51. *Thesaurum mali.*] Id est, cumulum malorum.

54. *Dissolve jam me.*] Moris erat, ut servi pendentes virgis exciperentur, & postquam excepti fuissent dissolverentur: igitur dissolve jam me, nimis diu animi pendeo; id est, jampridem animi pendeo, & vapulo non virgis, sed verbis tuis; itaque dissolve me, & aperi quod nuntiatum advenis.

55. *Quàm vapulem.*] Id est, quàm tibi pœnas dem: verebatur enim Achantio, ne suæ indiligentiæ tribueretur quod Pasicompsa vila fuisset à Demiphone, & idcirco pœnas daret Charino.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

AC. Eloquar, quando quidem me oras. tuus pater. *CH.* quid meus pater?
AC. Tuam amicam. *CH.* quid eam? *AC.* vidit. *CH.* vidit? væ misero mihi!
Hoc quod te interrogo, responde. *AC.* quin tu, si quid vis, roga.
CH. Quî potuit videre? *AC.* oculis. *CH.* quo pacto? *AC.* hiantibus.
CH. I hinc dierectus: nugare in re capitali meâ.
AC. Qui (malum) ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?
CH. Certen' vidit? *AC.* tam hercle certè, quàm ego te ac tu me vides.
CH. Ubi eam vidit? *AC.* intus intra navim, uti propè astitit,
Et cum eâ confabulatus est. *CH.* perdidisti me pater.
Ehò tu, eho tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero?
Quin, sceleste, abstrudebas, ne eam conspiceret pater?
AC. Quia negotiosi eramus nos nostris negotiis:
Armamentis complicandis & componendis studuimus.
Dum hæc aguntur, lembo advehitur tuus pater pauxillulo:
Neque quisquam hominem conspicatu'st, donec in navi super.
CH. Ne quicquam mare subterfugi sævis tempestatibus.
Equidem jam me censebam esse in terrâ atque in tuto loco:
Verùm video me ad saxa ferri sævis fluctibus.
Loquere porrò quid sit actum. *AC.* postquam aspexit mulierem,
Rogitare occœpit, cuja esset. *CH.* quid respondit? *AC.* illico
Occucurri, atque interpello, matri te ancillam tuæ

INTERPRETATIO.

AC. *Edicam quoniam me sic rogas, tuus pater.* CH. *Quid meus pater?* AC. *Tuam amicam.* CH. *Quid eam?* AC. *Vidit.* CH. *Vidit? Væ mihi infortunato: responde, hoc quod à te postulo.* AC. *Quin tu pete, si quid optas.* CH. *Quomodo potuit videre?* AC. *Oculis.* CA. *Quo pacto?* AC. *Patentibus.* CH. *Apage, furcifer. nugaris in re mihi capitali.* AC. *Quomodo, malum, ego nugor, si tibi respondeo iis quæ à me rogas?* CH. *Certe vidit?* AC. *Per Herculem tam certò, quàm ego te video, ac tu me vides.* CH. *Ubi eam vidit?* AC. *Intus in navi cum primùm accessit propius, & confabulatus est cum eâ.* CH. *Me perdidisti pater. Ehò tu, ehò tu verbero, quare operam dedisti, ne eam cerneret, quare non abscondebas, sceleste, ne pater eam conspicaretur?* AC. *Quia nos eramus occupati nostris negotiis; studuimus armamentis complicandis & componendis, interea dum fiunt hæc, tuus pater advehitur parvulo navigio: neque quisquam animadvertit hominem, donec esset in navi.* CH. *Frustra evasi mare cum sævis tempestatibus; equidem arbitrabar me esse jam in terra, atque in securo loco: verùm me sentio referri ad scopulos sævientibus undis. Loquere præterea quid sit gestum?* AC. *Postquam conspicatus est mulierem cœpit rogare, cuja esset.* CH. *Quid respondit?* AC. *Illico advolavi, atque interrupi* sermonem

ANNOTATIONES.

82. *Conspicatus est donec in navi super.*] Id est, in super navi: solebant autem interdum præpositiones geminare veteres, ut *in circum*, pro *circum quaque*. *Insuper*, *in ante*, *ad ex*, *ad ultra*, *ab ante*, *in coram*, *in palam*, *ab usque*, *ex usque*, *in usque*.

Emisse

Emiſſe illam. *CH.* viſu'ſt tibi credere id? *AC.* etiam rogas?
Sed ſceleſtus ſubigitare occœpit. *CH.* illámne, obſecro?
AC. Mirum, quin me ſubigitaret. *CH.* edepol cor miſerum meum,
Quod guttatim contabeſcit, quaſi in aquam indideris ſalem.
Perii. *AC.* hem iſtuc unum verbum dixiſti veriſſimum:
Stultitia iſtæc eſt. *CH.* quid faciam? credo, non credet pater,
Si illam matri meæ emiſſe dicam. pòſt autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile eſt formâ eximiâ mulierem,
Eam me emiſſe ancillam matri. *AC.* non taces, ſtultiſſime?
Credet hercle. nam credebat jam mihi. *CH.* metuo miſer,
Ne patrem prehendat, ut ſi geſta res, ſuſpicio.
Hoc quod te rogo, reſponde, quæſo. *AC.* quid rogas?
CH. Num eſſe amicam ſuſpicari viſus eſt? *AC.* non viſus eſt.
Quin quicque ut dicebam, mihi credebat. *CH.* verùm, ut tibi quidem
Viſus eſt. *AC.* non; ſed credebat. *CH.* væ mihi miſero! nullus ſum.
Sed quid ego hîc in lamentando pereo, ad navim non eo?
Sequere. *AC.* ſi iſtàc ibis, commodùm obviam venies patri.
Poſteaquam aſpiciet te timidum eſſe atque exanimatum, illico
Retinebit, rogabit, unde illam emeris; quanti emeris;
Timidum tentabit te. *CH.* quin hàc ibo potius. jam cenſes patrem
Abiiſſe à portu? *AC.* quin eâ ego huc præcucurri gratiâ,
Ne te opprimeret imprudentem, atque electaret. *CH.* optimè.

INTERPRETATIO.

te illam emiſſe ancillam tuæ matri. CH. *Tibine viſus eſt credere id?* AC. *Poſtulas adhuc? Sed nequam cœpit ſubigitare.* CH. *Illámne quæſo?* AC. *Mirum quod non me ſubigitaret?* CH. *Per Pollucem meum cor miſerum liquatur guttatim, quaſi injeceris ſalem in aquam. Perii.* AC. *Hem dixiſti iſtud unum verbum certiſſimum: iſtæc eſt amentia.* CH. *Quid agam? Exiſtimo patrem non mihi fidem habiturum, ſi dicam me illam emiſſe meæ matri. Præterea mihi videtur eſſe ſcelus, me dicere mendacium parenti. Neque ille credet, neque eſt credibile me eſſe mercatum eam ſervam matri, mulierem pulchritudine præſtanti.* AC. *Non ſiles ſtultiſſime? Credet per Herculem. Nam mihi confidebat modo.* CH. *Timeo infœlix ne ſuſpicio veniat in animo, quomodo res fuerit geſta. Reſponde, obſecro, quomodo res eſt geſta.* AC. *Quid petis?* CH. *Num eſt viſus ſuſpicari eſſe amicam?* AC. *Non eſt viſus, quin mihi credebat qualibet, ſicut dicebam.* CH. *Sed ut eſt tibi viſus?* AC. *Non, ſed credebat.* CH. *Væ mihi infœliti! perii. Sed quid ego intereo hîc in lamentando, & non eo ad navim? ſequere.* AC. *Si ibis iſtac, commodè ibis obviam patri. Poſteaquam te intuebitur eſſe timidum atque exanimatum, illico retinebit, ſciſcitabitur, unde illam emeris; quanti emeris; te tentabit timidum.* CH. *Quin ibo potius hàc; cenſes patrem jam exceſſiſſe è portu?* AC. *Quin ego præcucurri huc idcircò, ne te obrueret imprudentem, & circumveniret.* CH. *Optimè.*

ANNOTATIONES.

90. *Subigitare.*] Idem quod *ſubagitare*. De hoc ſuprà non ſemel.

111. *Electaret.*] Id eſt, rogando & appellando blandius eliceret.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

DEMIPHO ſuum in Paſicompſam amorem vicino ſuo, & familiari Lyſimacho detegit, rogatque, ut eam apud ſeſe recipiat quò ejus inviſendæ copia ſit, cùm libuerit; eo conſilio ab ejus amore deducere conatur Charinum filium ſuum, & tandem authoritate paterna cum eo agit.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SOMNIO ſuo de ſimiâ, & caprâ inquies Demipho amorem ſuum in Paſicompſam ſibi eſſe adumbratum arbitratur.

DEMIPHO Senex.

MIRIS modis dii ludos faciunt hominibus.
Miriſque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.
Velut ego nocte hâc, quæ præteriit, proximâ
In ſomnis egi ſatis, & fui homo exercitus.
Mercari viſus mihi ſum formoſam capram,
Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,
Neu diſcordarent, ſi ambo in uno eſſent loco;
Poſteriùs quam mercatus fueram, viſus ſum
In cuſtodiam eam Simiæ concredere.

INTERPRETATIO.

DEM. *Dii ludificant homines mirum in modum, & dant ſomnia dormientibus mirifica, ſicut mihi contigit, hac nocte proximâ præteritâ in ſomno, in quo fui egregie exagitatus. Mihi viſus ſum emere pulchram caprâ: & ne offenderet illam capram, quam haberem antea domi, neu altercarentur, ſi amba convenirent in unum locum,* mihi *viſus ſum eam tradere Simiæ cuſtodiendam, poſtquàm emi.*

ANNOTATIONES.

2. *Somnia in ſomniis danunt.*] Dant.
4. *Egi ſatis.*] Eſt Metatheſis, *ſategi*, id eſt *ſatis feci.*

Ea Simia adeò pòst haud multo ad me venit,
Malè mihi precatur, & facit convicium:
Ait sese illius operâ atque adventu capræ,
Flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter.
Dicit capram, quam dederam ſervandam ſibi,
Suæ uxoris dotem ambadediſſe. oppidò
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris Simiæ dotem ambadederit.
Inſtare factum Simia: atque hoc denique
Reſpondet, ni properem illam ab ſeſe abducere,
Ad me domum intrò ad uxorem ducturum meam.
Atque oppidò, hercle, bene velle illi viſus ſum.
Aſt non habere cui commendarem capram:
Quò magis, quid facerem, curâ cruciabar miſer.
Interea ad me hœdus viſus eſt aggredirier,
Infit mihi prædicare, ſeſe ab Simiâ
Capram abduxiſſe, & cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere ſomnium,
Nequeo invenire. niſi capram illam ſuſpicor
Jam me inveniſſe quæ ſit, aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii manè cum luci ſimul,
Poſtquam hîc id quod volui tranſegi; atque ego conſpicor
Navem ex Rhodo, quâ heri eſt advectus filius.
Collibitum eſt illud mihi, neſcio quî, viſere:

INTERPRETATIO.

Paulò pòst Simia venit ad me, mihi malè dicit, & convitiatur: dicit me *admiſiſſe ingens ſcelus, & intuliſſe maximum detrimentum operâ atque adventu illius capræ. Dicit capram, quam ſibi credideram cuſtodiendam circumroſiſſe dotem ſuæ uxoris: illud mihi videri mirum magnopere, ut illa una capra arroſerit dotem conjugis Simiæ. Simia urgere id eſſe factum: denique hoc innuit, niſi velociter clàm abducam ab ſeſe, inducturum ad meam uxorem apud me domum, & per Herculem viſus ſum illi bene apprecari. Sed non habere cui commendarem capram, quo angebar majore ſollicitudine miſer, quid agerem: interea hœdus viſus eſt venire ad me, & mihi dicere ſeſe abduxiſſe capram ab ædibus Simiæ, & cœpit illudere mihi. Ego verò plorare, atque expoſtulare illam fuiſſe abductam. Ad quam rem exiſtimaverim hoc ſomnium ſpectare, nequeo reperire; niſi exiſtimo me reperiiſſe, nunc quæ ſit illa capra, aut quid ſibi velit. Abii hinc ad portum manè ſtatimátque illuxit, poſtquam egi, quod optabam, continuò, video navem ex Rhodo, quâ meus filius eſt advectus: mihi libuit illam viſere, neſcio quomodo:*

ANNOTATIO.

17. *Ambadederit.*] Compoſitum ex am, ad, & edo. Am autem eſt Græca, ſeu è græco facta à præpoſitio. Ab ἀμφὶ, circum eandémque ſignificationem retinet. Quando autem præpoſitio hæc concurrit in compoſitione vocis cùm, a, e, i, u, interponitur. b. Euphoniæ cauſa, ſic dicitur ambages, ambedo, ambio, ambuſtus.

Ascendi in lembum, atque ad navim advehor: atque ego
Illam conspicio formâ eximiâ mulierem,
Filius quam advexit meus matri ancillam suæ.
Quam ego postquam aspexi, non ita amo ut sani solent
Homines: sed eodem pacto ut insani solent.
Amavi hercle equidem ego olim in adolescentiâ:
Verùm ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio,
Unum quidem hercle jam scio, periisse me.
Vosmet videte cæterum quanti siem.
Nunc hoc profectò sic est: hæc illa est capra.
Sed simia illa, atque hœdus, timeo quid velint.
Sed conticescam. vicinum eccum! exit foràs.

INTERPRETATIO.

ascendi in lembum, atque deferro ad navim. Continuò, ego video illam mulierem pulchritudine singulari, quam meus filius abduxit servam suæ matri; postquam ego eam intuitus sum, non amavi sicut consueverunt sani homines: sed sicut insani solent: per Herculem ego amavi olim in adolescentiâ; sed non eo modo, quo ego nunc desipio. Per Herculem jam scio unum, me occidisse. Cæterum quanti sim spectate vos ipsi. Profectò ita se res habet: hæc est illa capra: Sed vereor quid sibi velint illa simia, & hœdus. Sed sileo; ecce vicinus! prodit foras.

ANNOTATIONES.

36. *Illam conspicio.*] Alii *ellam* pro *eam*.
43. *Quanti siem.*] Alii *qui siem*, id est, *qui sim*; *Ce que c'est que de moy.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

DEMIPHO amoris vulnus sibi à Pasicompsa impressum detegit Lysimacho: qui quidem pro virili monitis suis medelam afferre conatur, sed frustra.

LYSIMACHVS, DEMIPHO, LORARII.

LYSIMACHVS.

PROFECTO ego illunc hircum castrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.

INTERPRETATIO.

LY. *EQuidem volo castrari illum hircum, qui nobis facessit negotium ruri.*

ANNOTATIO.

1. *Profecto.*] Erat molestus Lysimacho hircus aliquis ruri. Mandat servis, ut quamprimum Castretur, Demipho quia in somnis viderat hircum, & eum de se erat interpretatus, accipit Lysimachi verba de hirco in malum omen.

DE. Nec omen illud mihi, nec auſpicium placet
Quaſi hircum, metuo, ne uxor me caſtret mea,
Atque illius hæc nunc ſimiæ parteis ferat.
LY. I tu hinc ad villam, atque iſtos raſtros villico
Piſto ipſi facito coràm ut tradas in manum.
Uxori facito ut nuncies, negotium
Mihi eſſe in urbe, ne me exſpectet. nam mihi
Tris hodie lites judicandas dicito.
I, & hoc memento dicere. *LO.* nunquid amplius?
LY. Tantum eſt. *DE.* Lyſimache, ſalve. *LY.* euge! Demipho
Salve. ô quid agis? quid fit? *DE.* quod miſerrimus.
LY. Dii melius faxint. *DE.* dii hoc quidem faciunt. *LY.* quid eſt?
DE. Dicam, ſi videam tibi eſſe aut operam aut otium.
LY. Quanquam negotium eſt, ſi quid vis, Demipho,
„Non sum occupatus unquam amico operam dare.
DE. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Quid tibi ego ætatis videor? *LY.* Acherunticus
Senex, vetus, decrepitus. *DE.* pervorsè vides.
Puer ſum, Lyſimache, ſeptuennis. *LY.* ſanun' es?
Qui puerum te eſſe dicas. *DE.* vera prædico.
LY. Modò hercle in mentem venit, quid tu diceres:
„Senex cum extemplò eſt, jam nec ſentit, nec ſapit,
„Ajunt ſolere eum rurſum repueraſcere.

Interpretatio.

DE. *Illud omen non mihi jucundum eſt, neque augurium. Pertimeſco ne mea conjux me caſtret, tanquam hircum, & ne ipſa impleat nunc partes illius ſimiæ.* LY. *Proficiſcere tu hinc ad villam, & fac ut des in manum iſtos raſtros piſto ipſi* meo *villico. Dic uxori mihi eſſe rem in urbe, ne me operiatur. Dic tres lites dirimendas hodie, & recordare hoc dicere.* LO. *Viſne aliquid amplius?* LY. *Volo tantum* id. DE. *Salvus ſis, Lyſimache.* LY. *Euge, Demipho!* fac quoque *ſalvus ſis. O quid facis? Quid agitur?* DE. *Quòd infortunatiſſimus.* LY. *Dii faciant melius.* DE. *Dii ſic volunt quidem.* LY. *Quid eſt?* DE. *Aperiam, ſi animadvertam me à te poſſe audiri, aut tibi eſſe otium.* LY. *Tametſi mihi eſt negotium, Demipho, ſi quid optas, nunquam ſum impeditus, quando eſt audiendus amicus.* DE. *Dicis id apud eum, qui periculum fecit tuæ urbanitatis. Quæ ætate* natus *tibi videor?* LY. Tu mihi videris *capularis, ſenex, vetus, effœtus, ſilicernium.* DE. *Vides malè ſum puer ſeptennis, Lyſimache.* LY. *Inſaníſne? Qui te affirmes eſſe puerum.* DE. *Prædico veræ.* LY. *Per Herculem mox venit in mentem, quid tu loqueris. Quando homo eſt ſenex, ſtatim neque ſentit, neque ſapit. Dicunt eum conſueviſſe repueraſcere.*

Annotationes.

10. *Lites judicandas dicito.*] Id eſt, in judicio mihi cum adverſario diſceptandas, neque enim Lyſimachus eſt judex. Sic condemnare adverſarium dicitur is qui litem vincit, quamquam ille non ſit qui condemnet, ſed judex.

11. *I, & hoc memento dicere.*] Alii *ei* pro *i*, vade.

20. *Senex vetus.*] Alii vietus. Feſtus: *Vietus eſt languidus ſine vi ac naturalibus.* Valerius Maximus: *Vietæ cicatrices, veteres, putridæ.*

25. *Repueraſcere.* Bis pueri ſenes.

DE. Imò bis tanto valeo, quàm valui prius.
LY. Bene hercle factum, & gaudeo. *DE.* imò *si* scias,
Oculis quoque etiam plus jam video, quàm prius.
LY. Bene est. *DE.* malam rem dico. *LY.* jam istuc non bonum est.
DE. Sed ausimné ego tibi eloqui, si quid velim?
LY. Audacter. *DE.* animum advorte. *LY.* fiet sedulò.
DE. Hodie ire in ludum occœpi literarium,
Lysimache. ternas scio jam. *LY.* quid, ternas? *DE.* Amo.
LY. Tun' capite cano amas, senex nequissime?
DE. Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum est, amo.
LY. Ludificas nunc tu me hîc, opinor, Demipho.
DE. Decîde collum, si falsum est uti loquar:
Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem, vel tu nasum, vel labrum:
Si movero me, seu secari sensero,
Lysimache, auctor sum uti me amando hîc enices.
LY. Si unquam vidisti pictum amatorem, hem! illic est.
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.
DE. Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
LY. Egon' te? *DE.* nihil est jam quod tu mihi succenseas:
Fecêre tale antè alii spectati viri.
„Humanum amare est, humanum autem ignoscere est.
Ne sis me objurga. hoc non voluntas me impulit.

Interpretatio.

DE. *Imò vires sunt altero tanto majores, quàm fuerunt prius.* LY. *Per Herculem bene est, & lætor.* DE. *Imò, ut non ignores, video magis etiamnum quoque oculis, quàm antea.* LY. *Bene est.* DE. *Dico rem malam.* LY. *Istud non est jam bonum.* DE. *Sed audeámne ego tibi eloqui, quod velim?* LY. *Audacter.* DE. *Adhibe mentem.* LY. *Adhibeo seriò.* DE. *Incœpi hodie ire in ludum litterarium, Lysimache: teneo jam tres litteras.* LY. *Quid, per tres litteras?* DE. Amo. LY. *Tu ne amas capite cano, pessime senex?* DE. *Seu caput est canum, seu istuc flavum, sive atrum, amo.* LY. *Tu me ludis hîc nunc arbitror, Demipho.* DE. *Amputa caput, si id quod dico est falsum: vel ut intelligas me amare, sume gladium, amputa digitum vel aurem, vel nasum, vel labrum: si me movero, seu sensero amputari, Lysimache, volo ut me eneces amando.* LY. *Si vidisti unquam amatorem pictum, hem! adest: nam meo judicio quidem, effectus senex capularis est tanti faciendus, quanti imago picta in pariete.* DE. *Credo tu, vis nunc, me reprehendere.* LY. *Egóne te?* DE. *Est nihil quare tu me reprehendas: jam alii viri nobiles fecêre idem ante. Est humanum amare, est autem humanum cõdonare. Ne mihi succense. si vis, voluntas non me impulit ad hoc.*

Annotationes.

26. *Bis tanto valeo.*] Scilicet ab animo, Id est, bis, plus sentio ac sapio quam olim. *Altero tanto.*

33. *Ternas scio jam.*] Scilicet litteras. Hæ litteræ sunt a - m, o.

49. *Hoc non me voluntas impulit.*] Pro ad hoc. Alii huc. Hoc se purgat edentulus amator apud amicum, quod non voluntate, sed necessitate amet.

LY. Quin non objurgo. *DE.* at ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. *LY.* egóne te? ah, ne dî ſiverint.
DE. Vide ſis modò etiam. *LY.* viſum'ſt. *DE.* certen'? *LY.* perdis me.
Hic homo ex amore inſanit. nunquid vis? *DE.* vale.
LY. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium eſt.
DE. Bene ambulato. *LY.* bene valeto. *DE.* bene ſit tibi.
Quin mihi quoque etiam eſt ad portum negotium.
Nunc adeò ibo illuc. ſed optimè gnatum meum
Video, eccum! opperiar hominem: hoc nunc mihi viſo eſt opus,
Huic perſuadere quomodo potis ſiem,
Ut illam vendat, neve det matri ſuæ:
Nam ei dono advexe audivi. ſed præcauto opus,
Ne ad illam me animum adjeciſſe aliquâ ſentiat.

INTERPRETATIO.

LY. *Neque vitupero.* DE. *Attamen ne putes me pejorem hoc facto.* LY. *Egóne te* ducam deteriorem? *Ah, ne Dii patiantur.* DE. *Vide ſi vis modò.* LY. *Video.* DE. *Verúmne eſt?* LY. *Me perdis. Hic homo inſanit ex amore: víſne adhuc aliquid?* DE. *Vale.* LY. *Adportum revertor; nam mihi eſt res ibi.* DE. *Bene vale.* LY. *Bene vale.* DE. *Tibi ſit bene, quin mihi etiam res eſt ad portum, nunc adeo, ibo illuc; ſed video oportunè meum filium. Ecce expectabo hominem: mihi eſt nunc opus, ut videam quo pacto potero huic perſuadere, ut illam vendat, & ne det ſuæ matri: nam audivi eum huc advexiſſe, & dono daturum eſſe; ſed eſt opus, ut provideam ne ſentiat me adjeciſſe animum ullo modo ad illam.*

ANNOTATIO.

51. *Ne dii ſiverint.*] μὴ γένοιτο. Abſit.

ACTUS SCUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PATER filium, filius patrem ereptâ Paſicompsâ circumvenire conatur; ſed vincit patris cupiditas authoritate fulta.

CHARINVS, DEMIPHO.

CHARINVS.

HOMO me miſerior nullus eſt æquè, opinor,
Neque advorſa cui ſint plura ſempiterna.

INTERPRETATIO.

CH. *ARbitror eſſe neminem perinde infœlicem, atque ego* ſum; *nec cui accidant ſemper plura infortunia.*

Satin, quicquid est, *ut* quam rem agere occœpi,
Proprium nequit mihi evenire quod cupio?
Ita mihi mala res objicitur aliqua,
Bonum quæ meum comprimit consilium:
Miser amicam mihi paravi, animi caussâ, pretio,
Ratus clam patrem meum posse habere.
Is resscivit, & vidit, & perdidit me.
Neque is, cum roget, quid loquar cogitatum est,
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec, quid corde nunc consilii capere possim
Scio, tantus cum curâ meo est error animo.
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet: nec pater potis videtur
Induci, ut putet matri ancillam emptam esse illam.
Nunc si dico ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico; quemadmodum existimet me?
Atque illam abstrahat; trans mare hinc venum asportet.
Scio, sævus quàm sit, domo doctus. igitur hoccine est
Amare? arare mavelim, quàm sic amare.
Jam hinc olim invitum domo extrusit ab sese,
„Mercatum jussit ire: ibi hoc malum inveni. Ubi
„Voluptatem ægritudo vincat, quid ibi ineſt amœni?

Interpretatio.

Nonne quando incipio quidpiam, quidquid sit, nunquam mihi contingit quod exoptem? nimirum mihi sese offert semper aliquid mali, quod evertit meum consilium. Emi amicam, miser, animi gratia, ratus me posse habere meo patre inscio; is resscivit, & eam vidit & me interemit; neque meditatum est quid reponam, quando is interrogabit, quasi decem animi ancipites pugnent in pectore. Ne scio quid consilii capiam, adeò animus vagus est, & sollicitus. Modo sententia mei servi mihi valde probatur, modo non probatur: neque mihi videtur posse adduci meus pater, ut existimet illam ancillam esse emptam pro matre. Nunc si aperio quod res est, atque confiteor me illam emisse pro me, quid de me sentiet? continuò illam mihi adimet avehétq; hinc & vendet, ultra mare. Novi, quam sit crudelis, idque didici domi. Itaque hocce est amare? Malim arare, quàm sic amare. Olim me ejecit hinc reluctantem ab sese; mandavit proficisci ad mercatum: ibi in hoc malum incidi. Id in quo molestia superet jucunditatem, quid in eo sit suavitatis?

Annotationes.

3. *Satin.*] *Satisne.* Ubicumque occurrit in Plauto, *satisne*, sive *satin*, id accipiendum est citra interrogationem, aut certè pro *nonne*. Itaque *satin, quicquid est. Quidquid est*, &c. aut *nonne quidquid est*, &c. Si vis retinere interrogationem, quæ magis convenit homini incitato aliquo animi affectu graviore, qualis est hoc loco Charinus.

4. *Proprium.*] Proprium, id est quod penitus meum sit, ut adimi non possit.

11. *Ita animi decem.*] *Decem* certus numerus pro incerto. Id est, cogitationes curæ, incertum reddunt. Alii med incertant, pro me incertant. *Incerti certant*, ludus syllabarum.

20. *Scio domo doctus.*] Id est, domestico experimento.

21. *Arare mavelim quam sic amare.*] Veteres labores arationis gravissimos existimabant.

25 Nequicquam

Nequiquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam.
Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi.
Nec sacrum, nec tam profanum quicquam est, quin
Ibi illicò adsit. nec, quî rebus meis
Confidam, mihi ulla spes in corde certa est.
DE. Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius?
Sollicitus mihi, nescio quare, videtur. *CH.* attate!
Meus pater hic quidem est, quem video. ibo, alloquar. quid fit, pater?
DE. Unde incedis, quid festinas, gnate mi? *CH.* rectè, pater:
DE. Ita volo. sed istuc quid est, tibi quòd commutatu'st color?
Nunquid tibi dolet? *CH.* nescio quid meo animo est ægrè, pater:
Postea hâc nocte non quievi satis meâ ex sententiâ.
DE. Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.
CH. Magis opinor. *DE.* id est profectò. verùm actutum abscesserit.
Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.
CH. Otium non est, mandatis rebus prævorti volo.
DE. Cras agito, perendie agito. *CH.* sæpe ex te audivi, pater:
„Rei mandatæ omnes sapientes primùm prævorti decet.
DE. Age igitur, nolo adversari tuam adversus sententiam.
CH. Salvus sum, si quidem isti dicto solida & perpetua est fides.
DE. Quid illuc est, quòd ille solus se in consilium sevocat?

Interpretatio.

Incassum occultam, tectam, clausam servavi: meus pater est musca; nihil potest haberi hoc insscio. Nihil est aut sacri, aut prophani, quin inter sit statim ibi; nulla spes certa affulget in animo, qua confidam meis rebus. DE. *Quid est quod filius solus secum sermocinatur? Nescio cur mihi videtur anceps.* CH. *Attate! adest profectò meus pater quem conspicor: accedam; affabor: quid agitas pater?* DE. *Unde venis? Quare acceleras, mi gnate?* CH. *Non accelero pater.* DE. *Sic volo: sed quare color tuus immutatus est? Estne aliquid quod tibi ægre sit?* CH. *Est nonnihil mihi accerbum; præterea, non satis somnum cœpi hac nocte ad meum arbitrium.* DE. *Quia fuisti jactatus mari, tui oculi obstupescunt intuiti terram.* CH. *Equidem sic existimo.* DE. *Nihil aliud est sine dubio; verùm id desinet modo. Idcirco per Pollucem palles; si sapis, perge domum, ac decumbe.* CH. *Non vacat: est mens antea perficere ea quæ mihi demandata sunt.* DE. *Crastina die perficies.* CH. *Persæpè à te accepi, pater, viros prudentes debere ante omnia perficere res sibi demandatas.* DE. *Fac ergo quod volueris; nolo obluctari tuæ sententiæ.* CH. *Profectò bene est, si hic doctor habet fidem firmam ac sempiternam.* DE. *Quid est id, quod ille solus seorsum sese recipit ad sese consulendum?*

Annotationes.

26. *Musca est meus pater.*] Ægyptii curiosum hominem, & impudentem muscâ exprimebant. Nos de acuto accipimus, quando dicimus: *c'est une fine mouche.*

31. *Attate.*] Interjectio est subita mirantis & metuentis.

33. *Rectè pater.*] Id est minimè festino. Veteres hoc adverbio utebantur, quando negabant quidem, sed negationis particulam ponere nolebant.

Jam non vereor, ne illam me amare hic potuerit resciscere.
Quippe haud etiam quicquam ineptè feci, amantes ut solent.
CH. Res adhuc quidem hercle in tuto'st: nam hunc nescire sat scio
De illâ amicâ. quod si sciret, esset alia oratio.
DE. Quin ego hunc aggredior de illâ? CH. quin ego hinc me amolior?
Eo ego, ut quæ mandata amicus amicis tradam. DE. imò mane!
Paucula etiam scisciture prius volo. CH. dic quid velis.
DE Usquéne valuisti? CH. perpetuò rectè, dum quidem illîc fui:
Verùm, in portum huc ut sum advectus, nescio quî animus mihi dolet.
DE. Nauseâ edepol factum credo: verùm actutum absceſſerit.
Sed quid ais? ecquam tu advexti tuæ matri ancillam Rhodo?
CH. Advexi. DE. quid? ea ut videtur mulier? CH. non edepol mala.
DE. Ut morata est? CH. nullam vidi melius meâ sententiâ.
DE. Mihi quidem edepol visa est, cùm illam vidi. CH. eho an vidisti, pater?
DE. Vidi: verùm non ex usu nostro est, neque adeò placet.
CH. Quî verò? DE. quia non nostrâ formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædis verrat, vapulet,
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.
CH. Eâ caussâ equidem illam emi, dono quam darem matri meæ.

INTERPRETATIO.

Non metuo nunc ne animadverterit, illam à me amari: nimirum hactenus nihil commisi leviter, ut mos est amatorum. CH. *Per Herculem res adhuc est in integro; nam satis intelligo hunc nihil scire de mea amica. Quod si sciret ejus sermo esset alius.* DE. *Quare ego non aggredior* dicere *de illa?* CH. *Quin ego me proripio hinc? Ego proficiscor, ut dem amicus amicis, quæ mihi sunt commandata.* DE. *Imò* dabis *mane: volo præterea percontari pauca.* CH. *Dic quid cupias?* DE. *Sempérne valuisti?* CH. *Semper bene dum quidem mansi illic, sed ex quo sum asportatus huc in portum, nescio quo pacto mihi animo ægrè est.* DE. *Per ædem Pollucis existimo id tribuendum nauseæ: sed hæc ægritudo reliquerit statim. Sed quid ais? Nonne tu ancillam aliquam apportasti Rhodo, ad tuam matrem?* C H. *Apportavi.* DE. *Quid? hæc mulier qualis videtur?* CH. *Per ædem Pollucis non est deformis.* DE. *Qui sunt ejus mores?* C H. *Non novi laudabiliores, meo judicio.* DE. *Per ædem Pollucis mihi visa est* ciusmodi esse, *quando illam conspexi.* CH. *Ehò, nonne conspicatus es, pater?* DE. *Conspicatus sum; sed ea uti non possumus; atque adeò minimè placet.* CH. *Quare?* DE. *Quia ejus species non conveniet nostræ familiæ. Nobis non est opus ancillâ, nisi quæ texat, quæ molat, quæ secet lignum, faciat pensum, mundet domum, vapulet; & quæ coquat escam quotidianam familiæ. Hæc nihil poterit agere harum rerum.* CH. *Equidem illam mercatus sum eâ mente, ut donarem meæ matri.*

DE. Ne duis, neu te advexisse dixeris. *CH.* dii me adjuvant.
DE. Labefacto paulatim. verùm quod præterii dicere,
Neque illa matrem satis honestè tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. *CH.* quî verò? *DE.* quia illâ formâ matrem familias
Flagitium sit, si sequatur. quando incedat per vias;
Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.
Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.
Atque, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meæ,
Mihique, objectent lenocinium facere. nam quid eo est opus?
CH. Hercle quin tu rectè dicis: & tibi assentior ego.
Sed quid illâ nunc fiet? *DE.* rectè. ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam formâ malâ,
Ut matrem addecet familiâs, aut Syram, aut Ægyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neque
Propter eam quicquam eveniet nostris foribus flagitii.
SH. Quid si igitur reddatur illi unde empta est? *DE.* minimè gentium.

INTERPRETATIO.

DE. *Ne dederis, neque dixeris te apportasse.* CH. *Dii me adjuvant.* DE. *Vinco* filium *sensim sine sensu; sed quod prætermisi, illa non poterit satis honestè comitari tuam matrem, neque patiar.* CH. *Quare?* DE. *Quia esset piaculum, si mulier* prædita tam eleganti *venustate comitaretur matrem familias. Quando ambularet per vicos; omnes eam spectarent, conspicarentur innuant, conniveant, sibilent, vellicent, appellent, sint importuni, cantent ante* meum *limen; meæ fores exarentur laudibus carbone* scriptis: *Atque, ut homines sunt nunc maledici, exprobrent meæ conjungi mihique me exercere lenocinium: quid opus habemus iis?* CH. *Per Herculem tu rectè dicis, & ego tibi assentior; sed quid fiet nunc ex illa?* DE. *Benè; ego emam tuæ matri aliquam servam, aut Ægyptiam, aut Syram virili robore, bonam* ministerio; *sed deformem ut decet matrem familias; ea molet, conficiet pensum, vapulabit, & nulla fiet injuria nostris liminibus ejus causa.* CH. *Quid ergo si remittatur ad illum, à quo eam mercatus sum?* DE. *Nullomodo.*

ANNOTATIONES.

73. *Occentent ostium.*] Festus, *Occentare dicebant pro convitium facere, cum id clare, & cum quodam canore fieret, ut procul exaudiri posset: quod turpe habebatur, quia non sine causa fieri putatur.* Unde lex vetus, *si quis carmen occentasit quod alteri flagitium faxit capital esto flagitium*, id est, *infamia. Capital.* Id est, *reus capitis & mortis. Flagitatores*, dicti sunt, *fœneratores* quod convitio repetant fœnus. idem dicebatur, *pipulo poscere, pipulo differre; pipulus* est etiam *convitium.*

74. *Impleantur fores elogiorum.*] Elogium hybris vox, mixta è præpositione Latina, & voce Græca, ut *Prologus antelogium*, Gallicè appellamus, *Blazon.* Porrò amatores fores amicarum solebant unguento vinoque perfundere, & ante januam earum noctem vigiliis & cantu transigere. Si quid in laudem amicarum inscriberent, id cretâ, si quid in vituperationem, carbone notabant. Ex hoc loco tamen patet, & laudes carbone notatas. Laudes autem erant breves, & pauciissimis verbis comprehensas, ut *Pasicompsa pulchra.*

CH. Dixit se redhibere, si non placeat. *DE.* nihil istoc opu'st:
Litigare nolo ego vos. quàm tuam autem accusari fidem.
Multò edepol, si quid faciendum est, facere damni mavolo,
Quàm approbramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculentè vendere.
CH. Dum quidem hercle ne minoris vendas, quàm ego emi, pater.
DE. Tace modò: senex est quidam, qui illam mandavit mihi
Ut emerem ad istanc faciem. *CH.* at mihi quidam adolescens, pater,
Mandavit ad illam faciem, ita ut illa est, emerem sibi.
DE. Viginti minis, opinor, posse me illam vendere.
CH. At ego, si velim, jam dantur septem & viginti minæ.
DE. At ego. *CH.* quin ego inquam. *DE.* at nescis quid dicturus sum, tace.
Treis minas accudere etiam possum, ut triginta sient.
CH. Quò vortisti? *DE.* ad illum, qui emit. *CH.* ubi nam est is homo gentium?
DE. Eccillum video. jubet quinque me addere etiam nunc minas.
CH. Hercle illunc dii infelicent, quisquis est. *DE.* ibidem mihi
Etiam nunc adnutat; addam sex minas. *CH.* septem, mihi.
Nunquam edepol me vincet hodie. commodis poscit, pater.

INTERPRETATIO.

CH. *Pollicitus est se redditurum pretium, si minimè grata sit.* DE. *Non oportet facere; nolo ego inter vos intercedere litem. Profectò multò malo affici detrimento, si quid perferendum est; desiderari tuam fidem, quàm manare ab ædibus aliquod dedecus, aut crimen muliebre: opinor me posse illam vendere carissimè tuo nomine.* CH. *Dummodò non vendas minoris, quàm ego mercatus sum, pater.* DE. *Sile modò: est quidam senex qui me rogavit, ut unam mercarer præditam eâ pulchritudine.* CH. *Sed est quidam juvenis, pater, qui me rogavit ut compararem suo nomine eâ venustate quâ est.* DE. *Existimo me posse accipere de illa viginti minas.* CH. *At ego si velim, numerentur nunc viginti septem minæ.* DE. *At ego.* CH. *Quin ego, inquam.* DE. *At ignoras, quid sim dicturus; sile. Possum adhuc adjicere tres minas, ut sint triginta.* CH. *Quò te convertisti?* DE. *Ad illum, qui emit.* CH. *Ubinam est is homo?* DE. *Ecce, video; me jubet addere adhuc nunc quinque minas.* CH. *Per Herculem Dii illum infelicem reddant, quisquis est.* DE. *Idem mihi innuit nunc, ut adjungam adhuc sex minas.* CH. *Per ædem pollucis non me superabit hodie;* at is cui emi innuit *mihi, ut septem addam. Pater, postulat eam integris* minis.

ANNOTATIONES.

84. *Se redhibere.*] Pro redhibiturum esse; nam redhibere est hoc loco recipere, quasi dicas rehabere, litterâ d interjectâ; redamare, quasi reamare; redintegrare, quasi reintegrare. Igitur redhibere est recepturum esse. Nisi redhibere hoc loco significet illum, qui vendidit Pasicompsam, redhibiturum, & redditurum pecuniam pro illa acceptam; nam redhibere apud jurisconsultos, significat reddere. Ulpianus: *redhibere est facere, ut rursus habeat venditor quod habuerit: & quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata. Quasi redditio.*

91. *Ad istanc faciē.*] *Une fille de cét air là.*

101. *Commodis.*] Commodæ minæ sunt integræ, totæ justi ponderis quibus nihil accisum est, quæ orbem & circulum habent integrum ac rotundum. Poscit, id est, *licitatur.*

DE. Nequiquam poscit: ego habebo. *CH.* at illic pollicitu'st prior.
DE. Nihili facio. *CH.* quinquaginta poscit. *DE.* non centum datur.
Potine ut ne licitere adversum animi *mei* sententiam ?
Maximam hercle habebis prædam ; ita ille est, cui emitur, senex:
Sanus non est ex amore illius. quod posces ; feres.
CH. Certò edepol adolescens ille, cui ego emo, effictim perit
Ejus amore. *DE.* multo hercle ille magis senex, si tu scias.
CH. Numquam edepol fuit neque fiet ille senex insanior
Ex amore, quàm ille adolescens, cui ego do hanc operam, pater.
DE. Quiesce, inquam. istanc rem ego rectè videro. *CH.* quid agis?
DE. quid est ?
CH. Non ego illam mancupio accepi. *DE.* sed ille illam accipit. sine.
CH. Non potes tu lege vendere illam. *DE.* ego aliquid videro.
CH. Post autem communis est illa mihi cum alio. quî scio
Quid sit ei animi ; vænirene eam velit ? an non velit ?
DE. Ego scio velle. *CH.* at pol ego esse credo aliquem, qui non velit.
DE. Quid id meâ refert ? *CH.* quia illi suam rem esse æquum est in manu.
DE. Quid ais ? *CH.* communis mihi illa est cum alio : is nunc hîc non adest.
DE. Prius respondes, quàm rogo. *CH.* prius tu emis, quàm vendo, pater.

INTERPRETATIO.

DE. *Ille frustra offert : ego habebo.* CH. *Sed ille obtulit prior.* DE. *Nihil curo.* CH. *Offert quinquaginta minas.* DE. *Non habebit si centum offerat. Visne pretio decertare contra voluntatem meam ? Profectò obtinebis ingentem quæstum. Sic est affectus senex cujus gratia emitur. Insanit præ amore illius : accipies, quod postulabis.* CH. *Profectò ille juvenis pro quo eam emo, emoritur penitus ejus amore.* DE. *Per Herculem ille senex multo magis ardet, si tu nosces.* CH. *Per ædem Pollucis nunquam ille senex fuit, neque fiet amentior ex amore, quàm ille juvenis, cui ego colloco hanc operam, ô pater.* DE. *Mane, inquam : ego examinavero benè hanc rem.* CH. *Quid facis ?* DE. *Quid est ?* CH. *Non illam accepi mancipio.* DE. *Sed ille illam accipit : sine.* CH. *Tu non potes illam vendere lege.* DE. *Ego videro aliquid.* CH. *Præterea illa mihi est communis cum alio. Quomodo scire possum, quid sit ejus mens ; utrum velit eam vendi, an nolit ?* DE. *Ego scio velle.* CH. *Sed per Pollucem ego existimo esse quempiam, qui nolit.* DE. *Quid id meâ refert ?* CH. *Quia est par, suas res illi esse in potestate.* DE. *Quid dicis ?* CH. *Habeo illam communem cum alio : ille non adest nunc hîc.* DE. *Respondes antequàm interrogo.* CH. *Tu emis antequàm vendo, pater.*

ANNOTATIO.

112. *Sed ille illam.*] Rejicit pater objectionem filii. Nihil referre de mancipio, quoniam licet ipse non acceperit, accipere tamen illum senem, nec deterreri ab emptione, quòd evictionis periculum non præstetur.

Nescio, inquam, velit ille illam nécne abalienarier.
DE. Quid illic quidam, qui mandavit, cùm ille nolet? nihil agis.
Nunquam edepol quisquam illam habebit potius, quam ille quem ego volo.
Certum est. *CH.* censen' certum esse? *DE.* quin ad navim jam hinc eo. [placet
Ibi vænibit. *CH.* vin' me tecum illò ire? *DE.* nolo. *CH.* non
DE. Meliu'st te, quæ sunt mandatæ res tibi, prævortier.
CH. Tu prohibes. *DE.* at tu excusato, te fecisse sedulò.
Ad portum ne bitas, dico jam tibi. *CH.* auscultabitur.
DE. Ibo ad portum, & ne hîc rescisçat cauto opu'st. non ipse emam,
Sed Lysimacho amico mandabo. is se ad portum dixerat
Ire dudum. me moror, cum hîc asto. *CH.* nullus sum, óccidi.

INTERPRETATIO.

Nescio, inquam, utrum velit illam vendi, nécne. DE. *Quis ille, quem dicebas modò tibi mandasse ut emeres? Si ille* cui est tecum communis *nolit, nihil proficis. Per eadem Pollucis nullus eam habebit potius, quàm ille quem ego volo. Hoc decretum est.* CH. *Putásne certum esse?* DE. *Hinc ad navim pergo; ibi vendetur.* CH. *Visne me pergere tecum eò?* DE. *Nolo.* CH. *Non placet.* DE. *Est satius te antea obire res, quæ tibi sunt demandatæ.* CH. *Tu vetas.* DE. *Sed tu excusato temet te fecisse quidquid in te fuit. Tibi dico ne eas ad portum.* CH. *Obtemperabo.* DE. *Ibo ad portum, & cavendum est, ne hic resciat; non emam ipse, sed rem demandabo amico Lysimacho. Dixerat sese iturum ad portum: me moror, quando asto hic.* CH. *Perii, occidi.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

CHARINUS expostulat cum amico suo Eutycho propter ereptam sibi Pasicompsam à patre: amicus amicum solatur, quantum in se est, & pollicetur certam opem.

CHARINVS, EVTYCHVS.

CHARINVS.

PENTHEUM diripuisse ajunt Bacchas. nugas maximas
Fuisse credo, præut quo pacto ego divorsus distrahor.

INTERPRETATIO.

Referunt Bacchas discerpsisse Pentheum. Arbitror fuisse nugas meras, si id conferatur cum dolore, quo ego differor in varias partes.

ANNOTATIO.

1. *Pentheum.*] Pentheus Thebarum rex cum curiosius observaret Orgia Bacchi, quæ celebrabantur à fœminis, quæque citra grande piaculum viri non possent videre, Agave ejus mater, matertera Ino & Autonoë Bacchi OEstro percitæ eum in frusta discerpserunt, ratæ esse aprum.

Cur ego vivo? cur non morior? quid mihi est in vitâ boni?
Certum est, ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo:
Quando id mihi adimitur, quâ causâ vitam cupio vivere.
EU. Mane, mane obsecro, Charine. *CH.* qui me revocat? *EU.* Eutychus
Tuus amicus & sodalis, simul vicinus proximus.
CH. Non tu scis, quantum malarum rerum sustineam. *EU.* scio.
Omnia ego istæc auscultavi ab ostio: omnem rem scio.
CH. Quid id est quod scis? *EU.* tuus pater vult vendere. *CH.* omnem rem tenes.
EU. Tuam amicam. *CH.* nimium multum scis. *EU.* tuis ingratiis.
CH. Plurimum tu scis. sed quî scis esse amicam illam meam?
EU. Túte heri ipsus mihi narrasti. *CH.* satin' ut oblitus fui,
Tibi me narravisse! *EU.* haud mirum factum est. *CH.* te nunc consulo.
Responde, quo leto censes me ut peream potissimum?
EU. Non taces? cave istuc dixis. *CH.* quid vis me igitur dicere?
EU. Vin' patri sublinere pulcrè me os tuo? *CH.* sanè volo.
EU. Vísne eam ad portum? *CH.* quî potius, quàm voles? *EU.* atque eximam
Mulierem pretio? *CH.* quî potius, quàm auro expendas? *EU.* unde at erit id?

Interpretatio.

Quare ego sum superstes? Quare non intereo? Quid mihi est jucundi in vitâ? Ratum est me conferre ad medicum, & me extinguere hausto veneno, quandoquidem id mihi eripitur, cujus gratiâ exopto vivere. EU. *Amabo Charine sta, sta.* CH. *Quis me revocat?* EU. *Euthycus tuus amicus, & socius, & unà vicinus proximus.* CH. *Tu nescis, quantum mali perferam.* EU. *Novi. Audivi universa hæc ab janua: teneo rem omnem.* CH. *Quid tenes?* EU. *Pater tuus vult vendere.* CH. *Tenes rem universam,* EU. *Tuam amicam.* CH. *Tenes multò nimium.* EU. *Te invitò.* CH. *Tu nosti apprime: sed quomodo nosti illam esse meam amicam?* EU. *Tu ipse mihi dixisti heri.* CH. *Itáne vero oblitus sum me tibi aperuisse?* EU. *Non est ita mirum.* CH. *Te consulo nunc. Repone, quo fato putas mihi esse occumbendum?* EU. *Non siles: vide ne id dixeris* CH. *Quidvis igitur ut dicam?* EU. *Vísne ut ludificem egregiè tuum patrem?* CH. *Volo sanè.* EU. *Vísne eam ad portum?* CH. *Quomodo velocius eas, quàm si volaveris?* EU. *Atque emam mulierem auro?* CH. *Quid melius, quàm ut auro redimas?* EU. *Sed unde id habebis?*

Annotationes.

4. *Toxico.*] Plinius. lib. 16. cap. 10. *Hanc* (de taxo loquitur) *Sestius Smilacem vocari dixit, & esse in Arcadia, tam presentis veneni, ut si quis sub ea dormiat, cibumve capiat, moriatur. Sunt, qui & toxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc taxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur.*

8. *Non tu scis.*] Quasi dicat; si scires meam vicem, doleres.

18. *Quî potius quàm voles.*] Quasi dicat; utinam potius volares, quàm ires, adeò sum moræ impatiens.

19. *Quî potius, quàm auro expendas.*] Utinam aurum contra emas.

CH. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector quî expensus fuit.
EU. Sanun' es? *CH.* pol sanus si sim, non te medicum mihi expetam.
EU. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? *CH.* auctarium Adjicito, vel mille nummûm plus quàm poscet. *EU.* jam tace. Sed quid ais? unde erit argentum, quod des, cùm poscet pater?
CH. In venietur, exquiretur, aliquid fiet. *EU.* enicas. Jam istuc, aliquid fiet, metuo. *CH.* quin taces? *EU.* muto imperas.
CH. Satin istuc mandatu' st? *EU.* potin' ut aliud cures? *CH.* non potest.
EU. Bene vale. *CH.* non edepol possum, priusquam tu ad me redieris.
EU. Melius sanus sis. *CH.* vale & vince & me serva. *EU.* ego fecero.
Domi maneto me. *CH.* ergo actutum face cum prædâ recipias.

INTERPRETATIO.

CH. *Rogabo Achillem, ut mihi numeret aurum, quo Hector fuit redemptus.* EU. *Esne sanus?* CH. *Per Pollucem si essem sanus non optarem te esse meum medicum.* EU. *Visne illam* emi *tanti, quanti postulat?* CH. *Adde vel mille numos plusquàm offeret.* EU. *Jam sile: sed quid ais? Unde habebis pecuniam, quam des, quando postulabit pater.* CH. *Reperietur; fiet aliquid.* EU. *Interimis; metuo jam istud* verbum *fiet aliquid.* CH. *Quare non taces?* EU. *Mandas elingui.* CH. *Istúdne est satis imperatum?* EU. *Aliud cura.* CH. *Nequeo.* EU. *Bene vale.* CH. *Per eadem Pollucis, nequeo bene valere, antequam reversus sis ad me.* EU. *Sis magis sanus.* CH. *Vale & vince & me serva.* EU. *Ego perficiam; expecta me domi.* CH. *Igitur fac ut te recipias statim huc cum prædâ.*

ANNOTATIONES.

25. *Aliquid fiet.*] Idcircò abhorret ab hac voce Charinus, aliquid fiet, quòd & in futurum tempus videtur rejici remedium doloris, & incertum adhuc sit.

29. *Melius sanus sis.*] Melius tibi consulueris, si sanus sis.

30. *Domi maneto me.*] Id est, expecta me.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

LYSIMACHUS paret amici Demiphonis cupiditati: pergit ad portum: inde domum suam deducit Pasicompsam; conducuntur coqui ad cœnam opiparam intruendam. Interea Euthycus amicus Charini

Charini nunciat amico non esse à se repertam in portu Pasicompsam; sed fuisse abductam à Lysimacho; hîc Charinus voluntarium meditatur exilium.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

DEDUCIT Lysimachus Pasicompsam in ædes suas absente uxõre, ut velificetur amori amici sui Demiphonis.

LYSIMACHVS, PASICOMPSA.

LYSIMACHVS.

AMICE amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. mea es tu: sequere sanè:
Ne plora: nimis stultè facis, oculos corrumpis tales.
Quid? tibi quidem quod rideas magis est, quàm ut lamentere.
PA. Amabo ecastor, mi senex, eloquere. *LY.* exquire quid vis.
PA. Cur emeris me? *LY.* téne ego? ut quod imperetur facias.
Item quod tu mihi imperes ego faciam. *PA.* facere certum est,
Pro copiâ & sapientiâ, quæ te velle arbitrabor.
LY. Laboriosè nihil tibi quicquam operis imperabo.
PA. Namque edepol quidem, mi senex; non didici bajulare,
Nec pecua ruri pascere, neque pueros nutricare.
LY. BONA SI esse vis, bene erit tibi. *PA.* tum pol ego perii misera.
LY. Quî? *PA.* quia illîc unde advecta huc sum, malis bene esse solitum'st:

INTERPRETATIO.

LY. *Opitulatus sum amice amico: emi hanc mulierem sicut* Demipho *meus vicinus precatus est. Tu ad me pertines; sequere profectò: ne lachrymare. Agus insulsius. Fœdas ejusmodi oculos quid? Est magis quod lateris, quàm quod doleas.* PA. *Dic quaso, mi senex.* LY. *Siscitare. Quid vis?* PA. *Quare me mercatus es?* LY. *Quærisne cur ego te* emerim: *ut agas quod mandabitur. Item ego exsequar, quod tu mihi demandaveris.* PA. *Constitui apud me agere, quæ arbitrabor te optare pro viribus & ingenio.* LY. *Nihil tibi mandabo quidquam operis gravioris.* PA. *Per ædem Pollucis, mi senex, non assuevi onera portare; neque enutrire pecudes ruri; neque educare pueros.* LY. *Si vis esse bona, tibi erit bene.* PA. *Tum per Pollucem ego perii infœlix.* LY. *Quare?* PA. *Quia mos est apud eos à quibus profecta sum, ut sit bene malis.*

ANNOTATIONES.

1. *Operam dedi.*] Opem tuli.
3. *Oculos corrumpis tales.*] *Tales*, id est, tam pulcros.

Nec mos meu'st ut prædicem quod ego omnes scire credam.
LY. Oratio edepol pluris est hujus, quàm quanti hæc empta'st:
Quasi dicas NULLAM mulierem bonam esse. *PA.* haud equidem dico.
LY. Rogare hoc unum te volo. *PA.* roganti respondebo.
LY. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse? *PA.* Pasicompsæ.
LY. Ex formâ nomen inditum'st. sed quid ais, Pasicompsa?
Possin tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?
PA. Possim. *LY.* si tenue scis, scio te uberius posse nere.
PA. De lanificio neminem metuo, unâ ætate quæ sit.
LY. Bonam hercle te & frugi arbitror, maturâ jam inde ætate.
Quoniam scis facere officium tuum, mulier. *PA.* pol docta didici.
Operam accusari non sinam meam. *LY.* hem, istæc hercle res est.
Ovem tibi ancillam dabo natam annos sexaginta
Peculiarem. *PA.* mi senex, tam vetulam? *LY.* generis Græci est,
Eam si curabis, perbona est, tondetur nimiùm scitè.
PA. Honoris caussâ quicquid est quod dabitur, gratum habebo.
LY. Nunc, mulier, ne tu frustra sis, mea non es, ne arbitrêre.
PA. Dic igitur, quæso, cuja sum? *LY.* tuo hero redempta es; rursum,

INTERPRETATIO.

Neque soleo dicere id quod ego existimem omnes tenere. LY. *Per ædem Pollucis hujus sermo pluris estimandus est, quàm quanti empta est. Quasi dicas nullam mulierem esse bonam.* PA. *Sanè non dico.* LY. *Volo à te scisciteri hoc unum.* PA. *Reponam interroganti.* LY. *Dic mihi, Quod nomen habes?* PA. *Pasicompsa.* LY. *Nimirum hoc nomen est impositum à venustate. Dic mihi Pasicompsa; posses ne tu, si opus fuerit, nere subtemen tenue?* PA. *Possem.* LY. *Si possis nere* tenue, *scio te posse nere crassius.* PA. *Nulli concedo meæ ætatis in lanificio.* LY. *Per Herculem existimo te esse mulierem bonam, & probam, in adulta ætate, quoniam scis fungi tuo officio.* PA. *Per Pollucem didici à docta magistra. Non patiar reprehendi meum laborem.* LY. *Hem, per Herculem sitta res habet, tibi addam ancillam peculiarem ovem natam sexaginta annos.* PA. *Mi senex, tot annis natam?* LY. *Est Græca si ejus curam geras, est optima; tunde debitur nimis scite.* PA. *Mihi erit acceptum quidquid dabitur honoris gratiâ, quidquid sit.* LY. *Nunc, mulier, ne fallaris, non ad me pertines, ne putes.* PA. *Dic igitur rogo ad quẽ pertineo?* LY. *Fuisti empta iterũ pro tuo hero;*

ANNOTATIONES.

20. *Subtemen.*] A *sub* & *temen. Temen à texo, quasi teximen.* Varro: *Stamen à stando, quòd eo stat omne in tela velamentum. Trama quod trameat subtemen, quod subit stamini.*

26. *Ovem tibi ancillam dabo natam annos sexaginta.*] Moris erat apud Græcos, ut non nisi deformes & vetulas darent ancillas uxoribus suis, ac fermè Afras aut Ægyptias; unde eis dabant nomina quibus earum deformitas notaretur quemadmodum Pitecium à nomine Græco, quod Simiam significat, quod idcirco faciebant, ne lenocinium exercere viderentur, si & juvenes & formosas uxoribus suis addidissent comites. Ovem appellat vetulam capite cano, & velleri ovili simili.

27. *Generis Græci est.*] Id est, Tarentina est: Tarentum autem erat Urbs magnæ Græciæ. Ovium Tarentinarum erant laudatissima vellera, quæ quo molliora essent, vestitæ pascebantur oves.

Ego redemi te : ille me oravit. *PA.* animus rediit,
Si mecum ſervatur fides. *LY.* bono animo es, liberabit
Ille te homo : *ita* edepol deperit *te*, atque hodie primùm vidit.
PA. Ecaſtor jam biennium eſt, cùm mecum rem cœpit :
Nunc, quando amicum te ſcio eſſe illius, indicabo.
LY. Quid ais ? tu ? jam biennium eſt, cùm tecum habet rem ?
PA. certò.
Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, & ille mecum,
Ego cum viro, & ille cum muliere : niſi cum illo, aut ille mecum,
Neuter ſtupri cauſsâ caput limaret. *LY.* dii immortales,
Etiam cum uxore non cubet ? *PA.* amabo, an maritus eſt ?
Neque eſt, neque erit. *LY.* nolim quidem. homo hercle perjuravit.
PA. Nullum adoleſcentem plus amo. *LY.* puer eſt ille quidem, ſtulta.
Nam illi quidem haud ſanè diu eſt, cùm dentes exciderunt.
PA. Quid, dentes ? *LY.* nihil eſt : ſequere ſis huc me. diem unum oravit
Ut apud me præhiberem locum : ideo, quia uxor ruri eſt.

INTERPRETATIO.

ego te redemi : ille me rogavit. PA. *Recreata ſum, ſi fides mihi ſervatur.* LY. *Eſto bono animo, ille homo te manumittet. Per ædem Pollucis ubi primùm te conſpicatus eſt hodie, te perdite amavit.* PA. *Per ædem Caſtoris jam ſunt anni duo, ex quo incœpit rem mecum. Nunc detego quoniam intelligo te eſſe amicum ejus.* LY. *Quid dicis ? tu ? jam eſt biennium, ex quo habet rem tecum ?* PA. *Certò ; & conjuravimus inter nos, ego cum illo, ille mecum ; ego cum viro, & ille cum muliere.* LY. *Dii immortales, non cubet etiam cum uxore !* PA. *Rogo, éſtne maritus ? Neque eſt, neque erit.* LY. *Nolim per Herculem. Sane homo eſt perjurus.* PA. *Nullum juvenem diligo magis.* LY. *Ille quidem eſt puer, ſtulta. Nam non diu eſt ſanè ex quo dentes illi exciderunt.* PA. *Quid dentes ?* LY. *Eſt nihil : ſequere me huc ſi vis. Oravit ut præberem hodie locum apud me diem unum, quia uxor eſt ruri.*

ANNOTATIONES.

34. *Atque hodie primum vidit.*] Id eſt, ſimul atque vidit ; ſtatim atque vidit.

40. *Neuter ſtupri cauſa caput limaret.*] Conjungeret.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

GRATULATUR ſibi libidinoſus ſenex, quòd in caſſes ſuos incidiſſe putat Paſicompſam, mox irridendus.

DEMIPHO.

TANDEM impetravi, ut egomet me corrumperem.
Empta est amica clam uxore meâ & filio.
Certum est; antiqua recolam, & servibo mihi.
Decurso in spacio, breve quod vitæ reliquum est,
Voluptate, vino & amore delectavero.
„Nam HANC SE BENE habere ætatem nimio est æquius.
„ADOLESCENS cùm sis, tum cùm est sanguis integer,
„Rei tuæ quærendæ convenit operam dare:
„DEMUM IGITUR cùm senex sis, tunc in otium
„Te colloces, dum potestur: id jam lucro est
Quod vivis. hoc ut dico, factis persequar.
Interea tamen huc intrò ad me invisam domum.
Uxor me exspectat jamdudum esuriens domi.
Jam jurgio enicabit, si intrò rediero.
Verùm hercle postremo utut est, non ibo tamen,
Sed hunc vicinum prius conveniam, quàm domum
Redeam. ut mihi ædeis aliquas conducat volo,
Ubi habitet istæc mulier. atque eccum it foras.

INTERPRETATIO.

DEM. *DEmum sum consequutus à me, ut ego me ipse corrumperem. Empta est amica mea uxore insciâ & filio; ratum est ut repetam antiquam rationem vitæ, & mihi indulgeam; oblectavero spatium breve* vitæ, *quod superest conficiendum voluptate, vino, & amore. Etenim est æquissimum hanc partem vitæ jucunde traducere. Quando es juvenis, quando sanguis calet, decet te incumbere parandis fortunis: itaque quando es senex, tum tu concedas in otium, dum fieri potest. Id jam apponitur lucro, id quod vivis. Faciam ut dico; attamen interim ingredior huc ad me: uxor me expectat jam pridem esuriens domi; jam obruet convitiis. Si reversus sim in ædes, at tandem quoquo modo se res habet, tamen non ingrediar; sed adibo hunc vicinum antequam revertar in ædes. Volo ut mihi conducat quasdam ædes, ubi maneat hæc mulier: sed ecce egreditur.*

ANNOTATIONES.

4. *Decurso in spatio.*] Supple vitæ.

7. *Sanguis integer.*] Purior videlicet in juvenibus est sanguis, quàm in senibus: calet etiam magis juvenilis sanguis, quàm senilis; atque adeò in eo plus vitalium spirituum, quo fit ut & integer dicatur.

10. *Dum potestur.*] Dum potes.

ACTUS TERTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

FLAGRAT amore Demipho, & nisi ejus impetum coërceat libidinis amicus Lysimachus, statim irrumpat indecorè & inverecundè in ejus ædes, ad explendam cupiditatem.

LYSIMACHVS, DEMIPHO.

LYSIMACHVS.

ADDŪCAM ego illum jam ad te, si convenero.
DE. Me dicit. *LY.* quid ais, Demipho? *DE.* est mulier domi?
LY. Quid censes? *DE.* quid si visam? *LY.* quid properas? mane.
DE. Quid faciam? *LY.* quod opus est facto, facito ut cogites.
DE. Quid cogitem? equidem hercle opus hoc facto existimo
Ut illuc introeam. *LY.* itáne verò, vervex, intrò eas?
DE. Quid aliud faciam? *LY.* prius hoc ausculta, atque ades.
Prius etiam est, quod te facere ego æquum censeo.
Nam nunc si illò introieris, amplecti voles,
Confabulari atque osculari. *DE.* tu quidem
Meum animum gestas: scis quid acturus siem.
LY. Pervorsè facies. *DE.* quódne ames? *LY.* tanto minus.
Jam plenus ætatis animâque fœtidâ,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utíne adveniens vomitum excutias mulieri?
Scio pol te amare, quum istæc præmonstras mihi.
DE. Quid si igitur (unum factum hoc si censes) coquum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat

INTERPRETATIO.

LYS. *EGo illum ad te adducam mox, si invenero.* DE. *Loquitur de me.* LY. *Quid dicis, Demipho?* DE. *Pasicompsa est in ædibus?* LY. *Quid existimas?* DE. *Quid si conspiciam?* LY. *Quid acceleras? consiste.* DE. *Quid agam?* LY. *Da operam ut mediteris quid oporteat agere.* DE. *Quid meditabor? equidem per Herculem arbitror oportere, ut illuc ingrediar.* LY. *Itáne verò, vervex, ingrediaris?* DE. *Quid agam aliud?* LY. *Audi hoc antea, atque ades,* animo. *Est ad-huc* aliquid, *quod reor par esse te agere antea; nam si ingrediaris illuc nunc, voles complecti, colloqui & osculari.* DE. *Tu profectò tenes meam mentem: scis quid sim facturus.* LY. *Ages malè.* DE. *Dicisne id, quia eam amas?* LY. *Minimè verò: sed tu macilentus animâ grave olenti, senex putidus, osculere mulierem? Idne facies ut tuo adventu moveas vomitum mulieri? Intelligo per Pollucem me à te diligi, quando mihi ostendis hæc.* DE. *Quid si ergo accipiamus aliquĕ coquum, qui percoquat prædium*

ANNOTATIONES.

6. *Vervex.*] Homo impudicus, & propter ætatem effœtus, ut vervex.

7. *Ausculta atque ades.*] Alii *atque adis*; id est, antequam adeas Pasicompsam, audi me, & deinde adibis si volueris.

12. *Quodne ames.*] Idne dicis idcirco, quia amas Pasicompsam.

13. *Jam plenus ætatis anima fœtida.*] Alii jejunitatis plenus. Ii enim qui nondum gustarunt cibum, graviorem solent habere animam.

14. *Hircosus.*] Sidonius Apollinaris *specus alarum hircosos* appellat, axillas *graveolentes*.

17. *Unum factum.*] Id est, bonum factum: bonum autem factum est formulâ approbantis, quod propositum est, orationis. Etiam in edictis inscribi solita.

Apud te hîc usque ad vesperum ? *LY.* hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loquere atque amatoriè.
DE. Quid stamus ? quin ergo imus, atque obsonium
Curamus, pulcrè ut simus ? *LY.* equidem te sequor.
Atque hercule invenies tu locum illi, si sapis.
Nullum hercle, præter hunc, diem illa apud me erit :
Metuo ego uxorem, cras si rure redierit,
Ne illam hîc offendat. *DE.* res parata est, sequere me.

INTERPRETATIO.

hîc apud te usque ad vesperam, si existimas esse faciendum id ? LY. *Profectò existimo ; jam tu loqueris sapienter & amatoriè.* DE. *Igitur quid stamus ? Quin pergimus & curamus obsonia, ut epulemur festivè.* LY. *Ego per Herculem te sequor, & sapis si tu illi reperies locum. Illa non erit apud me præter hunc diem ; ego timeo ne uxor, si reversa fuerit, illam offendat.* DE. *Res est instructa ; sequere me.*

ANNOTATIO.

22. *Pulchre ut simus.*] Pro, pulchrè ut nobis sit.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

EUTHYCHUS reversus à portu eo consilio, ut emeret Pasicompsam, in gratiam amici sui Charini, eâ minimè inventâ, utpotè jam à Lysimacho abductâ, rem re nunciatâ Charino, hic despondet animo, & in exilium voluntarium sese conferre meditatur.

CHARINVS, EVTHICVS.

CHARINVS.

SUMNE ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere ?
Si domi sum, foris est animus : sin foris sum, animus domi est.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium :
Nî oculos lacrimæ defendant, jam ardeat, credo, caput.
Spem teneo, salutem amisi : redeat an non, nescio.
Si opprimit pater, quod dixit ; exulatum abiit salus :

INTERPRETATIO.

CHAR. *Nonne ego sum infelix, qui nullibi possum quiete frui ? Si sum in ædibus, mens est foris : si sim foris, mens est in ædibus. Tantum incendium amor excitat in pectore, atque in corde : nisi fletus prohiberent ignem ab oculis, puto caput nunc incenderetur. Spes est in manu ; perdidi salutem : nescio utrum revertatur, an non : si pater me obruit, sicut dixit, salus fugit longe :*

ANNOTATIO.

6. *Si opprimit pater.*] Id est, si pro authoritate quâ pollet pater in filium, abducat à me Pasicompsam.

Sin ſodalis, quod promiſit, fecit; non abiit ſalus.
Sed tandem ſi podagroſis pedibus eſſet Eutychus,
Jam à portu rediiſſe potuit. id illi vitium maximum'ſt,
Quòd nimis tardus eſt, advorſum mei animi ſententiam.
Sed iſne eſt, quem currentem video? ipſus eſt. ibo obviam.
Divûm atque hominum quæ Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem ſperatam cùm obtuliſti hanc mihi, tibi grates ago.
Nunquid reſtat? eheu diſperii! vultus neutiquam hujus placet:
Triſtis incedit, pectus ardet: hæreo, quaſſat caput.
Eutyche. *EU.* heu! Charine. *CH.* priuſquam recipias anhelitum,
Uno verbo eloquere: Ubi ego ſum? hîccine an apud mortuos?
EU. Neque apud mortuos, neque hîc es. *CH.* ſalvus ſum: immortalitas
Mihi data eſt: hic emit illam: pulcrè os ſublevit patri.
Impetrabilior qui vivat nullus eſt. dic obſecro:
Si neque hîc, neque Acherunti ſum, ubi ſum? *EU.* nuſquam gentium.
CH. Diſperii: illæc interemit me modò *hîc* oratio.
„Odiosa est oratio, cùm rem agas, longinquum loqui.

Interpretatio.

Sin ſocius egit id quod pollicitus eſt, ſalus non fugit. At denique ſi Euthycus podagra laboraret, nunc reverſus eſſet à portu: hoc tenetur vitio maximo, quòd eſt valdè lentus, contra meam ſententiam: ſed éſtne ille quem conſpicio accelerantem? Eſt ipſe; occurram. O Fortuna! *quæ Contemplatrix atque Domina eadem Deorum atque hominum, tibi ago gratias, quod jam mihi dediſti hanc ſpem certam, nónne aliquid* ſpei *ſupereſt? Heu occidi! vultus hujus nullo modo placet. Ambulat mœſtus; mens flagrat, ſum anceps, concutit caput. Eutyche.* EU. *Heu! Charine,* CH. *Antequam reſorbeas ſpiritum edic uno verbo. Ubi ſum ego? Súmne hic an apud mortuos?* EU. *Neque apud mortuos es, neque hîc.* CH. *Sum ſalvus: mihi data eſt immortalitas: hic illam mercatus eſt: fefellit ingeniosè patrem. Eſt nullus qui impetret facilius quidquid velit. Dic amabo, ſi non ſum, neque hîc, neque in Inferis, ubi ſum?* EU. *Nuſquam gentium.* CH. *Interii! ille ſermo me confodit; nunc eſt ſermo odioſus, longâ oratione uti, quando de re agitur.*

Annotationes.

8. *Podagroſis pedibus.*] Quia qui podagrâ laborant ægrè incedunt.

12. *Quæ ſpectatrix.*] Fortuna antiquitus dicebatur ſpectatrix. Hera hominum θεάστεια. Catullus: *Hoſtia celeſtes pacificaſſet Heros.* Id eſt, *Deos.* Idem, *quem temerè invitus ſuſcipiatur heris.*

14. *Nunquid reſtat?*] Quod ſperem.

15. *Pectus ardet.*] In vehementioribus animi affectibus gravius vibratur cor, & motu incaleſcit.

20. *Impetrabilior.*] *Impetrabilis* activè dicitur, qui aliquid impetrare poteſt.

21. *Nuſquam.*] Id eſt, pluſquàm mortuus. Ovidius:

——— *neſcit an vita fruatur,*
An ſit apud manes: ſed quam non invenit uſquam,
Eſſe putat nuſquam.

Statius: *Nuſquam capita ardua belli.* Id eſt, interiere duces. Propertius: *Dilapſis nuſquam eſt Amphiaraus equis.*

Quicquid est, ad capita rerum perveni. *EU.* primum omnium
Periimus. *CH.* quin tu illud potius nuncias, quod nescio.
EU. Mulier alienata est abs te. *CH.* Eutyche, capital facis.
EU. Quî? *CH.* quia æqualem & sodalem civem liberum enicas.
EU. Ne dii sirint. *CH.* demisisti gladium in jugulum: jam cadam.
EU. Quæso hercle, animum ne desponde. *CH.* nullus est, quem desponderam.
Loquere porrò aliam malam rem. cui est empta? *EU.* nescio.
Jam addicta atque abducta erat, cúm ad portum venio. *CH.* væ mihi,
Montis tu quidem mali in me ardentes jamdudum jacis.
Perge, excrucia carnifex, quando quidem occœpisti semel.
EU. Nec tibi istuc magis dividiæ est, quàm mihi hodie fuit.
CH. Dic, quis emit? *EU.* nescio hercle. *CH.* hem! istuccine est operam dare
Bonum sodalem? *EU.* quid me facere vis? *CH.* idem, quod me vides,
Ut pereas. quin percontatu's, hominis quæ facies foret,
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier? *EU.* heu miserum! *CH.* flere omitte, istuc quod nunc agis.
EU. Quid ego feci? *CH.* perdidisti me & fidem mecum tuam.
EU. Dii sciunt, culpam meam istanc non esse ullam. *CH.* euge, papæ!
Deos absentis testes memoras: quî ego istuc credam tibi?

Interpretatio.

Quidquid est, descende ad id, quod est caput rei. EU. *Ante omnia occidimus.* CH. *Cur non aperis tu potius, id quod ignoro?* EU. *Mulier est abducta abs te.* CH. *Eutyche, committis* crimen *capitale.* EU. *Quomodo?* CH. *Quia enecas civem liberum tuum æqualem & sodalem.* EU. *Dii ne patiantur.* CH. *Infixisti ensem in jugulum: corruam mox.* EU. *Rogo per Herculem, ne despondeas animo.* CH. *Mihi nullus est, quo despondeam. Dic porrò aliud infortunium; cui est vendita?* EU. *Nescio: erat jam addicta pretio, & abducta quando perveni ad portum.* CH. *Væ mihi, profectò tu contorques ijam pridem montes igneos mali in me, prosequere, macta, carnifex, quandoquidem incœpisti semel.* EU. *Tibi non est istud majori dolori, quàm mihi fuit hodie.* CH. *Dic, quis emit?* EU. *Nescio per Herculem.* CH. *Hem! istúdne est adjuvare bonum sodalem?* EU. *Quidvis me facere?* CH. *Idem, quod me vides facere, ut pereas: quin interrogasti, quis vultus foret hominis, qui illam emisset? Si posset quari mulier hoc modo!* EU. *Heu me miserum!* CH. *Omitte flere, istud quod nunc facis.* EU. *Quid ego egi?* CH. *Me perdidisti & tuam fidem mecum.* EU. *Dii norunt, meam non esse culpam.* CH. *Euge papæ! appellas Deos testes, qui sunt absentes: quomodo ego tibi fidem habeam in istis?*

Annotationes.

31. *Jam addicta & abducta erat.*] Paricompsa videlicet, quæ addicta fuerat Lysimacho, & ab eo abducta. Addictus & abductus duo verba sunt auctionis.

39. *Istuc quod nunc agis.*] Supp. age; ut sis miser.

EU. Quin

EU. Quin tibi in manu est, quod credas: ego quod dicam, id mihi meâ in manu est.
CH. De istâc re argutus es, ut par pari respondeas:
Ad mandata claudus, cœcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri. egomet credidi
Homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo.
EU. Quid ego facerem? *CH.* quid tu faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares, quis esset, aut unde esset, quâ prosapiâ,
Civis ne esset, an peregrinus. *EU.* civem esse ajebant Atticum.
CH. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis.
EU. Nemo ajebat scire. *CH.* at saltem hominis faciem exquireres.
EU. Feci. *CH.* quâ formâ esse ajebant *ergo*? *EU.* ego dicam tibi:
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum,
Subnigris oculis, oblongis mâlis, pansam aliquantulum.
CH. Non hominem mihi, sed thesaurum, nescio quem, memoras mali.
Nunquid est, quod dicas aliud de illo? *EU.* tantum quod sciam.
CH. Edepol næ ille oblongis mâlis dedit mihi magnum malum.
Non possum durare, certum est exulatum hinc ire me.
Sed quam capiam civitatem, cogito potissimum:
Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam.

INTERPRETATIO.

EU. *Quin tibi est in tuâ potestate mihi fidem habere? in meâ potestate est id quod dico.* CH. *Es acutus in istis, ut remetiaris responso responsum; sed es claudus ad ea quæ demandantur, cœcus, mutus, mancus, debilis: pollicebaris futurum ut circumvenires meum patrem. Egomet existimavi commendare rem acuto viro: commendo eam lapidi obtuso.* EU. *Quid ego molirer?* CH. *Quid tu molireris? Mene interrogas? Pervestigares, interrogares, quis esset, aut unde esset, quo genere, civisne esset, an inquilinus.* EU. *Dixit se esse civem Atticum.* CH. *Reperires saltem, ubi maneret, si non posses recordari nominis.* EU. *Nemo dicebat se scire.* CH. *At peteres saltem, qui vultus esset homini.* EU. *Fetivi.* CH. *Quâ formâ dicebant esse?* EU. *Ego tibi commemorabo: canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum, oculis subnigris, genis pendentibus, pandum aliquantulum.* CH. *Mihi narras non hominem, sed nescio quem cumulum deformitatis. Nunquid est aliud, quod dicas de illo?* EU. *Scio tantum hoc.* CH. *Per ædem Pollucis ille mihi attulit magnũ malum, malis oblongis. Nequeo durare: constitutum est me proficisci in exilium; sed quam civitatem capiam potissimum recogito: Megara, Eretriam, Corynthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum, Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam.*

ANNOTATIONES.

47. *Lapidi maximo.*] Id est, stolido homini & obtuso.

61. *Megaram.*] Urbs Achaïæ, Eretria Thessaliæ, Chalcis Eubœæ.

62. *Sicyonem.*] Sicyoniæ in Peloponneso, Gnidus Doridis in Asiâ, Zacynthus Urbs & Insula maris Ionii, Lesbos Urbs & Insula maris Ægæi, hodie *Mytilene*, Bœotia regio contra Eubœam intermedio Euripo.

EU. Cur istuc ceptas consilium? *CH.* quia enim me afflictat amor.
EU. Quid tu ais? quid, cùm illuc, quò nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare fortè occipias, atque item ejus sit inopia,
Jam inde porrò aufugies? deinde item illinc, si item evenerit;
Quis modus tibi exilio tandem eveniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedò, si hâc urbe abis, amorem te hîc relicturum putas?
Si id fortè ita sat animo acceptum est: id pro certo si habes:
Quanto te satiu'st rus aliquò abire, ibi esse, ibi vivere:
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?
CH. Jam dixisti? *EU.* dixi. *CH.* frustra dixti, hoc mihi certissimum est.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem: postea
Clam patrem patriâ hâc effugiam, aut aliquid capiam consilii.
EU. Ut corripuit se repentè, atque abiit! heu misero mihi!
Si ille abierit, meâ factum omnes dicent esse ignaviâ.
Certum est præconum jubere jam quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant. pòst ad Prætorem illico
Ibo, orabo ut conquisitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil relicti quicquam aliud jam esse intellego.

Interpretatio.

EU. *Quare istud statuis?* CH. *Quia videlicet amor me urget.* EU. *Quid ais tu? Quid facies, quando veneris illuc quò nunc paras ire? Si fortè incipias amare ibi, atque item non adsit quod ames, jam inde aufugies longiùs? Deinde item illinc, si item contigerit: tandem quis modus erit tibi exulandi? Qui finis fugiendi? Quæ natio, aut quæ domus tibi poterit esse fixa? Dic mihi; si ex hac urbe excedis, existimásne amorem te relicturum, si forsitan id tum infixum est in animo: si habes id pro certo, quanto melius est te proficisci aliquo rus, ubi esse, ibi vivere, usque eo dum cupiditas illius, & amor dimittat?* CH. *Jam dixisti.* EU. *Dixi.* CH. *Incassum dixisti, hoc mihi est constitutum. Eo domum ut salutem meum patrem & meam matrem: postea proficiscar ex hâc gente insciis patre & matre, & capiam aliquid consilii.* EU. *Ut se propripuit subitò, atque evasit! heu mihi misero! Si ille profectus sit, omnes dicent esse factum meâ culpâ. Certum est conducere nunc omnes præcones, ut illam quærant, atque reperiant. Postea ibo illico ad Prætorem; rogabo, ut mihi det conquisitores in omnibus vicis: nam video nunc mihi superesse nihil quidquam aliud.*

Annotatio.

78. *Quantum est præconum.*] Id est, quotquot sunt præcones. Pretium indicii *δρεπρον, indicium, nuncium, evangelium* dicebatur.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

REVERSA rure Dorippa ex improviso Pasicompsam domi invenit, & coquos cœnæ apparandæ incumbentes. Eliminat omnes ex ædibus, rata Pasicompsam esse viri sui amicam.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LYSIMACHUS, ut liberum locum præberet amico suo Demiphoni & Pasicompsæ, nuncium miserat uxori Dorippæ, quæ ruri erat, se rus non iturum.

DORIPPA mulier, SYRA anus.

DORIPPA.

QUONIAM à viro ad me rus advenit nuncius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reveni, ut illum persequar, qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem. quin is ocius?
SY. Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero.
DO. Quid oneris? *SY.* annos octoginta & quattuor:
Et eôdem accedit servitus, sudor, sitis:
Simul hæc, quæ porto, deprimunt. *DO.* aliquid cedò
Quî hanc vicini nostri aram, augeam, Syra.
SY. Da sanè hanc virgam lauri. *DO.* abi tu intrò. *SY.* eo.

INTERPRETATIO.

DO. *Quandoquidem nuncius allatus est ad me rus à viro, non venturum rus, ego moram gessi animo meo, reversa sum, ut illum consequar, qui me declinat. Sed non conspicio anum nostram Syram nos sequi. At ecce tandem venit. Quin incedis celerius?* SY. *Non possum per Castorem, adeo magnum est onus, quod gero.* DO. *Quod onus?* SY. *Annos octoginta & quatuor: quo accedit servitus, sudor, sitis: præterea hæc quæ gero obruunt.* DO. *Cedò aliquid Syra, quod imponam huic aræ vicini nostri.* SY. *Cedò hunc ramum lauri.* DO. *Abi ingredere tu.* SY. *Eo.*

DO. Apollo, quæso te, ut des pacem propitius,
Salutem & sanitatem nostræ familiæ,
Meóque ut parcas gnato pace propitius.
SY. Disperii, perii misera, væ miseræ mihi!
DO. Satin' tu sana es, obsecro? quid ejulas?
SY. Dorippa mea, Dorippa. *DO.* quid clamas, obsecro?
SY. Nescio quæ est mulier intus hîc in ædibus.
DO. Quid? mulier? *SY.* mulier meretrix. *DO.* verón' serio?
SY. Nimium scis sapere, ruri quæ non manseris:
Quamvis insipiens poterat persentiscere
Illam esse amicam tui viri bellissimi.
DO. Credo mecastor. *SY.* i hâc mecum, ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.
DO. Ecastor verò! istuc eo, quantum potest.

INTERPRETATIO.

DO. *Apollo, rogo te, ut impertias pacem favens; salutem & sanitatem nostræ familiæ, & ut ignoscas meo filio pace placatus.* SY. *Interii, occidi infœlix! Væ mihi infœlici!* DO. *Esne tu satis sana, amabo? Quid clamas?* SY. *Dorippa mea, Dorippa.* DO. *Quid vociferaris, amabo?* SY. *Nescio quæ mulier est in ædibus.* DO. *Quid? mulier?* SY. *Mulier meretrix.* DO. *Veréne & serio?* SY. *Tu nimis sapis, quæ non morata sis ruri: quantumvis insipiens poterat animadvertere illam esse amicam tui viri lepidissimi.* DO. *Credo per Castorem.* SY. *Veni hâc mecum, ut conspicias mecum tuam pellicem Alcumenam, meam Junonem.* DO. *Per ædem Castoris! eo istuc, quàm velocissime possum.*

ANNOTATIONES.

12. *Apollo.*] προσαπόλος, vel ἀγυιεύς: Id est, qui stabat ante limen, idque extra limen, versâ in vicum facie.

24. *Tuam Alcumenam pellicem.*] Id est, Pasicompsam Dorippæ pellicem, ut Alcmena fuit Junonis.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

REPREHENDIT Lysimachus sumptus Demiphonis in cœnâ, quæ paratur.

LYSIMACHVS.

PARÚMNE est malæ rei, quòd amat Demipho,
Ni sumptuosus insuper etiam siet?

INTERPRETATIO.

LYS. *Esne malum mediocre, quòd Demipho amat, nisi præterea etiam sit profusus?*

Decem vocasset si ad cœnam summos viros,
Nimium obsonavit. sed coquos, quasi in mari.
Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. egomet conduxi coquum.
Sed eum demiror non venire ut jusseram.
Sed qui hinc nam à nobis exit? aperitur foris:

INTERPRETATIO.

Si invitasset decem nobiles viros ad cœnam, plus esset obsoniorum, quàm par est. Sed urget coquos, ut hortator solet urgere remiges in mari, Egomet conduxi coquum; At miror eum non venire ut mandaveram: sed quis exit è nostris ædibus? Limen reseratur.

ANNOTATIO.

5. *Hortator.*] κελευστής.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

EXPOSTULAT Dorippa cum Lysimacho marito, rata Pasicompsam esse ab eo inductam domum meretricem.

DORIPPA mulier, LYSIMACHVS vir.

DORIPPA.

MISERIOR mulier me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nupserim. heu miseræ mihi!
Hem! cui te, & tu quæ habeas, commendes viro!
Hem! cui decem talenta dotis detuli!
Hæc ut viderem, ut ferrem has contumelias!
LY. Perii hercle: rure jam rediit uxor mea:
Vidisse credo mulierem in ædibus.
Sed quæ loquatur, exaudire hinc non queo.
Accedam propiùs. *DO.* væ miseræ mihi! *LY.* imò mihi.
DO. Disperii. *LY.* ego quidem hercle oppidò perii miser.
Vidit. ut omnes te Demipho dî perduint!

INTERPRETATIO.

DOR. *Neque extitit, nec existet mulier infœlicior me, quia collocata sum ejusmodi marito; heu mihi infœlici! En vir cui te & tua commisisti! En ad quem attuli dotem decem talentorum, ut essem horum testis, ut afficerer his probris!* LY. *Interii sane: mea conjux jam reversa est rure. Arbitror me vidisse illam mulierem domi. Sed nequeo percipere hinc quæ fabulatur: accedam propiùs.* DO. *Væ mihi infœlici!* LY. *Imò mihi.* DO. *Occidi.* LY. *Equidem funditus sum perditus infœlix:* Dorippa *vidit* Pasicompsam: *omnes Dii te perdant Demipho!*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

DO. Pol hoc est, ire quòd rus meus vir noluit.
LY. Quid nunc ego faciam, nisi ut adeam, atque alloquar?
Jubet salvere suus vir uxorem suam.
Urbani fiunt rustici. *DO.* pudicius
Faciunt illi, quàm qui non fiunt rustici.
LY. Numquid delinquunt rustici? *DO.* ecastor, minus
Quàm urbani, & multò minus mali quærunt sibi.
LY. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
DO. Quia illa mulier intus est. *LY.* vidistine eam?
DO. Vidi. *LY.* cuja ea sit, rogitas? *DO.* rescisscam tamen:
Cupio hercle scire. sed tu me tentas sciens.
LY. Vin' dicam cuja est? illa, illa. edepol! væ mihi,
Nescio quid dicam. *DO.* hæres. *LY.* haud vidi magis.
DO. Quin dicis? *LY.* quin, si liceat. *DO.* dictum oportuit.
LY. Non possum, ita instas: urges quasi pro noxio.
DO. Scio, innoxius. *LY.* audacter quamvis dicito.
DO. Dic igitur. *LY.* ego dicam. *DO.* atqui dicundum est tamen.
LY. Illa est. num etiam vis nomen dicam? *DO.* nihil agis:
Manifestò teneo; in noxiâ es. *LY.* quâ noxiâ?
Ista quidem illa est. *DO.* quæ illa est? *LY.* illa. *DO.* johia!
LY. Jam si nihil usus esset, jam non dicerem.
DO. Non tu scis quæ sit illa? *LY.* imò etiam scio:
De istâc sum judex captus. *DO.* judex? jam scio:

INTERPRETATIO.

DO. *Profectò ideirco meus vir noluit proficisci rus.* LY. *Quid agam ego nunc hic; nisi ut accedam, atque alloquar? Suus maritus optat solvere suam uxorem: urbani evadunt rustici.* DO. *Illi agunt magis pudice, quàm qui non fiunt rustici.* LY. *Nónne peccant rustici?* DO. *Profectò*, peccant *minus quàm urbani, & sibi accersunt multò minus mali.* LY. *Quid verò urbani peccaverunt? dic mihi.* DO. *Cujus est illa mulier, quæ est in ædibus?* LY. *Vidistine eam?* DO. *Vidi.* LY. *Petisne, cuja sit ea mulier?* DO. *Discam tamen: per Herculem exopto scire: sed tu me tentas gnara* veritatis. LY. *Visne dicam cujus est? illa, illa per ædem Pollucis! væ mihi, ignoro quid loquar.* DO. *Hæsitas.* LY. *Non vidi magis* hæsitare. DO. *Quare non dicis?* LY. *Quare, non licet.* DO. *Oporteret te jam dixisse.* LY. *Nequeo adeò; urges, premis veluti noxium.* DO. *Scio, tu innocens es.* LY. *Eloquere tametsi feceris audacter.* DO. *Dic ergo.* LY. *Ego dicam.* DO. *Atqui tandem dicendum est.* LY. Illa est. *Jubêsne etiam me dicere nomen?* DO. *Nihil assequeris; captus es manifeste; es in culpâ.* LY. *Quâ culpâ? ista quidem est illa.* DO. *Quæ est illa?* LY. *Illa.* DO. *Jò, ea.* LY. *Si non esset opus jam non dicerem.* DO. *Tu ignoras, quæ sit illa?* LY. *Imò sane scio: delectus sum de ista arbiter.* DO. *Arbiter? jam teneo:*

ANNOTATIONES.

14. *Jubet salvere suus vir uxrem suam.*] Formula salutationis antiquæ.

15. *Urbani fiunt rustici.*] Dorippa non resalutaverat maritum. Hîc notat ejus inurbanitatem. Id est, Dorippa ex quo abiit rus, est facta rustica.

31. *Johia.*] Alii *jò, ea.* Forsitan vetus est fœmininum ab *is, ia, id*; ut est jam, *is, ea, id.*

Huc tu in consilium istam advocavisti tibi.
LY. Imò sic sequestro mihi data est. *DO.* intellego.
LY. Nihil hercle istius quicquam est. *DO.* numerô purgitas.
LY. Nimium negotii reperi. enimverò hæreo.

INTERPRETATIO.

tu advocasti hanc ut eam consuleres. LY. *Imò illa deposita est apud me, ut apud sequestrum.* DO. *Audio.* LY. *Per Hercu-lem nihil horum,* quæ dixi *est verum.* DO. *Tu te purgas citius.* LY. *Incidi in negotium nimis magnũ. Profectò* quid dicam *nescio.*

ANNOTATIONES.

35. *Huc tu in consilium istam advocasti.*] Irridet maritum suum Dorippa.
36. *Sic sequestro mihi data est.*] Sequester dicitur apud quem plures rem de quâ controversia est deponunt à *sequendo* dictum; sequestro positum dicebatur adverbialiter.
37. *Numero purgitas.*] *A point nommé.*
38. *Enimverò hæreo.*] *Je ne sçay où j'en suis.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

BACCHATUR Dorippa; evertit omnia; excutit foras, ejicítque coquos & obsonia, mittítque Syram servam suam ad patrem, ut quàm primum adsit.

COQVVS, LYSIMACHVS, DORIPPA, SYRA.

COQVVS.

AGITE, ite actutum. nam mihi amatori seni
Coquenda'st cœna. atque *equidem* cùm recogito,
Nobis coquenda est, non *cui* conducti sumus.
Nam QUI AMAT, QUOD AMAT, si id habet, id habet pro cibo:
Videre, amplecti, osculari, alloqui.
Sed nos confido onustos redituros domum.
Ite hàc. sed eccum qui nos conduxit, senex.
LY. Ecce autem, perii! coquus adest. *CO.* advenimus.
LY. Abi. *CO.* quid? abeam? *LY.* st, abi. *CO.* abeámne? *LY.* abi.

INTERPRETATIO.

CO. *AGite, ite velociter Nam oportet me coquere cœnam prosene amatore: verùm, ut puto, coquam pro nobis, non pro eo pro quo sumus conducti. Nam qui amat, si adest id quod amat, id illi est pro esca; conspicari, complecti, deosculari, colloqui. Idcirco spero nos reversuros domum onustos* eduliis. *Ite hâc, sed adest senex, qui nos conduxit.* LY. *Ecce autem occidi, adest coquus.* CO. *Adsumus.* LY. *Abi.* CO. *Quid? abibo?* LY. *Sile; & abi.* CO. *Abibone?* LY. *abi.*

CO. Non eſtis cœnaturi? *LY.* jam ſaturi ſumus.
Sed interii! *DO.* quid ais tu? etiámne hæc illi tibi
Juſſerunt ferri, quos inter judex datus?
CO. Hæccine tua eſt amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, cùm obſonabas? *LY.* non taces?
CO. Satis ſcitum filum mulieris! virum hercle avet,
LY. Abin' dierectus? *CO.* haud mala eſt. *LY.* at tu malus.
CO. Scitam hercle opinor ſatis concubinam hanc. *LY.* non abis?
Non ego ſum, qui te dudum conduxi. *CO.* quid eſt?
Imo hercle tu iſtuc ipſus. *LY.* væ miſero mihi!
CO. Nempe uxor ruri eſt tua, quam dudum dixeras
Te odiſſe æquè, atque angueis. *LY.* egon iſtuc dixi tibi?
CO. Mihi quidem hercle. *LY.* ita me amabit Juppiter,
Uxor, ut ego illud nunquam dixi. *DO.* etiam negas?
CO. Non te odiſſe ajebat, uxorem verùm ſuam.
DO. Palàm iſtæc fiunt, te me odiſſe. *LY.* quin nego.
CO. Et uxorem ſuam ruri eſſe ajebat. *LY.* hæc ea eſt.
Quid mihi moleſtus? *CO.* quia me non noviſſe ais.
Ni metuis tu iſtanc? *LY.* ſapio: nam mihi unica eſt.
CO. Vin' me experiri? *LY.* nolo. *CO.* mercedem cedò.
LY Cras petito; dabitur. nunc abi. *DO.* heu miſeræ mihi!
LY. Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus:
ALIQUID MALI eſſe propter vicinum malum.

INTERPRETATIO.

CO. *Non eſtis cœnaturi?* LY. *Sumus jam pranſi; ſed occidi!* DO. *Quid dicis? illi inter quos conſtitutus eſt arbiter mandaverúntne etiam hæc ad te deferri?* CO. *Eſtne illa tua amica, quam mihi dixiſti modo te amare? Quando* curabas *parari obſonia?* LY. *Non ſiles?* CO. *Lineæ vultus hujus mulieris non ſunt inelegantes; profectò deſiderat virum.* LY. *Abi furcifer.* CO. *Non ita deformis eſt.* LY. *At tu nequam.* CO. *Per Herculem crediderim hanc concubinam eſſe ſatis egregiam.* LY. *Non abis? non ego ſum, qui te modo conduxi.* CO. *Quid eſt? timo ſane tu ipſe.* LY. *Væ mihi infœlici!* CO. *Nimirum tua uxor eſt ruri, quam dicebas olim te averſari perinde, atque ſerpentem.* LY. *Tibine ego dixi iſtud?* CO. *Mihi dixiſti per Herculem.* LY. *Ita me amet, Jupiter, uxor, ut ego numquam dixi id.* DO. *Adhuc negas?* CO. *Dicebat te non averſari, ſed ſuam uxorem.* DO. *Illud patet, te me odiſſe.* LY. *Quin inficior.* CO. *Et dicebat ſuam uxorem eſſe ruri.* LY. *Hæc eſt ea, quare mihi moleſtus es?* CO. *Quia dicis me à te non cognoſci; niſi tu times iſtam?* LY. *Sapio; nam mihi eſt una.* CO. *Viſne me tecum judicio contendere?* LY. *Nolo.* CO. *Da mercedem.* LY. *Rogabis cras; pendetur: nunc abi.* DO. *Heu mihi infœlici!* LY. *Ego jam intelligo illud vetus verbum eſſe verum, ſemper aliquid mali eſſe juxta malum vicinũ.*

ANNOTATIONES.

15. *Satis ſcitum filum mulieris.*] Id eſt, lineæ vultus quibus conſtat pulchritudo. Conſtat & ſimilitudo diſſimilitudóque Lucretius:

Eſſe pari filo ſimilique effecta figura.

29. *Vin me experiri,*] Experiri mercenarium, id eſt ejus opera uti.

CO. Cur

CO. Cur hîc aſtamus? quin abimus? incommodi
Si quid tibi evenit, id non eſt culpa mea.
LY. Quin me eradicas miſerum. *CO.* ſcio jam quid velis,
Nempe hinc me abire vis. *LY.* volo, inquam. *CO.* abibitur,
Drachmam dato. *LY.* dabitur. *CO.* dari ergo ſis jube.
Dari poteſt, interea dum illi ponunt. *LY.* quin abis?
Potin' ut moleſtus ne ſis? *CO.* agite, apponite
Obſonium iſtuc ante pedes illi ſeni.
Hæc vaſa aut mox, aut cras jubebo abs te peti:
Sequimini. *LY.* fortaſſe te illum mirari coquum,
Quòd venit, atque hæc attulit. dicam quid eſt.
DO. Non miror, ſi quid damni facis, aut flagitii.
Nec pol ego patiar, ſic me nuptam tam malè,
Meáſque in ædes ſic ſcorta obductarier.
Syra, i rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me jam ſimul tecum *huc.* *SY.* eo.
LY. Neſcis negotii quid ſit, uxor, obſecro!
Conceptis verbis jam jusjurandum dabo,
Me nunquam quicquam cum illâ. jámne abiit Syra?
Perii hercle. ecce autem hæc abiit. væ miſero mihi!
At te vicine dii deæque perduint,
Tuâ cum amicâ, cúmque amationibus.
Suſpicione implevit me indigniſſimè:
Concivit hoſtes: domi uxor eſt acerrima.

INTERPRETATIO.

CO. *Quare aſtamus hic? Cur non diſcedimus hinc? Si quid tibi accidit acerbi non accidit meâ culpâ.* LY. *Imò vero tu me funditùs perdis infœlicem.* CO. *Intelligo jam quid velis, nimirum vis me demigrare hinc.* LY. *Volo, inquam.* CO. *Abibo: da drachmam.* LY. *Dabitur.* CO. *Igitur, ſi placet, manda dari, interea dum illi ponunt* obſonium. LY. *Quin abis? Potéſne à te impetrare ut non ſis importunus?* CO. *Agite, apponite illud obſonium ante pedes illius ſenis: mandabo cras, aut modo abs te peti hæc vaſa: ſequimini.* LY. *Miraris forſitan illum coquum veniſſe & attuliſſe hæc: aperiam quid ſit.* DO. *Non miror, ſi pateris aliquid detrimenti, aut* committis *aliquod ſcelus: neque per Pollucem ego feram me ſic nuptam tam malè, ſicque induci ſcorta in meas ædes. Syra, i, roga meum patrem meis verbis, ut veniat ad me nunc unà tecum.* SY. *Eo.* LY. *Neſcis quid ſit rei, uxor, obteſtor: Interponam jam jusjurandum conceptis verbis, me nunquam commiſiſſe quidquam cum illa: Syra jámne abiit? Occidi per Herculem; ecce autem Dorippa ſeſe hinc proripit: væ mihi miſero! At te vicine Dii Deæque perdant, cum tuâ amica, cúmque amoribus. Me objecit ſuſpicioni indigniſſimæ; concitavit hoſtes; uxor eſt irata domi:*

ANNOTATIONES.

46. *Scorta obductarier.*] Id eſt, in omnium conſpectu domum ducere. Et addicta ſibi habere.

55. *Suſpicione implevit.*] Me ſuſpectum libidinis uxori fecit.

Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quò vult, ex hisce ædibus.
Uxor! heus uxor! quanquam tu irata es mihi,
Jubeas, si sapias, hæc intrò *hinc* auferrier;
Eâdem licebit mox cœnare rectius.

INTERPRETATIO.

ibo ad forum, atque edicam hæc Demiphoni me rapturum esse istanc capillis in viam, nisi abducit hanc ex hisce ædibus, quò velit. | *Uxor, heus uxor! quamquam tu es irata mihi, manda, si sapis, auferri hæc hinc in ædes, cœnabimus modo lautius iis.*

ANNOTATIO.

62. *Eâdem operâ.*] Id est, idcirco.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

EUTYCHUS fessus in quærendo eo à quo fuisset abducta Pasicompsa, tandem incidit in Syram servam & nutricem suam, à quâ discit abductam fuisse à Lysimacho patre, & esse domi.

SYRA serva, EVTYCHVS.

SYRA.

HERA quò me misit ad patrem, non est domi:
Rus abisse ajebant. nunc domum renuncio.
EV. Defessus sum urbem totam pervenarier,
Nihil investigo quicquam de illâ muliere.
Sed mater rure rediit. nam video Syram
Astare ante ædeis. Syra. *SY.* quis est, qui me vocat?
EV. Herus atque alumnus tuus sum. *SY.* salve, alumne *mi.*
EV. Jam mater rure rediit? responde mihi.
SY. Suâ quidem salute ac familiæ maximâ.

INTERPRETATIO.

SY. Meæ heræ *pater, ad quem hera me misit, non est domi. Dicebant profectum esse rus: nunc demum* revertor *ut renunciem.* EU. *Sum defatigatus in perlustranda tota urbe; nihil audio de hâc muliere. Sed mater reversa est rure; nam* | *cerno Syram astantem ante ædes.* Heus, *Syra.* SY. *Quis me nominat?* EU. *Sum tuus herus atque alumnus.* SY. *Salve, alumne.* EU. *Mater reversa est rure? dic mihi.* SY. *Reversa est ad salutem suam maximam & familiæ.*

ANNOTATIO.

7. *Alumnus.*] Hìc passivè sumitur alumnus, nonnunquam sumitur & activè.

EU. Quid istuc negotii est? *SY.* tuus pater bellissimus
Amicam adduxit intro in ædeis. *EU.* quomodo?
SY. Adveniens mater rure eam offendit domi.
EU. Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.
Etiam nunc mulier intu'st? *SY.* etiam. *EU.* sequere me.
Quid? Peristratam hîc Demiphonis contuor?
Gradus grandit; emittit oculos, circumfert se, obstipat verticem.
Asservabo hinc rerum quid gerat. magnum est, quidquid quæritat.

INTERPRETATIO.

EU. *Quæ est ea res?* SY. *Tuus pater festivissimus induxit amicam in ædes.* EU. *Quo pacto?* SY. *Mater reversa rure eam reperit domi.* EU. *Per Pollucem non existimabam patrem esse* obnoxium *istis rebus. Mulier éstne etiamnum domi?* SY. *Est.* EU. *Sequere me. Quid? conspicio hic Peristratam uxorem Demiphonis: gradus producit; oculos circumfert; jactat caput: speculabor ex hoc* loco, *quid negotii moliatur: quidquid quærit est magnum.*

ANNOTATIO.

13. *Aut censebam istarum operarum patrem.*] Id est, amori operam dare: *Je ne pensois pas que mon pere fust homme à cela.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

HIc Peristratâ excandescit in virum Demiphonem, quia plus æquo durus est filio, utpotè cui eripuerit Pasicompsam. Tametsi hactenus ignorat amores mariti. Hæc & sequens Scena suppositiæ.

PERISTRATA, SYRA, LYCISSA.

PERISTRATA.

Diva Astarte hominum deorumque vis, vita, salus: rursus eadem quæ est,
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sidera.

INTERPRETATIO.

PER. *Dea Astarte est virtus, vita, salus hominum & deorum: rursus eadem est exitium, fatum, ruina, O mare! ô terra! ô cœlum! ô astra!*

ANNOTATIONES.

1. *Diva Astarte.*] *Astarte,* Ciceroni, est Venus, quæ Adonidi nupsit. Sanè quæcumque totis septemdecim versibus primis hujus Scenæ dicuntur, quamvis implicata omnia, confusâque & obscura, Plautó que indignissima, de Venere & Amore commodè interpretari licet.

2. *Mare tellus.*] Autor Supplementi videtur hoc loco innuere Astarten, seu Venerem esse mare, terram, cœlum, sidera. Quod quomodo accipiatur minimè video. Lucianus Astarten Lunam interpretatur; Apuleius Venerem & Reginam Cœli. Sed eandem esse mare, ter-

Jovis quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant. Eam spectant: quod illi displicet, facile excludunt cæteri.
Quicquid complacitum, id sequontur. quæ vivont omnia, atque sentiunt.
Alios enicat, extinguit, alios suo lacte fovet, atque erigit: sed quos enicat,
Hi vivont, & sapiunt: quos properat alere, ac erigere,
Hi quidem confestim pereunt, atque male sapiunt miseri.
Jacent benevolentes, odiosi humum mordent, caput reptant,
Fremunt, perstrepúntque: cumque putant vivere, tunc ruunt maxume,
Tunc, tunc student persequi, labant juvenes, itidem rapiuntur senes.
Illi se amant: quod amant, amatum volunt, atque cognitum.
Illi verò si amare eâ ætate occœperunt, multo insaniunt acrius.
Verùm si non amant, oderunt, molesti itidem, atque difficiles;
Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque invidi.
Quod in se olim admisere turpiter, id si fiat modestius,
Nec tolerant, ut æquom est patres: sed clamant, indecenter obstrepunt.
SY. *Quantum intelligo, & hanc male habet Demipho.* PE. *id verum.*
Amat filius & perit, id quom rescisit pater, insanit vehementius.
Quæ istæc intemperies? abegit vir meus olim ipse ad mercatum Rhodum filium:

INTERPRETATIO.

Quotquot veneramur delubra Jovis, parent ejus voluntati, illi obsequuntur, ab ea pendent. Alii ultro eliminant, quidquid illi non placet. Universa quæ prædita sunt vita & sensu amant, quidquid illi *gratum est. Alios interficit, perimit; alios nutrit suo lacte atque erigit: sed illi quos interficit, vivunt & sentiunt; quos* verò *gaudet alere ac erigere, intereunt statim, atque sensu carent infœlices. Amici affliguntur, mordent terram inviti, repunt capite, fremitum strepitúmque edunt: & quando arbitrantur se vivere, tum pereunt maxime. Tunc quum exoptant juvenes prosequi* quod amant, *titubant, & senum instar corruunt. Illi amant, & volunt amari atque cognosci id quod amant. Hi verò si incœperint amori indulgere, eâ ætate, desipiunt multo magis. Quod si minimè indulgeant, odiosi sunt, incommodi, morosi, verbosi, osores, infesti, iræ obnoxii, invidi sibi & suis. Quod si committatur modestè id quod olim commisere turpiter, non ferunt, ut par est à patribus ferri: sed vociferantur obstrepuntque summo cum dedecore.* SY. *Ut animadverto, Demipho hanc male habet.* PE. *Id est verum. Filius amat & perit; quando pater id discit, excandescit acrius. Quæ est ista intemperantia? Meus maritus expulit olim filium Rhodum ad mercatum:*

ANNOTATIONES.

ram, cœlum, quis dicat? Itaque interpretari malui per invocationem. *O mare! ô tellus! &c.* dicit autem Peristrata Venerem afferre exitium mortalibus exemplo Charini filii qui perit amore.

6. *Sed quos enicat.*] Id est, vivos perimit, quia amatorum vita morti simillima est.

7. *Quos properat alere.*] Id est, quos lactat Venus spe voluptatis longâ morte interimit.

Nunc ut fert Acanthio, ipse sibimet faciet exilium.
O iniquom patrem, ô infortunatum filium, quo te recipies?
Ubi matrem relinques? sola degam? filium amittam? non patiar.
Vendidit pater? ubi ubi erit inventa, mater redimet.
Dic tu Lycissa, num in hanc viciniam adductam autumant?
LY. *In hanc opinor, in amici senis quojusdam ædeis.* PE. *hîc, præter Lysimachum,*
Nullus quem sciam. SY. *Lysimachum nominant.*
Mirum ni senes vicini in unum nidum conspiraverint.
PE. *Dorippam ejus uxorem conveniam.* LY. *quid, convenias? non eam vides?*
PE. *Video equidem: auscultemus. nescio quid secum iracunda mussitat.*

INTERPRETATIO.

nunc, sicut ab Acanthione accipio, ipse ultrò abibit in exilium. O injustum genitorem! ô natum infœlicem! Quo confugies? Ubi deseres genetricem? Vitam agam sola? Dimittam filium? Non sinam. Pater vendidit? Mater redimet ubicumque eam inveniet. Dic tu, Lycissa, num dicunt eam fuisse adductam in hanc viciniam? LY. *Arbitror in hanc* viciniam, *in tecta cujusdam vicini.* PE. *Est nullus, quem norim, nisi Lysimachus.* SY. *Lysimachum appellant. Mirum nisi senes vicini convenerint de uno nido. Adibo Dorippam ejus uxorem.* LY. *Quid, adibus? Non eam conspicaris?* PE. *Conspicor equidem: auscultemus. Mussitat nescio quid secum irata.*

ANNOTATIO.

24. *Vendidit pater.*] Id est, Pasicompsam.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

DORIPPA nondum bene recreata ab iracundiâ quâ & coquos, & ipsum virum domo ejecerat, rata Pasicompsam à Lysimacho marito amari, aperit Peristratæ ubi sit ipsa Pasicompsa, & jubet animo esse æquiori Charinum.

DORIPPA, PERISTRATA, SYRA, LYCISSA.

DORIPPA.

SYra non redit, quam accersitum patrem jamdiu est quod miseram: Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorsa cessavit turgida.

INTERPRETATIO.

DO. *SYra non revertitur, quam miseram jampridem ad vocandum* | *patrem: aut in lapidem versa est pigra illa; aut inflata morsu serpentis hæsit.*

SY. *Nulla sum, adest hera, me quærit.* DO. *domi manere nequeo:*
Bellulam istanc pellicem mei non patiuntur oculi. excluſiſſem foras,
At me meus continuit Eutychus. ſed omnino quod fert non creduam.
LY. *Audin' hera?* PE. *audio: ſine pergat.* LY. *ſino.* DO. *amici inquit ſenis*
Gratiâ huc ad nos veniſſe. habet venalem, amanti dum detrahat filio
Hæc quidem aut viri aut gnati fallacia: diſſident ſententiæ.
Sequeſtro vir ait datam: eandem verò venalem dicit filius.
SY. *Ibo de improviſo obviam, ne ceſſaſſe intelligat.* DO. *iſtæc filio.*
Non credam. qui obſequitur patri: huic verò ut mero cuculo,
Id certum eſt mentiri ampliter: equidem coquo credam.
Eccam Syram. ut currit venefica. Syra! SY. *quis me vocat?*
DO *Malum quod di tibi darunt.* SY. *hera ſi ſapis, hoc potius*
Tuæ pellici, & marito dato. DO. *iſtuc dictum tibi non amplius iraſcor.*
Sed ubi pater? quid ceſſat? an hominem podagra impedit?
SY. *Nec podagricus nec articularius eſt, quem rus ducunt pedes.*
DO. *Non domi?* SY. *non.* DO. *ubi* SY. *ruri eſſe autumant.*
Atque nunquid redeat incertum hodie: cum villico rationis ſatis.
DO. *Omnia mihi hodie eveniunt præter ſententiam. non vivam veſperi,*

INTERPRETATIO.

SY. *Perii, adeſt domina, me quærit.* DO. *Non poſſum conſiſtere in ædibus: mei oculi non poſſunt ferre hanc meretricem tam venuſtam. Ejeciſſem domo, ſed meus Euthychus prohibuit. Verum nullomodo credo quod dicit.* LY. *Audiſne hera?* PE. *Audio: patere ut proſequatur.* LY. *Patior.* DO. *Dicit* eam *huc veniſſe apud nos amici ſenis gratia: proponit venalem, ut ſubducat filio, qui eam deperit. Hæc eſt verſutia aut mariti, aut filii. Sententia non conveniunt. Maritus dicit* eam *ſibi datam eſſe ſequeſtro. Filius ait eandem venalem.* SY. *Pergam obviam ei incogitanti, ne animadvertat me hæſiſſe alicubi.* DO. *Non fidem habebo filio hac in re,* utpotè *qui obtemperat genitori: propoſitum eſt enim in gratiam hujus ut meri cuculi mentiri largiter: equidem fidem adhibebo coquo. Ecce Syra. Quantum accelerat venefica. Syra!* SY. *Quis me appellat?* DO. *Malum quod Dii tibi accelerent.* SY. *Hera, ſi ſapis, hoc impertire potius meretrici & viro.* DO. *Propter iſtam orationem non iraſcor amplius tibi. Sed ubi eſt pater? Quare moratur? An podagra eum tenet?* SY. *Neque podagrâ, neque articulari laborat ille, quem ſui pedes ferunt rus.* DO. *Non eſt domi?* SY. *Non.* DO. *Ubi? Dicunt eſſe rure. Et minimè conſtat utrum revertatur hodie: ſatis eſt rationum examinandarum cum villico.* DO. *Univerſa mihi accidunt præter voluntatem, Non vitam protraham ad veſperum,*

ANNOTATIONES.

11. *Cuculo.*] Cuculus, Vernaculè *Coucou*, non ſemel in Plauto accipitur pro adultero; ut-potè qui inſidiatur alieno cubili, quemadmodum Cuculus ova ponit in alieno nido, Curucæ videlicet, quam vernaculè appellamus, *Fauvette*. Nos in Gallia notamus eum hoc nomine cujus eſt uxor adultera; quod eveniſſe crediderim, quia quemadmodum Cucula, ſi ita loqui fas eſt, ſeu Cuculi fœmina in alieno nido, ſic adultera uxor in alieno lecto cubat.

15 *Tuæ pellici.*] Pellex dicitur uxoris, non mariti, quia locum occupat uxoris. Cicero: *Filiæ pellicem. Matris pellicem* dicit.

17. *Articularius.*] Sic dictus, quia morbo laborat, qui vel per omnes artus vagetur, vel quia in articulis ſentiatur artuum.

Nisi illanc à me sceleſtam abigam : eo domum. LY. *hera abit.*
PE. *Hem, abit? compella.* LY. *Dorippa, Dorippa.* DO. *quid moleſtiæ*
Hoc eſt? quis me revocat? PE. *non ſum moleſta : ſed benevolens,*
Et amica te compellat tua Periſtrata : mane quæſo.
DO. *Hem Periſtrata, te pol non noram : mala bilis cruciat*
Me atque exagitat. PE. *iſtuc volo, quæſo, ne neges,*
Te audivi modo : dic mihi, quæ te nunc habet ſolicitudo?
DO. *Periſtrata, ſic dî tibi unicum gnatum ſoſpitent, da mihi benignius operam,*
Nulla dari mihi poterit melius : par eſt ætas : unà crevimus,
Pares ætate habemus viros : nulli colloquor lubentius.
Sollicitor merito quidem, quid tibi animi eſſe nunc poſſiet,
Si amicam hâc ætate ante oculos tuus adduxerit Demipho?
PE. *Adduxit?* DO. *factum.* PE. *domi eſt?* DO. *domi : immo coqui*
Conducti : parabatur convivium, ni meus diſturbaſſet adventus omnia.
Senem miſerum Venus & Cupido alieno ſatis vexant tempore.
PE. *Sed iſta levia ſunt, Dorippa. utinam non ego eſſe miſerior!*
DO. *Levia?* PE. *levia quidem.* DO. *quæ pejora tibi tuus faceret?*
PE. *Immo pejoribus pejora.* DO. *quæ iſtæc ſunt? quæſo loquere :*
Ut tu mihi, ego tibi, quæ facto opus ſunt demus conſilium.
Vetus id dictum eſt, FELICITER *is ſapit, qui periculo alieno ſapit.*
PE. *Unicus mihi, Dorippa, eſt gnatus : ſcis?* DO. *ſcio.* PE. *hunc pater*
Olim à ſe extruſit Rhodum. DO. *quare?* PE. *quoniam amaret.*
DO. *Ob id ipſum?* PE. *id quidem nunc quoque, quom ancillam domum*

INTERPRETATIO.

niſi ejiciam à meis ædibus illam nefariam: contendo in ædes. LY. *Hera proficiſcitur.* PE. *Hem, proficiſcitur? Alloquere.* LY. *Dorippa, Dorippa.* DO. *Quis eſt adeo moleſtus? Quis me revocat?* PE. *Non ſum moleſta: ſed Periſtrata amica tua & benevola te cupit: mane quæſo.* DO. *Hem Periſtrata, per pollucem minime te noram: mala bilis me diſcruciat ac præcipitem agit.* PE. *Iſtud à te peto; ne recuſes, obſecro; te audivi mox: dic mihi, quæ ſolicitudo te angit?* DO. *Periſtrata, Dii præſtent incolumem tuum filium unicum: commoda mihi aurem benignè; nequit mihi præberi melius: æquales ſumus; ſimul adolevimus; habemus maritos æqualis ætatis. Cum nulla confabulor lubentius. Jure ſum ſollicita, quæ ſit tua mens nunc, ſi tuus vir Demipho adduxerit amicam ante oculos, hac ætate.* PE. *Adduxitne* Lyſimachus? DO. *Actum eſt.* PE. *Eſtne in ædibus?* DO. *Domi: imo coqui ſunt conducti: inſtruebātur epulæ, niſi meo adventu evertiſſem univerſa. Venus & Cupido exagitant ſenem infœlicem ſatis intempeſtivè.* PE. *Sed illa ſunt minimi facienda, Dorippa. Utinam non eſſem infœlicior!* DO. *Minimi facienda?* PE. *Minimi quidem facienda.* DO. *Quid poteſt tuus moliri in te pejus?* PE. *Imo ſunt atrociora atrocioribus.* DO. *Quæ ſunt iſta? obſecro dic, ut videamus quid agendum ſit, tu mecum, ego tecum. Hoc eſt antiquum adagium. Ille recte ſapit, qui ſapit alieno periculo.* PE. *Habeo filium unicum, Dorippa: tenes?* DO. *Teneo.* PE. *Olim ablegavit Rhodum.* DO. *Cur?* PE. *Quia amabat.* DO. *Ob id ipſum?* PE. *Facit idem nunc etiam; quum adduxiſſet domum*

Adduxiſſet, hanc reſciſcens pater produxit, venalem præbuit.
DO. *Atat novi: verum dixerat filius: ego mariti amicam putabam mei.*
Quoi data eſt? PE. *ſeni quoidam in hâc amico viciniâ.*
Credo hic alium, præter tuum, amicum habere neminem.
DO. *Ea quidem eſt. quid filius?* PE. *urbem hanc ſe deſerturum autumat.*
DO. *In portû res eſt. quid ſi invenerit?* PE. *manſurum credito.*
DO. *Præter ſpem ſalvæ ſumus, ne dubita: apud me ea eſt.*
PE. *Apud te? ea erat opinor, de quâ loqui te audivi modo.*
DO. *Ea.* PE. *ô factum bene. merito te amo, reſtituiſti filium.*
Fac videam. DO. *eamus intro.* PE. *eamus. Lyciſſa ades,*
Acanthioni hæc nuncia: ego ad Dorippam huc devortam.

INTERPRETATIO.

ancillam, pater id *ſciſcens, eam produxit & propoſuit venalem.* DO. *Atat intelligo: natus* meus *verum dixerat: ego arbitrabar eſſe amicam mei viri. Cui tradita eſt?* PE. *Cuidam ſeni amico ex vicinis. Puto eum nullum habere amicum alium, quam tuum* virum. DO. *Ea ſanè eſt. Quid natus?* PE. *Dicit ſe abiturum ab hac urbe.* DO. *Res eſt in tuto. Quid ſi repererit?* PE. *Crede eum eſſe manſurum.* DO. *Sumus ſalvæ præter expectationem; ne dubita: eſt ea apud me.* PE. *Apud te? Ea eſt, arbitror, de quâ audivi te mox verba facere.* DO. *O factum bene! Merito te amo, reddidiſti filium. Da, ut conſpiciam.* DO. *Ingrediamur.* PE. *Ingrediamur. Adeſdum Lyciſſa. Hæc renuncia Acanthioni: ego me confero huc ad Dorippam.*

ANNOTATIONES.

49. *In portu res eſt.*] Id eſt, in tuto. Allegoria à Nautica. Navis enim in portu tuta, aut nuſquam.

52. *Factum bene.*] Non uno in loco vox illa ab ipſo Plauto uſurpatur, à judiciis tranſlata.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGVMENTVM.

SYRA ſerva Lyſimachi vicem uxorum dolet, quòd illis non liceat inſanire impunè ſicut maritis.

SYRA.

ECASTOR lege durâ vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miſeræ, quàm viri.
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,

INTERPRETATIO.

SY. *PRofectò uxores vitam agunt ſub dura lege, & longè duriore quàm mariti; nam ſi maritus amavit meretricem inſciâ ſuâ conjuge.*

Id

Id si rescivit uxor, impunè est viro.
Uxor viro si clam domo egressa est foràs,
Viro fit caussa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quæ uxori est, viro!
„Nam UXOR CONTENTA EST, quæ bona est, uno viro.
Quî minus vir unâ uxore contentus siet?
Ecastor, faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Ut ille exiguntur quæ in se culpam commerent;
Plures viri sint vidui, quàm nunc mulieres.

INTERPRETATIO.

Si conjux rem detegit, maritus fert id impune. Si mulier effert pedem ex ædibus foràs, inscio conjuge, maritus habet causam, cur expellat uxorem è conjugio. Utinam eadem lex esset posita marito! Nam mulier, quæ est bona, est contenta uno marito; cur maritus non erit contentus una conjuge? Si qui inscià suâ uxore amaverunt meretricem, eâ pœnâ afficiantur, quâ illæ afficiuntur, quæ in se culpam admiserunt; plures viri sint vidui, quàm mulieres.

ANNOTATIONES.

4. *Impune est viro.*] Cato apud Agellium: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares; illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est.*

6. *Exigitur matrimonio.*] *Exigitur* repudio consecratum. Cicero: *Mimam suas res sibi habere jussit, ex duodecim tabulis causam addidit, exegit.*

8. *Uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.*] Horatius: *Dos est magna, parentium*
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

13. *Viri vidui.*] De viris dicitur nondum mortuis uxoribus, sed repudio sejunctis: *viduus* enim, nihil aliud significat, quàm *divisus, separatus*; unde in mensis partibus *idus* dicuntur, quòd *iduent*: id est, *dividant* mensem.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

AUDITIS turbis domesticis, Charinus in spem redit recuperandæ Pasicompsæ, præsertim auxilio Eutychi amici individui.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

CHARINUS in desperationem actus vale dicit patriæ penatibúsque, Athenienſium offenſus moribus.

CHARINVS.

LIMEN ſuperum inferúmque ſalve, ſimul autem vale.
Hunc hodie poſtremum extollo meâ domo patriâ pedem.
Uſus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc ædium
Interemptu'ſt, interfectu'ſt, alienatu'ſt, óccidi.
Dii penates meum parentum, familiæque Lar pater,
Vobis mando, meûm parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penates perſequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo:
„Nam UBI MORES deteriores increbeſcunt in dies,
„Ubi qui amici, qui infideles ſint, nequeas pernoſcere,
„Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maximè:
„Ibi quidem ſi regnum detur, non eſt cupida civitas.

INTERPRETATIO.

CH. *SAlve limen ſuperum & inferum, & unà vale. Effero hodie poſtremo hunc pedem è meis ædibus paternis. Uſus, fructus, victus, cultus harum ædium mihi eſt ademptus, ſublatus eſt, tranſlatus eſt; perii. Dii penates meorum parentum, & tu Lar, pater familiæ; vobis commando ut cuſtodiatis bene fortunas meorum parentum. Ego quæram alios Deos penates, alium Larem, aliam urbem, aliam civitatem: deteſtor Atticos. Nam ſi datur imperium ibi, ubi inſtituta vita evadunt iniquiora in dies* ſingulos, *ubi nequeas decernere, qui ſunt amici fideles, qui infideles, & ubi adimatur id quod oblectet maximè tuam mentem: jus civitatis non eſt magnopere optabile.*

ANNOTATIONES.

1. *Limen ſuperum inferúmque ſalve.*] Romani nonnihil religionis in liminibus & poſtibus eſſe arbitrabantur, utpotè Laribus conſecratis: itaque in exilium abituri, aut voluntarium, aut coactum, limina oſculabantur poſtéſque, precabantúrque, ea manu tenentes: erat & Deus Limantinus à limine.

12. *Non eſt cupida civitas.*] Id eſt, civitas non eſt magnopere expetenda. *Cupida*, paſſivè.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

OPortune advenit Eutychus, ut jacentem amici animum erigat, & ad melius de Pasicompsa sperandum cohortetur.

EVTYCHVS, CHARINVS.

EVTYCHVS.

DIvum atque hominum quæ Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem speratam quòm obtulisti hanc mihi, grates ago.
Ecquis nam deus est, qui meâ nunc lætus lætitiâ fuat?
Domi erat quod quæritabam: *ibi* sex sodales repperi,
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Jocum.
Eorum inventu res *decem* simitu pessimas pessundedi,
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,
Mœrorem, Lacrimas, Exilium, Inopiam, Solitudinem.
Date dî, quæso, conveniendi mihi ejus celerem copiam.
CH. Apparatus sum, ut videtis: abjico superbiam.
Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger:
Egomet sum mihi imperator, idem egomet mihi obedio:
„Egomet mihi fero, quod usu'st. ô CUPIDO, QUANTUS ES!
„Nam tu quemvis confidentem facilè tuis factis facis,
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuò.

INTERPRETATIO.

EU. *AGo gratias, ô tu quæ es Spectatrix dominâque Deorum, atque hominum, quia mihi ostendisti id quod sperabam. Quis Deus tanto gaudio fruitur, quanto ego? Id quod investigabam erat domi, ubi inveni sex socios, Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Jocum: contrivi eorum inventione decem res pestiferas, Iram, Inimicitiam, Amentiam, Exitium, Contumaciam, Tristitiam, Fletus, Exilium, Egestatem, Solitudinem. Date mihi obsecro, ô Dii facultatem celerem ejus adeundi.* CH. *Meus apparatus est, ut cernitis: depono superbiam; ego mihi sum comes, servus, equus, agaso, armiger; ego mihi sum dux, ego ipse mihi obtempero; ego ipse mihi comparo quod est opus.* O *Cupido, quantus es! Nam tametsi tu reddis tuâ ope audacem; reddis rursus eundem statim timidum ex audaci.*

ANNOTATIONES.

1. *Spectatrix atque Hera.*] Sic vocabatur fortuna, Act. 3. Sc. 4. v. 12.

4. *Domi erat quod quæritabam.*] Id est, Pasicompsa.

10. *Abjicio superbiam.*] Omitto commeatum meæ conditioni convenientem, incomitatus eo.

EV. Cogito, quónam ego illum curram quæritatum. *CH.* certa re eſt.
Me uſque quærere illam, quò quò hinc abducta eſt gentium,
Neque mihi ulla obſiſtet amnis, neque mons, neque adeò mare;
Nec calor, ne frigus metuo, neque ventum, neque grandinem.
Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, Solem, ſitim.
Non concedam, neque quieſcam uſquam noctu, neque interdiu;
Priùs profectò, quàm aut amicam aut mortem inveſtigavero.
EV. Neſcio cuja vox ad aurem mihi advolavit. *CH.* invoco
Vos Lares viales, ut me bene tutetis. *EV.* Juppiter!
Eſtne illic Charinus? *CH.* cives bene valete. *EV.* illicò
Sta, Charine. *CH.* qui me revocat? *EV.* Spes, Salus, Victoria.
CH. Quid me voltis? *EV.* ire tecum. *CH.* alium comitem quærite,
Non amittunt hi me comites qui tenent. *EV.* qui ſunt ei?
CH. Cura, Miſeria, Ægritudo, Lacrimæ, Lamentatio.
EV. Repudia iſtos comites, atque hòc reſpice, & revortere.
CH. Siquidem mecum fabulari vis, ſubſequere. *EV.* ſta illico,
CH. Malè facis, properantem qui me commorâre: Sol abit.
EV. Si huc item properes, ut iſtuc properas, facias rectiùs,
Huc ſecundus ventus nunc eſt; cape modò vorſoriam:

INTERPRETATIO.

EU. *Meditor, quo ego vadam illum quæſitum.* CH. *Ego conſtitui illam inveſtigare, quò quò terrarum eſt abducta hinc, neque ullus fluvius mihi obſiſtet, neque mons, neque mare; nec æſtus, nec frigus timeo, nec ventum, nec grandinem. Tolerabo pluviam: ſubibo laborem, Solem, ſitim. Non concedam in ullum locum, neque conquieſcam, neque diu, neque noctu, antequam invenero vel amicam, vel lethum.* EU. *Neſcio quæ vox pervenit ad meas aures.* CH. *Oro vos, ô Lares viarum* præſides, *ut me adjuvetis benè.* EU. *O Jupiter! Eſtne hic Charinus?* CH. *Cives bene valete.* EU. *Charine, ſta illic.* CH. *Quis me retrahit?* EU. *Spes, Salus, Victoria.* CH. *Quid me vultis?* EU. *Ire tecum.* CH. *Quærite alium ſodalem, ſi ſodales, qui me conſtringunt, non dimittunt:* EU. *Qui ſunt ei?* CH. *Sollicitudo, Calamitas, Moleſtia, Fletus, Gemitus.* EU. *Segrega illos ſodales, atque converte te hùc & revertere.* CH. *Si vis verba facere mecum, ſubſequere.* EU. *Sta illic.* CH. *Agis improbè qui me retines accelerantem: Sol occidit.* EU. *Si acceleres huc, ſicut acceleras illuc, agas meliùs. Ventus ſecundus flat nunc huc, accipe modò verſoriam;*

ANNOTATIONES.

18. *Ulla amnis.*] Veteres genus utrumque promiſcuè tribuebant.

19. *Nec calor.*] Calor hic in neutro genere. Ut *ador* & *adus*; *decor* & *decus*; ſic *calor* & *calus*.

21. *Non concedam.*] In nullum locum *ſecedam* ad captandam quietem.

23. *Invoco vos Lares viales.*] *Lares viales* Dii ſunt qui *viæ* præſunt: ex iis erat Mercurius: erant & *Semitales*. Erat *Dea Bivia*, Dea compitorum. *Dii vii*, id eſt, Dii viarum.

24. *Bene tutetis.*] Bene tutemini.

34. *Cape modo vorſoriam.*] Vorſoria eſt funis, quo vertitur velum ſecundum auram. Itaque metaphora ducta à re nauticâ: revocat à voluntario exilio, & fuga Carinum: cape vorſariam; id eſt, ſententiam muta, revortere.

Hìc favonius ſerenu'ſt, iſtîc auſter imbricus :
Hic facit tranquillitatem, iſte omnes fluctûs conciet.
Recipe te ad terram, Charine, huc. nónne ex adverſo vides ?
Nubis ater imberque inſtat. aſpice nunc ad ſiniſtram *
* Cælum ut eſt ſplendore plenum, ex adverſo vides.
CH. Religionem illic objecit: recipiam me illuc. *EV.* ſapis
O Charine. contrà pariter fer gradum, & confer pedem,
Porrige brachium, prehende. jam tenes ? *CH.* teneo. *EV.* tene.
Quò nunc ibas ? *CH.* exulatum. *EV.* quid ibi facere is ? *CH.* quod miſer.
EV. Ne pave, reſtituam jam ego te in gaudia, antequam is. *CH.* eo.
EV. Maximè quod vis audire, id audiſis, quod gaudeas.
Sta illico. amicus advenio multum benevolens. *CH. quid eſt ?*
EV. Tuam amicam. *CH.* quid eam ? *EV.* ubi ſit, ego ſcio. *CH.* tun' obſecro ?
EV. Sanam & ſalvam. *CH.* ubi eam ſalvam ? *EV.* quò ego ſcio. *CH.* ego me mavelim.
EV. Potin' ut animo ſis tranquillo ? *CH.* quid ſi animus fluctuat ?
EV. Ego iſtum in tranquillo & tuto ſiſtam ; ne time.
CH. Obſecro te, loquere ubi ſit, ubi eam videris.
Quid taces ? dic. enicas me miſerum tuâ reticentiâ.
EV. Non longè hinc abeſt à nobis. *CH.* quin ergo commonſtras, ſi vides ?
EV. Non video hercle nunc, ſed vidi modò. *CH.* quin ego videam, facis ?

INTERPRETATIO.

Favonius eſt hìc ſerenus, hìc auſter imbrifer : hic affert ſerenitatem ; ille concitat cunctas undas : repete terram, Charine, huc. Nónne vides ex adverſo ? nubes, atra & pluvia impendet : contemplare jam ad lævã, vides ex adverſo, ut Cœlum eſt perfuſum claritate. CH. *Ille objecit religionem ; me conferam illuc.* EU. *Sapis, ô Charine ! confer gradum contrà, confer pedem, extende brachium, occupa ; jam tenes ?* CH. *Teneo.* EU. *Tene. Quò ibas nunc ?* CH. *In exilium.* EU. *Quid ibas actum illuc ?* CH. *Quod calamitoſus.* EU. *Ne time, ego te reducam modo in lætitiam, priuſquam proficiſceris.* CH. *Pergo exulatum.* EU. *Accipe, ſi vis, id quod exoptas maximè accipere, & quod exoptes : ſta illico. Advenio amicus valdè benevolus.* CH. *Quid eſt ?* EU. *Tuam amicam.* CH. *Quid eam ?* EU. *Ego ſcio, ubi eſt.* CH. *Tũne obſecro ?* EU. *Sana & ſalva.* CH. *Ubi ea ſalva ?* EU. *Ubi ego ſcio.* CH. *Ego malim ſcire, quàm te.* EU. *Potéſne eſſe animo quieto ?* CH. *Quid ſi animus æſtuat ?* EU. *Ego illam ſiſtam in quieto & tuto ; noli pertimeſcere.* CH. *Oro te, dic ubi ſit, ubi eam conſpicatus ſis : quid ſiles ? Loquere, me enecas infœlicem tuo ſilentio.* EU. *Non abeſt longè à nobis.* CH. *Quare igitur non indicas, ſi tu cernis ?* EU. *Per Herculem non conſpicor nunc, ſed conſpicatus ſum modò.* CH. *Quare non efficis, ut ego cernam ?*

ANNOTATIONES.

35. *Hìc favonius ſerenus eſt.*] Allegoria perpetua & elegans.

40. *Religionem illic objecit.*] Incuſſit ſcrupulum, ut nunc loquimur.

EU. Faciam. *CH.* longinquum istuc amanti est. *EU.* etiam metuis? omnia
Commonstrabo: amicior mihi nullus vivit, atque is est,
Qui illam habet; neque est cui magis me velle melius æquum siet.
CH. Non curo istuc, illam quæro. *EU.* de illâ ergo ego dico tibi.
Sanè hoc non in mentem venit dudum, uti tibi.
CH. Dic igitur, ubi illa est? *EU.* in nostris ædibus. *CH.* ædis probas,
Si tu vera dicis, pulcréque ædificatas arbitror.
Sed quid ego istuc credam? vidistin'? an de audito nuncias?
EU. Egomet vidi. *CH.* quis eam adduxit ad vos? *EU.* iniquè rogas.
CH. Vera dicis. *EU.* nihil. Charine, te quidem quicquam pudet.
Quid tuâ refert, quî cum istàc venerit? *CH.* dum istuc siet.
EU. Est profectò. *CH.* opta ergo ob istunc nuncium quid vis tibi.
EU. Quid, si optabo? *CH.* deos orato, ut ejus faciant copiam.
EU. Derides. *CH.* servata res est demum, si illam videro.
Sed quin ornatum hunc reicio. heus aliquis, actutum huc foras
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. *EU.* hem, nunc tu mihi ut places!
CH. Optimè adveniens, puere, cape chlamydem atque hæc. istinc sta illico:
Ut, si hæc non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.

Interpretatio.

EU. *Efficiam.* CH. *Illud* efficiam *est diuturnum amanti.* EU. *Metuis adhuc? Commostrabo cuncta: nullus est magis amicus mihi, atque est ille, qui illam servat; neque est, cui sit æquius me optime velle.* CH. *Non curo id; quæro illam.* EU. *Ergo tibi nuntio de illâ. Profectò id non venit in animum, sicut tibi.* CH. *Loquere ergo, ubi est illa?* EU. *In nostris ædibus.* CH. *Arbitror esse laudatam domum, egregiéque extructam, si tu dicis vera. Sed, tibine fidem habeam? vidistine* ipse *an narras de audito?* EU. *Conspicatus sum ipse.* CH. *Quis eam adduxit ad vos?* EU. *Malignè interrogas.* CH. *Dicis vere.* EU. *Nonne te pudet, Charine? Quid tuâ refert, quî venerit cum ista?* CH. *Dummodò istud sit* verùm. EU. *Est sine dubio.* CH. *Igitur pete à me, quidquid volueris in* præmium *hujus nuntii.* EU. *Quid, si petam?* CH. *Precare deos ut dent ejus* videndæ *facultatem.* EU. *Irrides.* CH. *Denique omnia sunt salva, si illam videro; sed cur non depono hunc ornatum? Heus aliquis heus prodite è vestigio huc foras; afferte mihi illinc pallium.* EU. *Hem, ut tu mihi places nunc!* CH. *Puer optimè, quoniam advenisti; accipe chlamydem & hæc; consiste istinc, ut si hæc non sint vera, prosequar hoc iter incœptum.*

Annotationes.

56. *Vivit.*] Id est, *est.*

61. *Pulchréque ædificatas.*] In venditionis formulis semper adhibebant hæc verba, *ædes bonas, benéque ædificatas.* Cicero: *Quòd si qui proscribunt villam bonam benéque ædificatam; non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est, nec ædificata ratione.*

66. *Opta ergo.*] Præmium olim dabatur iis, qui jucundum aliquem nuntium attulissent.

69. *Sed quin ornatum hunc rejicio.*] Charinus, accepto de Pasicompsa amica nuncio, peregrinandi consilium, cum omni peregrinationis ornatu, deponit.

EU. Non mihi credis? *CH.* omnia equidem credo, quæ dicis mihi.
Sed quin introducis me ad eam, ut videam? *EU.* pauliſper mane.
CH. Quid manebo? *EU.* tempus non eſt introeundi. *CH.* enicas.
EU. Non opus eſt, inquam, nunc intrò te ire. *CH.* reſponde mihi,
Quâ cauſsâ? *EU.* operæ non eſt. *CH.* cur? *EU.* quia non eſt illi commodum.
CH. Itáne? commodum illi non eſt, quæ me amat? quam ego contrà amo?
Omnibus hic ludificatur me modis. ego ſtultior,
Qui iſti credam. commoratur: chlamydem ſumam denuo.
EU. Mane parumper, atque hoc audi. *CH.* cape ſis, puer, hoc pallium.
EU. Mater irata eſt patri vehementer, quia ſcortum ſibi
Ob oculos adduxerit in ædis, dum ruri ipſa abeſt:
Suſpicatur illam amicam eſſe illi. *CH.* zonam ſuſtuli.
EU. Eam rem nunc exquirit intus. *CH.* jam machæra eſt in manu.
EU. Nam ſi eò te *nunc* introducam. *CH.* tollo ampullam, atque hinc eo.
EU. Mane, mane Charine. *CH.* erras! me decipere haud potes.
EU. Neque edepol volo. *CH.* quin tu ergo itiner exſequi meum me ſinis?
EU. Non ſino. *CH.* ego me moror. tu puere, abi hinc intrò ociùs.

INTERPRETATIO.

EU. *Non mihi fidem habes?* CH. *Equidem fidem habeo iis omnibus, quæ mihi nuncias. Sed cur me non inducis ad eam, ut videam?* EU. *Mane tantiſper.* CH. *Quid manebo?* EU. *Non eſt tempus ingrediendi.* CH. *Enecas.* EU. *Non eſt opus, inquam, te ingredi nunc.* CH. *Reſponde mihi, quâ causâ.* EU. *Non eſt opus.* CH. *Cur?* EU. *Quia illi non eſt oportunum.* CH. *Itáne? illi non eſt oportunum, quæ me diligit? Quam ego ex adverſo amo? hic me irridet omni ratione; ego ſtultus, qui confido iſti. Remoratur, accipiam rurſus chlamydem.* EU. *Mane tantiſper, & hoc accipe.* CH. *Accipe puer, ſi vis, hoc pallium.* EU. *Mater eſt irata patri magnopere, quia ſibi adduxit meretricem ob oculos in ædes, dum ipſa abeſt ruri: ſuſpicatur illam eſſe ejus amicam.* CH. *Da zonam.* EU. *Inveſtigat nunc eam rem domi.* CH. *Machæra jam teneo.* EU. *Nam ſi te inducam nunc ad eam.* CH. *Accipio ampullam, atque proficiſcor.* EU. *Mane, mane Charine.* CH. *Falleris: non potes me fallere.* EU. *Neque ego te volo fallere ſanè.* CH. *Quin ergo tu me pateris proſequi meum iter?* EU. *Non patiar.* CH. *Ego me retardo; tu, puer, ingredere potiùs.*

ANNOTATIONES.

84. *Zonam ſuſtuli.*] Charinus ratus ſe deluſum eſſe ab amico Euthyco in iis, quæ nunciata fuerant de amicâ Paſicompſâ, depoſita peregrinationis ornamenta reſumit, incipit à zonâ, quâ colligi defluentes veſtes ſolebant, & in quâ viaticum reponebatur.

86. *Tollo ampullam.*] Viatores ampullam ferebant, in quâ, aut oleum erat ad perungendos pedes; aut vinum, & tunc vocabatur *Oenoforum*: quoniam verò *Ampullæ* illæ erant ventrioſæ, Horatius inde metaphorâ ductâ affectata verba appellat, *ampullas*.

Jam in currum escendi, jam lora in manus cœpi meas.
EU. Sanus non es? *CH.* quin pedes, vos in curriculum conjicitis
In Cyprum rectà? quandoquidem pater mihi exilium parat.
EU. Stultus es. noli istuc quæso dicere. *CH.* certum est exsequi,
Operam ut sumam ad pervestigandum ubi sit illæc. *EU.* quin domi est.
CH. Nam hic quod dixit, id mentitu'st. *EU.* vera dixi equidem tibi.
CH. Jam Cyprum veni. *EU.* quin sequere, ut illam videas quam expetis.
CH. Percontatus non inveni. *EU.* matris jam iram neglego.
CH. Porrò proficiscor quæsitum. nunc perveni Chalcidem,
Video ibi hospitem Zacyntho: dico, quid eò advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.
EU. Quin tu istas omittis nugas, ac mecum huc intrò ambulas?
CH. Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas.
EU. Nihil mentitus est. *CH.* sed de amicâ sese inaudisse autumat,
Hîc Athenis esse. *EU.* Calchas iste quidem Zacynthiu'st.
CH. Navem conscendo, proficiscor illico. jam sum domi.
Jam redii exilio. salve mihi sodalis Eutyche:
Ut valuisti? quid, parentes mei *valent? cœna dabitur.*
Bene vocas, benignè dicis: cras apud te, nunc domi.
Sic decet; sic fieri oportet. *EU.* ehò! quæ tu somnias?
Hic homo non sanus est. *CH.* medicari amicus quin properas?

Interpretatio.

Jam ascendi in currum, jam cœpi lora in meas manus. EU. *Despis?* CH. *Quare pedes mei non vos confertis in curriculum rectà in Cyprum? Quandoquidem pater mihi parat exilium.* EU. *Insanis; nolo amabo id dicere.* CH. *Est certum exequi, ut incumbam pervestigando ubi illa sit.* EU. *Quin est domi.* CH. *Profectò hic mentitus est, quod dixit.* EU. *Equidem tibi dixi verè.* CH. *Veni jam Cyprum.* EU. *Quin sequere, ut videas illam quam deperis.* CH. *Eam quærendo non reperi.* EU. *Jam aspernor iram matris.* CH. *Eo longiùs quæsitum: perveni nunc Chalcydem; video ibi hospitem Zacynthium; eloquor eum accesserim; postulo si quis audiverit, quis eam advexerit, quis habeat.* EU. *Quare tu non prætermittis istas nugas ac ingrederis huc mecum?* CH. *Hospes respondit haberi ficos non malas Zacynthi.* EU. *Non est mentitus.* CH. *Sed existimat sese audivisse de amicâ esse hic Athenis.* EU. *Hic profectò est alter Calchas Zacynthi.* CH. *Conscendo navim; jam jam discedo: nunc sum domi, nunc reversus sum ab exilio: salve mi comes Eutyche; quomodo valuisti? Quomodo mei parentes valent? Invitabòrne epulo? Commode invitas; loqueris humaniter: cras apud te: hodie domi. Sic decet: oportet sic fieri.* EU. *Ehò! quæ tu deliras? Hic homo est insanus.* CH. *Quare non festinas mederi amice?*

Annotationes.

99. *Hospitem Zacyntho.*] Id est, *E Zacyntho. Uxor Iemno: anus Corintho: vinum Chio.*

102. *Respondit Zacyntho ficos fieri.*] Id est; petebam ab hospite, num audivisset de amicâ Pasicompsâ. Ille respondet de aliis, quasi parum sollicitus de iis, de quibus interrogarem.

104. *Calchas.*] Vates in obsidione Troiæ celebris.

EU. Sequere

EV. Sequere sis. *CH.* sequor. *EV.* clementer quæso, calces deteris.
Audin tu? *CH.* jamdudum audivi. *EV.* pacem componi volo
Meo patri cum matre: nam nunc est irata. *CH.* i modò!
EV. Propter istanc. *CH.* i modò! *EV.* ergo cura. *CH.* quin tu ergo i modò!
Tam propitiam reddam, quàm cùm propitia est Juno Jovi.

INTERPRETATIO.

EU. *Sequere si vis.* CH. *Sequor.* EU. *Amabo leniter, talos premis: audisne tu?* CH. *Jam pridem audivi.* EU. *Volo iniri pacem à meo patre cum mea matre: nam est nunc irata.* CH. *I modò!* EU. *Propter Pasicompsam.* CH. *Perge modò.* EU. *Igitur da operam.* CH. *Quin ergo tu i modò! Efficiam tam placatam, quàm quando Juno est propitia Jovi.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

DEMIPHO quantum in se est sese purgat apud Lysimachum conquerentem, quòd sibi tot movisset domi rixas. Scenæ hujus versus undecim priores putantur suppositicii.

LYSIMACHVS, DEMIPHO.

LYSIMACHVS.

DEMIPHO: *Sapientum illud dictum te audisse reor sæpius:*
VOLUPTAS *est malorum esca: quòd eâ non minus homines*
Quàm hamo capiantur pisces. hanc quando fugiant senes,
Tu tamen senectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
Non abstulit modò, sed in amorem conjecit fortius.
Quo te consiliúmque tuum atque mentem perdit funditùs,
Atque oculorum tibi præstringit aciem. me quoque
In magnum conjecisti malum: nec quid faciam scio.
DE. *Lysimache, deùm hoc arbitrium est, non hominum: túte hoc tecum*

INTERPRETATIO.

LY. DEMIPHO: *arbitror te audivisse frequenter hoc adagium sapientum: Voluptas est esca malorum: quia eâ homines non minus capiuntur, quàm pisces hamo: tametsi senes ab eâ sint immunes; tamen non habes eam gratiam senectuti* tuæ: *nam illa non solum non ademit amorem; sed in eum temet impulit vehementiùs. Hoc te prorsus perimit consiliúmque tuum, & tuam mentem, & obtundit avem oculorum tuorum. Me etiam impulisti in magnum incommodum: neque video quid agam.* DE. *Lysimache, hoc pendet à diis, non ab hominibus: si id*

Si cogites, non æquum te facere arbitrabere;
Quom amico homini, tuique conscio ita succenseas miserè.
Quasi tu nunquam quicquam assimile hujus facti feceris.
LY. Edepol nunquam. cavi ne quid facerem. vix vivus sum miser!
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
DE. At ego expurgationem habebo, ut ne succenseat.
LY. Sequere me. sed exeuntem filium video meum.

INTERPRETATIO.

apud te perpendas, animadvertes id non te facere merito, quando sic inveheris in hominem tuum *amicum, non ignarum tuæ vitæ. Quasi tu nihil nunquam perpetraveris ejusmodi.* LY. *Numquam profectò: cavi ne agerem aliquid. Sum vix vivus infœlix! etenim mea uxor tota est in fermento ejus causa.* DE. *Sed ego te excusabo, ut non irascatur: sequere me. At conspicio meum natum prodeuntem.*

ANNOTATIONES.

12. *Quasi tu.*] Verba sunt Demiphonis increpationem Lysimachi amici, utcúmque à se deprecantis. Quasi dicat, *tu qui mihi meos amores exprobras, nonne amasti ipse?*

14. *Uxor tota in fermento jacet.*] Fermentum symbolum est & acerbitatis, & tumoris præ acerbitate; quasi dicat Poëta: turget iracundiâ.

15. *Expurgationem habebo.*] Te excusabo apud eam.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

EUTYCHUS hinc, inde Lysimachus causam Charini apud Demiphonem patrem perorant; oppugnant senis cupiditatem, & tandem expugnant.

EUTYCHUS, LYSIMACHUS, DEMIPHO.

EUTYCHUS.

AD patrem ibo, ut matris iram sibi esse sedatam sciat.
Jam redeo. *LY.* placet principium. quid agis? quid fit, Eutyche?

INTERPRETATIO.

EU. *Proficiscar ad patrem, ut discat iracundiam matris sibi esse placatam: nunc revertor.* LY. *Initium juvat. Quid moliris? Quid cogitas Eutyche?*

ANNOTATIO.

2. *Placet principium.*] Initium boni ominis est. Quia videlicet læto sese vultu & alacri offert Eutychus. Inde bene auguratur Lysimachus. Crediderim hoc loco ludere in nomen Eutychi Lysimachum. Græcè enim Eutychus perinde sonat, ac bona fortuna. *placet initium*, id est, faustum fortunatúmque est.

EU. Optimâ opportunitate ambo adveniſtis. *LY.* quid rei eſt?
EU. Uxor tibi placida & placata'ſt. cette dextras nunc jam.
LY. Dii me ſervant. *EU.* tibi amicam nullam eſſe nuncio.
DE. Dii te perdant. quid negotii eſt nam quæſo iſtuc? *EU.* eloquar,
Animum advertite igitur ambo. *LY.* quin tibi ambo operam damus.
„*EU.* Qui BONO SUNT genere nati, *ſi* ſunt ingenio malo,
„Suâpte culpâ genere capiunt genus, ingenium improbant.
DE. Verum dicit hic. *LY.* tibi ergo dicit. *EU.* eò illud verum eſt magis.
Nam te iſtâc ætate haud æquum fuerat filio tuo,
Adoleſcenti amanti amicam emptam argento eripere ſuo.
DE. Quid tu ais? Charini amica'ſt illa? *EU.* ut diſſimulat malus!
DE. Ille quidem illam ſeſe ancillam matri emiſſe dixerat.
EU. Propterea igitur tu mercatus? novus amator, vetus puer.
LY. Optimè hercle: perge! ego aſſiſtam *jam* hinc altrinſecus.
Quibus eſt dictis dignus: uſque oneremus ambo. *DE.* nullus ſum.
LY. Filio ſuo qui innocenti fecit tantam injuriam.
EU. Quem quidem hercle ego, in exilium cùm iret, reduxi domùm:
Nam ibat exulatum. *DE.* an abiit? *LY.* etiam loquere, larüa?

INTERPRETATIO.

EU. *Veniſti uterque admodum tempeſtive.* LY. *Quid eſt negotii?* EU. *Tua uxor eſt placata & manſuefacta: date manus nunc jam.* LY. *Dii me ſervant.* EU. *Renuncio tibi nullam eſſe amicam.* DE. *Dii te perdant, quidnam rei eſt amabo?* EU. *Edicam itaque; audite uterque.* LY. *Ecce ſumus attenti uterque.* EU. *Qui ſunt procreati nobili ſanguine ſi ſunt improbo animo addunt labem ſuo generi, & inquinant ingenium.* DE. *Hic dicit verum.* LY. *Idcircò tibi dicit.* EU. *Id eſt hoc magis verum: nam non erat juſtum te iſta ætate abducere à tuo filio, adoleſcente amanti amicam emptam ſuo ære.* DE. *Quid dicis tu? illa eſt amica Charini?* EU. *Ut diſſimulat nequam!* DE. *Ille profectò affirmarat ſeſe illam emiſſe ſuæ matri.* EU. *Idcircò tu ergo emeras novus amator, ſenex juvenis.* LY. *Optimè per Herculem: proſequere; ego ſtabo hinc ex altera parte: oneremus uſque ambo hominem convitiis, quæ commeretur.* DE. *Perii.* LY. *Qui affecit tantâ injuriâ ſuum filium immeritum.* EU. *Hunc profectò revocavi domum proficiſcentem in exilium; nam ibat exulatum.* DE. *An profectus eſt?* LY. *Adhuc loqueris, larva?*

ANNOTATIONES.

3. *Optima opportunitate.*] Inter numina ſua numerabant veteres opportunitatem.

4. *Cette dextras.*] Id eſt, *date.* Nonius: *A cedo cette:* quaſi per contradictionem *cedite.*

9. *Suâpte culpâ genere capiunt genus.*] Alii, *ex genere*, quaſi dicas *degenere*, ab *degeneris*, & hoc *degenere.* Id eſt, qui ſunt nati bono genere, ſi ſunt ingenio malo genere bono ſuo capiunt malum genus & ingenium depravant. Id eſt, abutuntur dotibus à naturâ conceſſis, ut deteriores fiant.

15. *Vetus puer.*] Id eſt, delirus ſenex. Iſaïas Propheta, *puer centum annorum.* Philoſtratus: Ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. Puer inter ſenes; ſenex inter pueros.

20. *Etiam loquere larva.*] Non homo, ſed larva hominis.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

TEMPERARE istâc ætate istis decebat artibus.
DE. Fateor: deliqui profectò. *EU.* etiam, loquere larua?
„VACUUM esse istâc ted ætate iis decebat noxiis:
„Itidem, ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.
Nam si istuc jus est, senectâ ætate scortari senes,
Ubi loci res summa nostra est publica? *DE.* hei, perii miser!
* * * *
Jam obsecro, vobis hercle habete cum porcis, cum fiscinâ.
EU. Redde filio, sibi habeat. *DE.* jam ut vult, per me sibi habeat licet.
Temperi edepol! quoniam, ut aliter facias, non est copiæ.
DE. Supplicii sibi sumat, quid vult ipse, ob hanc injuriam,
Modò pacem faciatis, mis. oro, ut ne mihi iratus siet.
Si hercle sciviſſem, sive adeò joculo dixisset mihi,
Se illam amare; nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro, sodalis ejus es, serva & subveni:
Hunc senem para me clientem: memorem dices beneficii.
LY. Ora ut ignoscat delictis tuis atque adolescentiæ.
DE. Pergin' tu autem, eja! superbè invehere? spero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.

INTERPRETATIO.

Oportebat abstinere in istâ ætate, ab istis artibus amatoriis. DE. *Fateor, peccavi profectò.* EU. *Adhuc loqueris, larva? Oportebat te carere hac ætate ista culpa: aliæ actiones decent aliam ætatem, perinde atque in tempestatibus anni. Nam si illud est jus senes scortari illa ætate, quo devenit summa nostra reipublicæ?* DE. *Heu, perii infelix!* * * * *Per Herculem obsecro vos, habete hanc cum porcis, ac fiscina.* EU. *Restitue tuo nato: habeat.* DE. *Habeat nunc, ut vult; per me licet.* EU. *Per eadem Pollucis tempestivè! quandoquidem non potes facere aliter.* DE. *Sibi capiat ipse supplicium quod velet propter hanc contumeliam, dummodò sanciatis pacem; rogo, ut non sit infensus mihi. Per Herculem si sciviſſem, sive adeò mihi dixisset, vel joco se illam amare, numquam commisissem, ut illam avocarem ab amante. Eutyche, te rogo; es ejus socius, tuere & succurre: accipe me tuum clientem, qui sum senex; dices me esse memorem beneficii.* LY. *Roga ut ignoscat tuis peccatis & juventuti.* DE. *Pergisne tu verò eja! increpa arroganter? Ego spero fore ut ejusmodi tempus mihi contingat etiam, ut tibi referam parem vicem.*

ANNOTATIONES.

28. *Vobis habete cum porcis, cum fiscinâ.*] Hoc significat Demipho Pasicompsam filio dimittere se & concedere. Nata formula loquendi ex iis, qui cum fundo *porcos*: id est, pecudes omnes in eo natas, quarum vilissima est *porcus* & *fiscinam*. Id est, supellectilia omnia mortua, quorum in vilissimis est *fiscina*. Id est, sporta viminea. Alii pro *porcis* legunt *sportis* & *fiscina*. Quod hoc magis probandum videtur, quod Pasicompsa fortè attulisset secum ex navi apud Lysimachum *sportas* quasdam & *fiscinam*.

30. *Temperi.*] Id est, *tempori*, seu *tempore* & *tempestivè*, quod dicitur per ironiam pro contrario.

LY. Missas jam ego istas artes feci. *DE.* & quidem ego dehinc jam. *LY.* nihil.
CONSUETUDINE animus rursus te huc inducet. *DE.* obsecro,
Satis jam ut habeatis. quin loris cædite etiam, si lubet.
LY. Rectè dicis. sed istuc uxor faciet, cùm hoc resciverit.
DE. Nihil opust resciscat. *EU.* quid istuc? non resciscet, ne time.
Eamus intrò, non utibilis hic locus factis tuis,
Dum memoramus, arbitri ut sint, qui prætereant per vias.
DE. Hercle quin tu rectè dicis: eâdem brevior Fabula
Erit. eamus. *EU.* hîc est intus filius apud nos tuus.
DE. Optimè est. illâc per hortum nos domum transibimus?
LY. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quàm meum intro refero pedem.
EU. Quid istuc est? *LY.* SUAM QUISQUE homo rem meminit. responde mihi:
Certon' scis non succensere mihi tuam matrem? *EU.* scio.
LY. Vide! *EU.* me vide. *LY.* satis habeo. at quæso hercle, etiam vide!
EU. Non mihi credis? *LY.* imò credo, sed tamen metuo miser.
DE. Eamus intrò. *EU.* imò dicamus senibus leges censeo,
Priusquam abeamus, quas leges teneant, contentique sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum, seu hercle adeò cœlibem, scortarier,
Cum eo nos hîc lege agemus: inscitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit, qui suum prodegerit.
* * * *

INTERPRETATIO.

LY. *Ego missas feci jam illas artes.* DE. *Et ego quidem dehinc jam faciam.* LY. *Nihil proficis; animus te reducet huc rursus.* DE. *Te rogo, ut id vobis sufficiat; quin me cædite flagris etiam, si lubet.* LY. *Loqueris rectè; sed uxor aget id, quando didicerit hoc.* DE. *Non est opus ut discat.* EU. *Quid istud? non sciet; ne metue. Ingrediamur: hic locus non est commodus tuis factis commemorandis dum arbitri commeant per vias.* DE. *Per Herculem, quare tu non dicis rectè? eâdem ratione fabula erit brevior; eamus.* EU. *Tuus filius est hîc apud nos in ædibus.* DE. *Benè est: nos prætéribimus illâc per hortum & ibimus domum.* LY. *Eutyche, volo fieri hanc rem, antequàm referam meum pedem in ædes.* EU. *Quid est hoc?* LY. *Quisque recordatur suæ rei: responde mihi; scísne pro certo tuam matrem non esse iratam?* EU. *Scio.* LY. *Vide.* EU. *Me vide.* LY. *Sum contentus, & rogo etiam atque etiam, vide.* EU. *Non mihi confidis?* LY. *Imò confido, attamen metuo infœlix.* DE. *Ingrediamur.* EU. *Imò existimo nobis esse scribendas leges senibus, priusquam proficiscamur, quàs senes observent, & iis contineamur: si sciamus aliquem, seu maritum, seu etiam non maritum, qui erit natus annos sexaginta, amare, nos eum vocabimus in judicium; judicabimus eum esse minimè scitum: ille qui suum profuderit, egebit, nobis sinentibus.* * * *

* * * * *

* * * *

Hæc adeò, ut ex hacce nocte primùm lex teneat ſenes.
Bene valete, atque adoleſcentes, hæc ſi vobis lex placet,
Ob ſenum hercle induſtriam, vos æquum eſt clarè plaudere.

INTERPRETATIO.

* * * *
* * * *
* * * *
* *Hæc lex ſit ſenibus* poſita

primùm ex hacce nocte. Bene valete; & ſi hæc lex vobis placet juvenes, fas eſt, vos plaudere clare propter induſtriam ſenum.

FINIS MERCATORIS.

M. ACCII PLAUTI

PSEUDOLUS.

ARGUMENTUM.

ATHENIENSIS civis Simo habebat filium Calidorum & Pseudolum servum. Calidorus amabat Phœnicium, præstanti forma puellam, quam habebat in suâ potestate leno Ballio. Hic cupiditate lucri adductus, Phœnicium vendit Macedonico militi Polymachæroplacidæ viginti minis. Miles quindecim numerat præsentes, pollicetúrque quinque alias in diem Dyonisiorum. Profectus Sycionem, relinquit Ballioni symbolum, in quo erat ejus imago cerâ expressa, ut ei qui quinque reliquas minas afferret, & simile symbolum cum eo, mitteret Phœnicium. Phœnicium per litteras rem universam nunciat suo Calidoro, & in diem crastinam affuturum esse servum à milite, cum minis quinque & symbolo, qui se in Macedoniam transferat. Re cum Pseudolo communicatâ, Calidorus despondet animo; sed Pseudolus erigit hominis animum, & pollicetur operam suam, in circumveniendo lenone Ballione, & abducendâ Phœnicio. Simo discit amores filii, & consilium circumveniendi lenonis. Increpat Pseudolum quòd sit adjutor in amoribus filii Calidori; sese purgat Pseudolus, in quo auxilio est Callipho amicus Simonis. Denique Simo ostendit Pseudolo, quàm Callidus sit Ballio, & quàm temere agrediatur hominem decipere. Lusurum se eum spondet Pseudolus, & in eam rem minarum viginti pignore decertant herus & servus. Interim Polymachæroplacides mittit Caculam Harpagum ad Ballionem cum symbolo & minis quinque. Cacula incidit in Pseudolum, à quo petit, ubi sint ædes Ballionis. Addit se esse missum à Polymachæroplacide cum symbolo & quinque minis ad abducendam Phœnicium. Pseudolus respondet homini nondum esse reversum à foro Ballionem herum; sed se esse Syrum servum Ballionis Atriensem & Subballionem. Tradit ei symbolum Cacula Harpagus; sed recusat dare minas quinque, nisi ipsi Ballioni, quando reversus fuerit à foro. Interim pergit ad popinam usque eò dum revertatur

Ballio, rogátque Pseudolum, ut se ejus reditus admoneat. Simo it ad forum, convenit Ballionem, monet Pseudolum architectari aliquam fraudem in eum, ad abducendam Phœnicium. Pignore depósito cum Simone decertat Ballio se non fraudendum esse à Pseudolo; & statim revertitur à foro Ballio, & diligenter cavet à Pseudolo. Sed Pseudolus adit Sycophantam Simiam Charisti filium; dat symbolum, & minas quinque; quid illi faciendum docet Ballionem ut fraudet & Phœnicium abducat. Venit ad Ballionem cum symbolo & quinque minis, quasi à milite missus: Simia se Harpagum appellare ait, depromit symbolum, depromit & minas quinque, Phœnicium abducit. Vix profectus est domo lenonis Harpago-Simia cum præda, cum triumphat Ballio, quod jam in tuto res sint ejus adversus fraudes Pseudoli. Cum depositas à Simone exigit minas viginti in pignus, elusis dolis Pseudoli, interim Harpagus prodit è popinâ, venit ad Ballionem, petit Phœnicium verbis heri sui Polymachæroplacidæ: Ballio & Simo arbitrantur esse summissum à Pseudolo, ludificantur hominem. Sed quando narrat se dedisse epistolas cum symbolo Syro servo Ballionis, rogant quâ facie esset Syrus ille, cui dedisset symbolum. Adeò graphicè describit Pseudolum & non Syrum, ut fraudem Pseudoli demum agnoscant. Ballio dependit viginti minas Simoni, & mox Simo Pseudolo. Hæc fabula vocatur Pseudolus à servo hujus nominis insigniter fraudulento. Unde sumpta sit hæc fabula non notatur; fortè est tota Plauti; unde Poëta ille eâ præter cæteras dicitur esse delectatum. Prologus hujus fabulæ etsi antiquus est, tamen videtur suppositus, exceptis versibus duobus extremis. Comœdia constat fabulâ & epilogo. Fabulæ Prothasis patet ab initio ad Scenam tertiam Actus secundi. Epithasis à Scenâ tertiâ Actus secundi ad Scenam septimam Actus quarti. Catastrophe à Scenâ septimâ Actus quarti ad trigesimum secundum versum Scenæ secundæ Actus quinti. In hac Fabulâ est hominis insigniter fraudulenti abumbratio; in quo subest prudentiæ præceptum, quod unum valeat contra calliditatem. Nempe nihil esse oportere commercii cum callidis: aut enim damna perpetuò perferenda sunt; aut calliditas opponenda calliditati; quòd est animi perpetuo solliciti & pendentis.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PERSONÆ.

SIMO, Civis Athenienſis pater Calidori.
CALIDORUS, filius Simonis amator Phœnicii.
CHARINUS, amicus Calidori.
PSEUDOLUS, ſervus Simonis & Calidori, ſeu Syro-Pſeudolus.
SIMIA Sycophanta, ſeu Harpago-Simia.
CALLIPHO, amicus Simonis.
BALLIO, leno Phœnicii.
PHOENICIUM, amica Calidori.
LORARII lenonis.
COQUUS lenonis.
PUER lenonis.
HARPAX Calo Polymachæroplacidis militis.

PERIOCHA ACROSTICHA.

PRÆSENTES numerat quindecim Miles minas.
SImul consignat symbolum, ut Phœnicium
Ei det Leno, qui eum cum reliquo afferat.
VEnientem Caculam intervortit symbolo,
Dicens, Syrum se Ballionis, Pseudolus:
OPémque herili ita tetulit: nam Simiæ
LEno mulierem, quem is suppositit, tradidit.
VEnit Harpax verus: res palàm cognoscitur:
SEnéxque argentum, quod erat pactus, reddidit.

INTERPRETATIO.

MIles solverat quindecim minas præsenti pecuniâ. Unà obsignat symbolum, ut leno tradat Phœnicium servo, qui illud cum cæteris afferat. Pseudolus ait se esse Syrum servum Ballionis, & intercipit symbolum à Calone adveniente: & sic opitulatus est filio heri: nam leno dedit Simiæ, quem Pseudolus *summisit, meretricem. Venit verus Harpagus: res detegitur: senex restituit pecuniam quam erat pollicitus.*

ANNOTATIONES.

1. *Præsentes.*] Dictum est in argumento fabulæ Militem emisse Phœnicium puellam viginti minis à lenone, & quindecim numeravisse.

3. *Cum reliquo.*] Cum reliquis quinque minis.

6. *Herili filio.*] Calidoro.

PROLOGI ARGVMENTVM.

CAPTATUR attentio & benevolentia spectatorum.

PROLOGUS.

STUDETE *hodie mihi: bona in Scenam affero:*
Nam BONA BONIS FERRI *reor æquom maxumè;*
Ut mala malis: ut, qui mali sunt, habeant mala:

INTERPRETATIO.

FAvete mihi hodiernâ die; apporto fausta in theatrum: etenim existimo æquissimum apportari bona ad bonos, sicut mala ad malos; ut, qui existunt mali, sentiant mala:

ANNOTATIO.

1. *Bona in scenam affero.*] Alii, *bonam scævam*, quasi dicat, *auspicato, bono auspicio* venio: quia auspicia quæ fiunt à *scævâ* seu sinistrâ ad dextram, sunt fausta.

Qui boni, bona. bonos quòd oderint mali,
Sunt mali: malos quòd oderint boni, bonos
Esse oportet. vósque ideò estis boni: quandoquidem
Semper odistis malos; & lege, & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus est, & hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient saturi.
In Scenam qui jejunus venerit, aut sitiens,
Is risu & ventre raso vigilabit sedulò:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc si sapitis, cedite jejuni, atque discedite:
Vos saturi state, imò sedete, atque attendite,
Non argumentum, neque hujus nomen Fabulæ
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus:
Satis id dictum vobis puto jam atque deputo.
Ubi lepos, joci, risus, vinum, ebrietas decent;
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio;
Qui quærit *alta, is malum videtur quærere.*
Curas malas abjicite jam, ut otiosi hodie.
Exporgi meliu'st lumbos, atque exsurgere.
Plautina longa Fabula in Scenam venit.

Interpretatio.

qui boni, bona. Mali sunt mali, quia aversantur bonos: oportet bonos esse bonos, quòd odio prosequantur malos. Itaque vos estis boni: quandoquidem aversati estis semper malos; vos eos fugastis, Quirites, feliciter & legibus & armis. Prabete nunc attentionem huic turba actorum, qua est bona, & apportat hodie bona ad bonos. Aures, oculi, mens largiter pascentur. Is qui accesserit impransus ad theatrum, aut sitibundus; idem insomnis erit attente risu, & abdomine depresso: intereadum cœnati ridebunt, jejuni nos carpent. Nunc si sani estis, egredimini famelici, atque abite: vos pransi consistite; imò sedete & audite attente. Ego non propono nunc argumentum, neque nomen hujus Comœdia. Pseudolus id prastabit; existimo nunc id esse satis dictum. Ubi festivitas, joci, risus, vinum, temulentia adsunt; gratia, decor, jucunditas atque oblectatio: is qui expectat alia, videtur expectare infortunium. Deponite nunc molestas sollicitudines, ut sitis hodie quieti. Est satius explicare lumbos & surrigere. Longa Comœdia Plauti procedit in Theatrum.

Annotationes.

8. *Fugitastis.*] Id est, *fugastis* à *fugo*, *fugito.*

Successis bonis.] Successibus. *Successa bona qua bene succedunt.* Cicero: *Nam cum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua. Homo ventus, adventus, discessus, antecessus.* Qui *venit, advenit, discessit, antecessit.* Sol occasus, *qui occidit.*

13. *Risu.*] Spectatorum.

Ventre raso.] *Ventre depresso*, & cibis vacuo.

24. *Exporgi.*] *Exporrigi* lumbos; qui enim sedent, incurvis sunt lumbis; qui stant rectis exporrectis: *exporgi* igitur, idem est, ac *surgere.*

Exsurgere.] Id est, *Exsurrigere* lumbos; quod idem est ac *exporgere*, seu *exporrigere* lumbos, quod est utrumque discessum meditantis.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

PSEUDOLUS Calidorum herum ſuum animo deſpondentem, quòd non adſint minæ viginti ad emendam Phœnicium à lenone Ballione, ſolatur, pollicetúrque eam pecuniam, quâvis arte, à quovis, etiam à patre Simone, ſe eſſe intercepturum.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PSEUDOLUS lectâ Imperio Calidori epiſtolâ Phœnicii, in quâ hujus Argumentum Fabulæ magnâ ex parte continetur; Calidorum jubet quieto animo eſſe, & viginti minarum reperiendarum provinciam in ſeſe recipit.

CALIDORUS adoleſcens, PSEUDOLUS ſervus.

PSEUDOLUS.

SI ex te tacente fieri poſſem certior,
Here, quæ miſeriæ te tam miſerè macerant,
Duorum labori ego hominum parſiſſem lubens,
Mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non poteſt, neceſſitas

INTERPRETATIO.

PS. *Here ſi poſſem diſcere ex te ſilente, quæ ægritudo te conficiat, tam miſerabilem in modum; ego abſtinerem libenter à moleſtiâ utriuſque noſtrum, meâ in te percontando, & tuâ in reponendo: ſed quia jam id nequit fieri, neceſſitas*

ANNOTATIONES.

2. *Miſeria te tam miſerè.*] Eſt battologia in Plauto paſſim obvia, pro miſeriæ, quæ te tantopere macerant.

Macerant.] Macero nonnunquam macrum & exſuccum reddo ſignificat: interdum & *madefacio*, quòd eſt fermè contrarium. In Captivis, *ſatis me curâ & lacrymis maceravi.*

3. *Parſiſſem.*] *Parco* habet interdum *parſi* pro *peperci*, & vetus *parcui.*

4. *Mei te rogandi.*] Pro labori meo in te rogando; eſt Helleniſmus, ut πόνος μοῦ.

Me subigit, ut te rogitem, responde mihi :
Quid est, quòd tu exanimatus jam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consilii quemquam facis ?
Eloquere, ut quod ego nescio id tecum sciam.
CA. Miserè miser sum, Pseudole ! *PS.* id te Juppiter
Prohibessit. *CA.* nihil hoc Jovis ad judicium attinet.
Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.
PS. Licet me id scire quid sit ? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consiliis tuis.
CA. Idem animus nunc est. *PS.* fac me certum quid tibi est.
Iuvabo aut re, aut operâ, aut consilio bono.
CA. Cape has tabellas, tutè hinc narrato tibi,
Quæ me miseria & cura contabefacit.
PS. Mos tibi geretur. sed quid hoc quæso ? *CA.* quid est ?
* * * * *
* * * * *
PS. Has quidem pol, credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretari alium potesse neminem.
CA. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepidâ conscriptis manu ?
PS. An obsecro hercle, habent quoque gallinæ manûs ?
Nam has quidem gallina scripsit. *CA.* odiosus mihi es.

INTERPRETATIO.

me cogit, ut à te sisciter. Repone mihi: quare jam à compluribus diebus, tu mortuo similis portas tecum epistolas, eas aspergis fletibus, neque reddis ullum consilium tuorum consiliorum? Aperi mihi, *ut cognoscam, perinde atque tu, id quod ego ignoro.* CA. *Pseudole, sum infeliciter infelix!* PS. *Juppiter arceat à te id.* CA. *Hoc non pendet ab arbitrio Jovis. Do pœnas sub regno Veneris, non sub* regno *Jovis.* PS. *Possúmne scire, quid id sit? Nam tu voluisti hactenus me esse imprimis participem tuorum consiliorum.* PS. *Est adhuc eadem mens.* PS. *Aperi mihi quid tibi sit; tibi opitulabor, aut fortunis, aut labore, aut bono consilio.* CA. *Accipe has litteras; inde doce teipse quæ ægritudo, & sollicitudo me maceret.* PS. *Tibi obtempero. Sed quid est hoc amabo?* CA. *Quid est?* * * * * * * * *

PS. *Equidem existimo neminem posse has legere præter Sibyllam, nullumque alium posse explicare.* CA. *Quare maledicis venustis literis, epistolæ venustæ, epistolæ exaratæ venustâ manu?* PS. *An amabo, sunt gallinis etiam manus? Nam sine dubio gallina has exaravit.* CA. *Invisus mihi es.*

ANNOTATIONES.

13. *Sub Veneris regno.*] Olim juvenes & virgines ab anno decimo ad decimum octavum sub regno Veneris esse credebantur. Itaque Icunculas & Togulas veneri offerebant, quam fortunam virginalem appellabant, ut Junonem mulieres vocabant fortunam muliebrem. Votis verò suis virgines & juvenes potiti, munera Veneri offerebant; & illæ quidem coronas florum, hi verò Zonas Amasiarum. Sic videlicet vapulabat sub regno cupiditatis corrupta per peccatum primi parentis natura.

23. *Nisi Sibylla legerit.*] Quia partim legendæ erant litteræ, partim divinandæ.

Lege, vel tabellas redde. *PS.* imò enim pellegam:
Advortito animum. *CA.* non adeſt. *PS.* at tu cita.
CA. Imò ego tacebo, tu hinc ex cerâ cita,
Nam iſtic meus animus nunc eſt, non in pectore.
PS. Tuam amicam video, Calidore. *CA.* ubi ea eſt, obſecro?
PS. Eccam in tabellis porrectam, in cerâ cubat.
CA. At te dii deæque quantus es. *PS.* ſervaſſint quidem.
CA. Quaſi ſolſtitialis herba, pauliſper fui:
Repente exortus ſum, repentino óccidi.
PS. Tace, dum tabellas pellego. *CA.* ergo quin legis?
PS. Phœnicium Calidoro amatori ſuo
Per ceram & linum literáſque interpretes
Salutem mittit, & ſalutem abs te expetit,
Lacrimans titubanti animo, corde, & pectore.
CA. Perii! ſalutem nuſquam invenio, Pſeudole,
Quam illi remittam. *PS.* quam ſalutem? *CA.* argenteam.
PS. Pro ligneân' ſalute vis argenteam
Remittere illi? vide ſis, quam tu rem geras.
CA. Recita modò: ex tabellis jam faxo ſcies,
Quàm ſubitò argento mihi uſus invento fiet.
PS. Leno me peregrè militi Macedonico
Minis viginti vendidit, voluptas mea!
Et priuſquam hinc abiit, quindecim Miles minas

INTERPRETATIO.

Lege epiſtolam, vel reſtitue. PS. *Imò perlegam: adhibe mentem.* CA. Mea mens *non præſto eſt.* PS. *At tu* eam *revoca.* CA. *Imò ego ſilebo. Tu revoca eam ex hac cerâ; Nam mea mens eſt nunc iſtic, non in pectore.* PS. *Conſpicor tuam amicam, Calidore.* CA. *Ubi eſt, quaſo?* PS. *Adeſt ſtrata in epiſtolis; jacet in cera.* CA. *At Dii, & Deæ quantus és te perdant.* PS. *Servent ſanè.* CA. *Vixi parumper; velut herba Ephemeris, natus repente, interii repente.* PS. *Sile, intereà dum lego epiſtolam.* CA. *Quare non legis igitur?* PS. *Phœnicium mittit ſalutem Calidoro ſuo amatori per ceram & linum, & litteras ſuas internuncios, & exoptat à te ſalutem, plorans mente ancipiti, corde, & pectore.* CA. *Occidi! Pſeudole, reperio nuſquam ſalutem, quam illi remittam.* PL. *Quam ſalutem?* CA. *Argenteam.* AS. *Viſne illi remittere ſalutem argenteam pro lignea? Vide ſi vis, quid facias.* CA. *Lege modò; efficiam nunc, ut intelligas ex epiſtolis, quàm celeriter mihi pecunia ſit reperienda.* PS. *Leno me vendidit militi peregrino Macedonico viginti minis, mea voluptas! & Miles numeravit quindecim minas antequam*

ANNOTATIONES.

36. *Solſtitialis herba.*] Solſtitialis herba quæ & Ephemerus Solſtitiali die, calente videlicet maximè Sole, naſcitur, & intra unum diem areſcit: ſic dicit ſe pauliſper fuiſſe, id eſt vixiſſe, Calidorus.

40. *Per ceram & linum.*] Alii *lignum*; nimirum epiſtolæ ſcribebantur in tabulis ligneis cerâ inductis; deinde involutæ lino circumpoſito ſigillo muniebantur, aliâ cerâ impreſſo, ne aperirentur. Nos ſericeo filo complicatas cartas ſigillóque munimus.

Dederat; nunc unæ quinque remorantur minæ:
Eâ causâ Miles hîc reliquit symbolum,
Expressam in cerâ ex annulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. ei rei dies
Hæc præstituta est, proxima Dionysia.
CA. Cras ea quidem sunt. propè adest exitium mihi.
Nisi quid mihi in te est auxilii. *PS.* sine pellegam.
CA. Sino. nam mihi videor cum eâ fabularier.
Lege, dulce, amarumque unà nunc misces mihi.
PS. Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Jocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
* * * *
* * *
* * * *
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Distractio, discidium, vasticies venit,
Nisi quæ mihi in te'st aut tibi est in me salus.
Hæc quæ ego scivi, ut scires, curavi omnia:
Nunc ego te experiar quid ames, quid simules. vale.
CA. Est miserè scriptum, Pseudole! *PS.* ô miserrimè!
CA. Quin fles? *PS.* pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modò.

Interpretatio.

proficisceretur hinc: nunc quinque minæ tantum retardant; idcircò Miles reliquit suam imaginem expressam ex annulo in cerâ pro tesserâ, *ut* leno *me mitteret cum eo, qui afferret similem notam. Proxima Dionysia est dies destinata ei rei.* CA. *Dionysia profectò sunt cras. Exitium instat, nisi mihi est quiddam adjumenti à te.* PS. *Patere ut perlegam.* CA. *Patior: nam mihi videor loqui cum eâ: lege; mihi propinas nunc unà dulce & amarum.* PS. *Nunc divelluntur ab invicem, discinduntur, evertuntur amor, obsequia, familiaritates, jocus, ludus, confabulatio, oscula,* *
* * * *
* * *
* * *& omnes voluptates tuæ meæque, nisi mihi est in te aliquid præsidii aut tibi in me. Curavi ut intelligeres omnia hæc, quæ ego accepi. Nunc ego periculum faciam utrum diligas, utrum simules. Vale.* CA. *Id est scriptum tristissimè, Pseudole!* PS. *O miserrimè, Calidore!* CA. *Non lacrymaris?* PS. *Habeo oculos pumiceos: nequeo ab his impetrare, ut depromant vel unam lacrymulam.*

Annotationes.

53. *Symbolum.*] Symbola est pecunia, quam quisque pendit pro se in cœnam communem; nos Galli appellamus, *chacun son écot.* Symbolum est aliquod signum de quo conveniunt in aliquam rem, ut arrha est signum rei venditæ. Sigillum est à signo, quia erat in annulo signatorio imago, aut emblema ejus cujus erat signum, seu sigillum. Isidorus: *Veteres quando aliquid sibi promittebant stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes suas sponsiones agnoscebant. Symbolus* est Plauto idem quod *symbolum.*

71. *Nunc ego te experiar.*] Alii *re.*

74. *Lachrumam ut expuant.*] Translatio vernilis.

CA. Quid ita? *PS.* genus noſtrum ſemper ſiccoculum fuit.
CA. Nihilne adjuvare me audes? *PS.* quid faciam tibi? *CA.* heu!
PS. Heu? id quidem tibi hercle, ne parſis, dabo.
CH. Miſer ſum; argentum nuſquam invenio mutuum,
Pſeudole. *PS.* heu! *CA.* neque intùs nummus ullus eſt. *PS.* eheu!
CA. Ille abducturus eſt mulierem cras. *PS.* eheu!
CA. Iſtóccine pacto me adjutas? *PS.* do id quod mihi eſt:
Nam is mihi theſaurus jugis in noſtrâ eſt domo.
CA. Actum hodie de me eſt. ſed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?
PS. Vix hercle opinor, ſi me opponam pignori.
Sed quid de drachmâ facere vis? *CA.* reſtim volo
Mihi emere. *PS.* quamobrem? *CA.* quî me faciam penſilem.
Certum eſt mihi ante tenebras, tenebras perſequi.
PS. Quis mihi igitur drachmam reddet, ſi dederim tibi?
An tu te eâ cauſsâ vis ſciens ſuſpendere,
Ut me defraudes drachmâ, ſi dederim tibi?
CA. Profectò nullo pacto poſſum vivere,
Si illa à me abalienatur atque abducitur.
PS. Quid fles, cucúle? vives. *CA.* quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti fiet:
Neque *cui* libellæ ſpes ſit uſquam gentium.

INTERPRETATIO.

CA. *Quare?* PS. *Noſtrum genus fuit ſemper durum ad lachrymas.* CA. *Nónne potes mihi opitulari?* PS. *Quid tibi opis afferam?* CA. *Heu!* PS. *Tibi ſuppeditabo, heu! ne parce utaris.* CA. *Sum infœlix; reperio nullibi pecuniam mutuam, Pſeudole.* PS. *Heu!* CA. *Neque habeo ullum nummum.* PS. *eheu!* CH. *Ille abducturus eſt craſtina die mulierem.* PS. *Eheu?* CA. *Itáne vero mihi auxiliaris?* PS. *Do id quod habeo: nam habeo illum theſaurum perennem in noſtris ædibus.* CA. *Eſt actum de me hodie; ſed nónne potes nunc mihi dare unam drachmam mutuam, quam tibi reddam cras?* PS. *Profecto vix arbitror* poſſe, *etiamſi me dem in pignus. Sed quid opus eſt drachmâ?* CA. *Volo mihi comparare funem.* PS. *Quapropter?* CA. *Ut me ſuſpendam: conſtitui mihi conſciſcere mortem, antequam dies abeat.* PS. *Quis igitur mihi reſtituet drachmam, ſi tibi dederim? An idcirco tu vis te ſuſpendere conſulto, ut mihi ſuffureris drachmam, ſi tibi dederim?* CA. *Profectò nequeo vivere, ſi alius eam habeat, & abducitur à me.* PS. *Quid fles, cucule? vives.* CA. *Quare non plorem? Qui ne nummum quidem habeam in promptu, neque ullam ſpem nummi ullibi.*

ANNOTATIONES.

77. *Ne parſis.*] *Ne peperceris, ne parce, ejules.* Alii, *neparcis* uno verbo, eoque adverbio ſcribunt: ut in eodem comico eſt *ingratiis, invitis: neparcis* eſt idem, atque *minime parce, abunde.*

85. *Si me apponam pignori.*] *Si je me mettois en gage.*

87. *Faciam penſilem.*] Me ſuſpendam.

88. *Ante tenebras.*] Id eſt, Noctem. *Tenebras perſequi*, id eſt, mortem.

94. *Cucule.*] Adulter. Nota avis quæ alieno in nido ova ponit. De hac ſupra.

96. *Libellæ.*] Libella nummus argenteus decima denarii pars. A libra, libella.

PS. Ut

PS. Ut literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quàm si imbrem in cribrum geras.
Verùm ego te amantem, ne pave, non deseram.
Spero, alicunde hodie me bonâ operâ, aut hâc meâ,
Tibi inventurum esse auxilium argentarium.
Atque id futurum, unde unde dicam nescio;
Nisi quia futurum est: ita supercilium salit.
CA. Utinam quæ dicis, dictis facta suppetant!
PS. Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,
Quo pacto & quantas soleam turbellas dare!
CA. In te nunc sunt omnis spes ætati meæ.
PS. Satin est, si hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
CA. Satis, si futurum est. *PS.* roga me viginti minas.
Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias,
Roga obsecro hercle. gestio promittere.
CA. Dabísne argenti mihi hodie viginti minas?
PS. Dabo, molestus nunc jam ne sis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, dico prius,
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.

Interpretatio.

PS. *Ut ego audio ex contextu illarum litterarum, nisi tu fleveris illi drachmis argenteis, amorem quem vis ostendere istis lachrymis non pluris faciet, quàm si portare velis aquam in cribro. Sed ego non te deseram amantem, ne metue; confido me tibi reperturum esse hodie auxilium, suppeditatâ pecuniâ aliquâ ex parte, sive bonâ arte, sive hâc meâ malâ. Atqui ignoro unde suppeditaturus sim, nisi quia sum suppeditaturus. Nam supercilium sic monet* suo motu. CA. *Utinam facta respondeant dictis!* PS. *Profectò si sucutiam meas fraudes, nosti quot & quantos soleam concitare motus.* CA. *Omnis spes mea salutis est nunc in te.* PS. *Estne satis, si efficio hodie, ut habeas hanc mulierem, aut si tibi numero viginti minas?* CA. *Satis, si feceris.* PS. *Pete à me viginti minas. Ut intelligas me facturum, quod tibi sum pollicitus; pete à me amabo: exopto polliceri.* CA. *Mihine numerabis hodie viginti minas argenti?* PS. *Numerabo; ne mihi sis nunc importunus: & ne dicas tibi non esse dictum, id tibi dico prius. Circumveniam tuum patrem, si neminem potero alium.*

Annotationes.

102. *Bonâ operâ, aut hâc meâ.*] Aut rectâ ratione, aut viâ aliquâ dolosâ, ac me servo dignâ.

105. *Ita supercilium salit.*] Captabant ex motu cujusvis partis corporis superstitiosi veteres seu bona, seu mala auspicia: hic ex supercilii motu. Isidorus: *Saliatores seu salitores vocati sunt; quia dum eis membrorum quacumque partes saliérint, aliquid exinde sibi prosperum, seu triste significari prædicunt. Ad hæc omnia pertinent, & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, &c.* Id est, *fascina.*

107. *Mea si commovi sacra.*] Meas artes.

118. *Tuum tangam patrem.*] Tangere, hoc loco, fraudare, circumvenire.

CA. Dii te mihi omnes ſervent! verùm ſi potes,
Pietatis cauſsâ, vel etiam matrem quoque.
PS. De iſtâc re in oculum utrumvis conquieſcito.
CA. Oculum utrum, anne in aurem? *PS.* at hoc pervolgatum eſt minus.
Nunc, ne quis dictum ſibi neget, dico omnibus,
Pube præſenti, in concione, omni poplo,
Omnibus amicis, notiſque edico meis,
In hunc diem à me ut caveant, ne credant mihi.
CA. St! tace obſecro hercle. *PS.* quid negotii eſt? *CA.* oſtium Lenonis crepuit. *PS.* crura mavellem modò.
CA. Atque ipſe egreditur penitùs perjurum caput.

INTERPRETATIO.

CA. *Cuncti Dii te mihi ſervent! ſed ſi potes, vel etiam* adorire *matrem propter pietatem.* PS. *Quod ad iſtud ſpectat quieſce in utrumque oculum in iſtâ re.* CA. *Utrum in* utrumque *oculum, an in* utramque *aurem?* PS. *Illud eſt nimis pervulgatum. Nunc, ne quis dicat ſibi non eſſe dictum, dico univerſis, coram juventute in concione, univerſæ plebi, cunctis amicis, & meis notis, ut caveant à me in hanc diem, ne mihi credant.* CA. *St! ſile, amabo.* PS. *Quid eſt rei?* CA. *Oſtium lenonis crepuit.* PS. *Mallem ut crura* crepuiſſent. CA. *Et ipſe infidus homo egreditur ex ædibus.*

ANNOTATIONES.

124. *Pube præſenti.*] Feſtus: *Pupes, adoleſcens, qui etiam veſticeps vocatur. Cui contrarium inveſtis pubes, & pro plurium puberum numero dici ſolet.*

129. *Perjurum caput.*] Homo perjurus.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SUos mores avidiſſimos lucri hic prodit Ballio leno; monita lenone digna ſtabulo illo ſuo meretricio pronunciat, & pœnas interminatur verè lenonias.

LENO, LORARII, PSEVDOLVS, CALIDORVS.

LENO.

EXITE, agite, ite ignavi, malè habiti, & malè conciliati,
Quorum nunquam quicquam cuiquam venit in mentem, ut rectè faciant.
Quibus nisi ad hoc exemplum experior, non potest usurpari usura.
Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent.
Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribæ:
Qui hæc habent consilia: ubi data occasio est; rape, clepe, tene, harpaga,
Bibe, es, fuge: hoc est eorum opus.
Ut mavelis lupos apud oves linquere, quàm hos domi custodes.
At faciem cùm aspicias eorum, haud mali videntur; operâ fallunt.
Nunc adeò, hanc edictionem nisi animum advortitis omnes,
Nisi somnum socordiámque ex pectore oculisque amovetis,
Ita ego vestra latera loris faciam ut validè varia sint:
Ut ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.
Atque heri antè dixeram omnibus, dederámque eas provincias,

INTERPRETATIO.

LE. *AGite, prodite, pergite, socordes, servi, quos adeò piget habere & emisse, quorum nullus unquam induxit in animum, ut rectè ageret. Quibus uti nequeo nisi excipiam hoc modo. Nunquam ego vidi homines magis contumaces; adeò latera indurata sunt verberibus. Quando eos cædis, te cædas magis: nam illi mastigiæ sunt eo animo, ut ineant ejusmodi consilia: quando occasio sese offert, inquiunt, aufer, furare, retine, attrahe, pota, liguri, fugá te proripe. Hoc est eorum institutum: adeò ut malis lupos versari inter oves, quàm hos custodes domi. Sed quando intueris eorum vultum, tibi apparent minimè mali; decipiunt reverà. Nunc adeò, nisi animadvertitis omnes hæc monita, nisi avertitis somnolentiam & negligentiam à pectore & oculis, ego efficiam, ut vestra latera sint sic notata loris, ut peristromata Campanica; aut tapetes Alexandrini sint perinde conchyliis tincti, & belluis picti. Atque dixeram antea cunctis, præscripseramque ea mandata.*

ANNOTATIONES.

1. *Malè habiti, & malè conciliati.*] Convitia in eos jaci solita quibuscum nos piget aliquam iniisse societatem. Hic de segnibus servis, alibi de infidis amicis.

6. *Clepe.*] Furare à κλέπτω, *furor.*

13. *Peristromata.*] Cicero: *peripetasmata.* Juvenal: *velaria.*

14. *Belluata.*] In quibus erant belluæ acu pictæ.

Conchyliata.] E cæruleo purpureôque tincta.

Verùm ita vos eſtis perditi, negligentes, ingenio improbo,
Officium veſtrum ut vos malo cogatis commonerier.
Nempe ita animati eſtis vos. vincite hoc duritiâ, ergo, atque me.
Hoc vide ſis; ut alias res agunt! hoc agite, hoc animum advortite,
Huc adhibete aures, quæ ego loquar, plagigera genera hominum.
Nunquam edepol veſtrum durius tergum erit, quàm terginum hoc meum.
Quî nunc? dolet ne? hem! ſic datur, ſi quis herum ſervus ſpernit.
Aſſiſtite omnes contra me, & quæ loquor, advortite animum.
Tu qui urnam habes, aquam ingere, face plenum aënum ſit citò.
Te, cum ſecuri, caudicali præficio provinciæ.
LO. At hæc retunſa eſt. *LE.* ſine ſiet: itidem vos quoque eſtis plagis omnes.
Num quî minus eâ gratiâ tamen omnium operâ utor?
Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes. habes quod facias: propera, abi intrò.
Tu eſto lectiſterniator. tu argentum eluito, idem exſtruito.
Hæc, cùm ego à foro revortor, facite ut offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata, lautaque coctaque omnia uti ſint.
Nam mihi hodie natalis dies eſt. decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aquâ jaceant. ſatin' audis?

INTERPRETATIO.

verùm vos eſtis ita nequam, ſegnes, perversâ mente, ut me adigatis vos admonere veſtri officii adhibitis pœnis. Nimirum vos eſtis ita affecti. Superate igitur hoc lorum *& meas vires duro* tergo: *animadverte, ſi vis hoc, quomodo faciunt alias res! Agite hoc, animadvertite hoc, commodate aures huc, audite quæ ego edicam, ô homines plagis gerendis idonei. Per ædem Pollucis veſtra latera nunquam erunt ſolidiora, quàm hoc lorum bubulum. Quo animo eſtis? dolétne? ſi quis ſervus contemnit herum, ſic dat pœnas. Adeſte omnes coram me, & animadvertite ea quæ edicam. Tu qui tenes urnam infunde aquam, fac ut labrum ſit celeriter plenum. Te verò prapono muneri ſcindendi ligni cum ſecuri,* LO. *Sed hæc eſt obtuſa,* LE. *Eſto, ſit; vos eſtis quoque cuncti verberibus. Attamen non adhibeo minus operam veſtram idcircò. Tibi commendo hoc, ut domus ſit munda. Eſt quod agas; accelera; ingredere. Tu eſto, lectos ſterne; tu detergito argentum, idem diſponito. Date operam, ut cum ego redeam à foro inveniam hæc inſtructa, ut cuncta ſint verſa, terſa, ſtrata, lautáque & cocta. Nam eſt hodie meus dies natalis; oportet vos eum celebrare univerſos. Comparate pernam, callum, glandium, ſumen; ſint in aquâ; audiſne bene?*

ANNOTATIONES.

25. *Te cum ſecuri caudicali præficio provinciæ.*] Caudex & codex eſt truncus arboris. Igitur præficere caudicali provinciæ eſt findendo ligno præficere.

29. *Tu eſto lectiſterniator.*] Lectos ſterne. *Exſtruito.*] E thecis expromptum diſponito.

31. *Vorſa.*] *Verro.*

Præſterga.] Alii *præſtega*, eſt tecti longior prominentia ad arcendos imbres & æſtûs. Ut ſunt in veſtibulis.

Magnificè volo enim ſummos viros accipere, ut mihi rem eſſe reantur.
Intrò abite, atque hæc citò celebrate, ne mora quæ ſit, cocus cùm veniat
Mihi. ego in macellum, ut piſcium quicquid eſt pretio præſtinem.
I puere præ: ne quiſquam pertundat crumenam cautio eſt.
Vel opperire: eſt quod domi dicere pænè fui oblitus.
Auditin'? vobis mulieres hanc habeo edictionem:
Vos quæ in mundiciis, molliciis, deliciiſque ætatulam agitis,
Viris cum ſummis, inclitæ amicæ: nunc ego ſcibo, atque hodie experiar,
Quæ capiti, quæ ventri operam det, quæque ſuæ rei, quæ ſomno ſtudeat:
Quam libertam fore mihi credam, & quam venalem, hodie experiar
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
Nam niſi penus annuus hodie convenit, cras populo proſtituam vos.
Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc. ubi iſti ſunt, quibus vos oculi eſtis?
Quibus vitæ? quibus deliciæ eſtis? quibus ſavia? mamilla? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædis jam hîc aſſint.
Cur ego veſtem, aurum, atque ea quibus eſt vobis uſui, præhibeo? quid mihi
Domi, niſi malum, veſtrâ operâ eſt hodie? improbæ! vino modò cupidæ eſtis: [ſiccus.
Eo vos veſtros panticéſque adeò madefacitis, cùm ego ſim hîc

INTERPRETATIO.

Nam volo invitare oppipare magnates viros, ut arbitrentur mihi eſſe divitias. Introite & celebrate celeriter hæc, ne ſit ulla mora, quando coquus ad me veniat; ego eo in macellum, ut mercer pretio quidquid *eſt piſcium. Puer præi; vereor ne aliquis perforet crumenam: vel expecta; eſt aliquid, quod fui fermè oblitus dicere domi. Auditiſne, mulieres? Sunt mihi vobis dicenda: vos quæ ducitis vitam in lautitiâ, mollitiâ, & voluptate cum ſummis viris, amica egregia: ego cognoſcam nunc, atque periculum faciam hodie, quæ curet libertatem, quæ ventrem, & quæ ſuam rem, quæ ſomnum: faciam hodie periculum, quæ liberta mihi erit futura, & quæ venalis. Curate hodie ut plura munera ad me conferantur huc ab amatoribus. Nam niſi penus in* totum *annum præbeatur hodie, vos vulgabo cras plebi. Sciunt hunc diem eſſe meum natalem. Ubi ſunt iſti, qui vos habent in oculis? Quibus eſtis vita? Quibus delicia? Quibus ſuavia? Quibus mammilla, mellita? Efficite ut adſint & mihi offerant munera, huc turmatim ante domum. Quare ego vobis ſuppedito aurum, & ea quibus vobis eſt opus? Quid habeo domi veſtrâ operâ, niſi malum? Improba vos eſtis! avida vini: vos proluitis veſtra abdomina intereadum ego ſum ſiccus.*

ANNOTATIONES.

37. *Pertundat crumenam.*] Metuit ſectores zonarios.

51. *Pantices.*] Plinius, *Lactes*: priſco & obſoleto verbo *pantices* Plautus appellat. *Lactes, le Meſentere.*

Siccus.] *Abſtemius, Invinius, Sobrius.*

Nunc adeò hoc factum est optimum, ut nomine quamque appellem suo:
Ne dictum esse actutum sibi quæpiam vestrarum mihi neget. advortite animum cunctæ.
Principio, Hedylium, tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maximi acervi frumenti sunt domi:
Fac sis, sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mihi, etiam familiæ omni sit meæ: atque adeò ut frumento affluam;
Ut civitas nomen mihi commutet; meque ut prædicet
Lenone ex Ballione regem Jasonem. *CA.* audin! furcifer
Quæ loquitur. satin magnificus tibi videtur? *PS.* pol iste,
Atque etiam maleficus. sed tace, atque hanc rem gere.
LE. Æschrodora tu quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lanios, qui item ut nos jurando jure malo quærunt rem, audi:
Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie
Mihi erunt cras, te quasi Dircam olim (ut memorant) duo
Gnati Jovis divinxêre ad taurum, item hodie stringam ad carnarium: id tibi
Profectò taurus fiet. *PS.* nimis sermone hujus irâ incendor.
Hunccine hîc hominem pati colere juventutem Atticam?
Ubi sunt, ubi latent, quibus ætas integra est, qui amant à lenone?
Quin conveniunt? quin unà omnes peste hâc populum hunc liberant?

Interpretatio.

Nunc adeò est bonum, ut vocem unamquamque suo nomine: nec ulla vestrûm mihi neget esse sibi dictum. Animudvertite cunctæ. Principio, Hedylium, dissero tecum, quæ es amica frumentariis omnibus, quibus sunt domi montes maximi acervi frumenti: cura ut frumentum mihi deferatur huc quantum mihi sufficit, & cunctæ familiæ hoc anno: atque adeò abundem frumento, ut urbs mihi commutet nomen; atque me vocet regem Jasonem ex Ballione lenone. CA. Audisne! furcifer quæ dicit? Tibine videtur satis magnificus? PS. Profectò iste videtur & maleficus. Sed sile, & hoc age. LE. Tu, Æschrodora, quæ habes amicos lanios, imitatores lenonum, qui sicut nos, comparant divitias perjuriis, audi, Nisi hodie mihi erunt tria magna carnaria plena tergoribus boum, te constringam hodie ad carnarium, sicut memorant duos filios Jovis devinxisse olim Dircen ad taurum; sanè id erit tibi taurus. PS. Nimis inflammor iracundiâ ejus oratione. Oportétne pati juventutem Athenienſem servire huic homini? Ubi sunt, ubi latent ii quibus est ætas integra, qui amant mulieres à lenone emptas? *Quin assunt? Quin liberant omnes simul hũc populum hanc peste?*

Annotationes.

52. *Factum optimum.*] Bonum factum erat de formulâ edictorum.

54. *Hedylium.*] Nomen meretricis.

59. *Jasonem.*] Thessaliæ regem Epamipondæ æqualem.

63. *Jurando.*] Jure malo. Malo jurejurando, perjurio.

65. *Dircam.*] Zetus & Amphion Jovis & Antiopæ filii, Dircen, quam Lycus, Antiopâ eorum matre relictâ, uxorem duxerat, tauri indomiti caudæ alligarunt, Lycumque interfecerunt.

Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus, ne illi audeant
Id facere? quibus ut serviant suus amor cogit, simul
Prohibet, faciant adversum eos quod volunt. *CA.* vah! tace.
PS. quid est? [*PS.* taceo.
CA. Malè morigerus malè facis mihi, cùm sermone huic obsonas.
CA. At taceas mâlo multò, quàm tacere te dicas. *LE.* tu autem
Xystylis, fac ut animum advortas, cujus amatores olivi
Dynamin domi habent maxumam.
Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur,
Te ipsam culleo ego cras faciam ut deportêre in pergulam,
Ibi tibi adeò lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias,
Sed ubi usque ad languorem. tenes quorsum hæc tendant quæ loquor?
En excetra tu, quæ tibi amicos tot habes, tam probè oleo onustos,
Num cuipiam est hodie tuâ tuorum operâ conservorum
Nitidiusculum caput? aut num ipse ego pulmento utor magis
Unctiusculo? sed scio, tu oleum haud magni pendis, vino te
Devincis. sine modo. reprehendam ego cunctâ hercle unâ operâ, nisi
Quidem hodie tu omnia facis, sceleste, hæc uti loquor.
Tu autem quæ pro capite argentum mihi jam jámq; sæpe numeras;
Ea pacisci modò scis; sed quæ pacta es, non scis solvere,
Phœnicium, tibi hæc ego loquor, deliciæ summatum virûm:
Nisi hodie mihi ex fundis tuorum amicorum omne huc penus affertur:
Cras Phœnicium Phœnicio corio invises pergulam.

Interpretatio.

Sed sum nimis amens, fui nimis stolidus, audeántne illi id agere, quibus suus amor cogit ut serviant, unà prohibet ne *faciant quod volunt adversus eos.* CA. *Vah! tace.* PS. *Quid est?* CA. *Me offendis immorigerus, quando obstrepis huic orationi.* PS. *Taceo.* CA. *At malo multò sileas, quàm dicas te silere.* LE. *Tu verò Xystylis, cujus amatoribus est domi tanta copia olei, fac ut animadvertas: si non mihi affertur jam huc oleum in pellibus, ego faciam ut deportêre ipsa cras in culeo ad porticum; tibi dabitur ibi cubile, in quo tu non capias somnum, sed ubi* divexeris *usque ad mortem. Intelligis quò* tendant *quæ dico? Vipera quæ habes tot amicos, tam benè onustos oleo, an tuo quæstu caput cujusquam tuorum conservorum est unctius oleo? Aut capio ipse cibum unctiorem? Sed novi; tu haud magni facis oleum: te obruis vino. Sine modo. Profectò animadvertam uno tempore in te pro cunctis tuis sceleribus, nisi tu facis hodie omnia hæc sicut dico. Tu verò quæ mihi numeras sæpè jam-jam argentum pro libertate; scis modò spondere id; sed non scis pendere quæ es pacta. Phœnicium deliciæ summorum virorum, ego tibi dico hoc. Nisi omnis penus mihi affertur huc hodie ex agris tuorum amicorum, invises cras porticum strata corio Phœnicio.*

Annotationes.

77. *Dynamin.*] Vim, copiam.
79. *Pergula.*] Id est, porticus, seu appendix ædificii.
85. *Unctiusculo.*] Melius condito.
92. *Phœnicio corio.*] Id est, *purpureo* flagris facto.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

BALLIO leno mores lenonios prosequitur, & maximè in iis duobus, quod quidquid à Calidoro accepit planè oblitus est, & quod paratus sit etiam oblivisci quidquid accepit à milite Polymachæroplacide, si adsit pecunia.

CALIDORVS, PSEVDOLVS, BALLIO leno.

CALIDORVS.

PSEUDOLE, non audis quæ hic loquitur? *PS.* audio here equidem atque animum advorto.

CA. Quid mihi es auctor, huic ut mittam, ne amicam hic meam prostituat?

PS. Bene curassis: liquido es animo! ego pro me & pro te curabo. Jamdiu ego huic bene & hic mihi volumus, & amicitia est antiqua. Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam & maturam.

CA. Quid opus est? *PS.* potin' aliam rem ut cures? *CA.* at. *PS.* bat. *CA.* crucior. *PS.* cor dura.

CA. Non possum. *PS.* fac possis. *CA.* quónam pacto possim vincere animum?

PS. In rem quod sit prævortaris, quàm re adversa animo auscultes.

CA. Nugæ istæc sunt: non jucundum est, nisi amans facit stultè. *PS.* pergin'?

INTERPRETATIO.

CAL. *Pseudole, non intelligis quæ hic dicit?* PS. *Profectò, here, intelligo atque animadverto.* CA. *Quid suades ut huic mittam, ne hic prostituat meam amicam?* PS. *Benè feceris si curaveris. Esto æquo animo! ego curabo pro me & te. Jampridem benevolentia sumus conjuncti, ego illi, & ille mihi, & amicitia vetus intercedit. Ad eum mittam hodie suo die natali infortunium grande & velox.* CA. *Quid opus est facto?* PS. *Esto sollicitus de aliis rebus?* CA. *At.* PS. *Bat.* CA. *Discrucior.* PS. *Animum obfirma.* CA. *Nequeo.* PS. *Da operam ut queas.* CA. *Quo modò potero coërcere impetum mentis?* PS. *Age quod ex re est potius, quàm obsequaris animo in rebus, quæ non sunt ex re.* CA. *Hæ sunt nugæ: est illepidum, nisi amans est amens.* PS. *Pergisne desipere?*

ANNOTATIONES.

3. *Bene curassis.*] Diligenter cura, quid tibi incumbat.

Liquido es animo.] De ista re securus esto.

6. *Cor dura.*] Animum obfirma, Ovidius: *Durare animum.* Tacitus: *Mentem.* Catullus: *Obdurare se.*

CA. O Pseudole mi, sine sim nihili: mitte me sis. *PS.* sine, modò ego
Abeam. *CA.* mane, mane: jam ut voles me esse, ita ero. *PS.* nunc tu sapis.
BA. It dies: ego mihi cesso. i præ, puere. *CA.* heus! abiit. quin revocas?
PS. Quid properas? placidè! *CA.* at priusquam abeat.
BA. Quod hoc malum? tam placidè is, puere.
PS. Hodie-nate, heus! hodie-nate, tibi ego dico, heus hodie-nate, redi &
Respice ad nos, tametsi occupatus, moramur. mane! sunt colloqui
Qui volunt te. *BA.* quid hoc est? quis est qui moram occupato molestam obtulit?
CA. Qui tibi sospitalis fuit. *BA.* mortuus est, qui fuit: qui est, vivus est.
PS. Nimis superbè. *BA.* nimis molestus. *CA.* reprehende hominem: assequere.
BA. I, puere. *PS.* accedamus hàc obviam. *BA.* Juppiter te perdat, quisquis es.
PS. Te volo. *BA.* at vos ego ambos. verte hàc te, puere. *PS.* non licet
Colloqui te? *BA.* at mihi non lubet. *CA.* sin tuam est quippiam in rem? *BA.* licet
Ne obsecro vivere, an non licet? *PS.* vah! manta. *BA.* omitte. *CA.* Ballio
Audi. *BA.* surdus sum: profectò inanilogus es. *CA.* dedi, dum fuit.

Interpretatio.

CA. *O mi Pseudole, patere me insanire: dimitte me si placet.* PS. *Patere. Ego modò abibo.* CA. *Sta, sta: ero jam sicut voles me esse.* PS. *Tu sapis jam.* BA. *Dies abit; ego cunctor: puer prai.* CA. *Heus! profectus est; revoca eum.* PS. *Quid acceleras? leniter!* CA. *At antequam proficiscatur.* BA. *Quid est hoc malum? quàm lentè procedis puer.* PS. *Heus! hodie-nate, hodie-nate, ego tibi dico; heus! hodie-nate, revertere, & respice ad nos; quanquam acceleras, tamen retardamus. Sta! sunt qui cupiunt tecum verba facere.* BA. *Quid est hoc? Quis est qui me sistit importunè accelerantem?* CA. *Qui tibi fuit salutaris.* BA. *Qui fuit, est mortuus: qui est, vivit.* PS. *Nimis arroganter.* BA. *Nimis importunè.* CA. *Arripe hominem; assequere.* BA. *I, puer.* PS. *Occurramus hàc obviam.* BA. *Jupiter te perdat, quisquis es.* PS. *Volo te* perdat potius. BA. *At vos ambos* perdat. *Puer verte iter hàc.* PS. *Non licet colloqui tecum?* BA. *At non mihi lubet.* CA. *Si aliquid est è re tua, sines?* BA. *Quæso, licétne* per vos *vivere, an non licet?* PS. *Vah! mane.* BA. *Mitte.* CA. *Ballio audi.* BA. *Sum surdus: certè es vaniloquus.* CA. *Dedi, dum fuit.*

Annotationes.

15. *Hodie-nate.*] Tu, cujus hodie celebratur dies natalis.
21. *Te volo.*] Convenire.
22. *Licétne obsecro vivere?*] Vósne me necatis vestro odio & molestiâ.
24. *Inanilogus es.*] Id est, nugator es.

BA. non peto quod dediſti. *CA.* dabo, quando erit. *BA.* ducito, Quando habebis. *CA.* heu, heu! quàm ego malis perdidi modis, Quod tibi detuli & quod dedi! *BA.* mortuâ re, verba nunc facis.

„ STULTUS ES, REM ACTAM AGIS. *PS.* noſce ſaltem hunc quis eſt.

BA. jam diu
Scio qui fuit: nunc quis eſt is, ipſus ſciat. ambula tu.

PS. Potin' ut ſemel modò, Ballio, huc cum lucro reſpicias?

BA. Reſpiciam iſtoc pretio. nam ſi ſacrificem ſummo Jovi, Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.

PS. Non poteſt pietate obſiſti huic, ut res ſunt cæteræ! Deos quidem, quos maximè æquum eſt metuere, eos minimi facit.

BA. Compellabo. ſalve multum, ſerve Athenis peſſume.

PS. Dî te deæque ament vel hujus arbitratu, vel meo: Vel ſi dignus alio pacto, neque ament, neque faciant bene.

BA. Quid agitur, Calidore? *PS.* amatur, atque egetur acriter.

BA. Miſereat, ſi familiam alere poſſim miſericordiâ.

PS. Eja! ſcimus nos quidem te qualis ſis, ne prædices. Sed ſcin' quid nos volumus? *BA.* pol ego propemodò: ut malè ſit mihi.

PS. Et id, & hoc: quod te revocamus, quæſo, animum advorte.

BA. audio.
Atque in pauca, ut occupatus nunc ſum, confer, quid velis.

INTERPRETATIO.

BA. *Non poſtulo quod dediſti.* CA. *Dabo, quando erit.* BA. *Ducito, quando habebis.* CA. *Heu, heu! quàm ego malè perdidi, quod tibi detuli, & quod dedi!* BA. *Nunc facis verba, re peremptâ. Es inſanus; agis rem actam.* PS. *Saltem cognoſce quis eſt hic.* BA. *Scio jampridem qui fuerit: nunc ipſe noſcat, quis ſit. Perge puer.* PS. *Ballio, poteſne à te impetrare ut reſpicias huc, ſemel oblato quæſtu?* BA. *Reſpiciam hoc pretio; nam ſi ſacrificem ſummo Jovi, & teneam in manibus exta, ut projiciam* in ignem, *ſi interim oſtendatur aliquis quæſtus, deſeram potius rem divinam.* PS. *Hic non poteſt oppugnari pietate, ut oppugnantur alii: facit minimi eos Deos, quos eſt æquiſſimum timere.* BA. *Compellabo; ſalvus ſis plurimum, ſerve nequiſſime Athenienſium.* PS. *Dii & Dea te ament vel arbitrio hujus, vel meo: vel ſi dignus alio modo, neque ament, neque benefaciant.* BA. *Quid ais Calidore?* PS. *Amat, & eget valde.* BA. *Me miſereat tui, ſi poſſim alere familiam miſericordiâ.* PS. *Eja! profectò nos intelligimus, qualis ſis, ne dicas; ſed ſciſne quod nos optamus?* BA. *Per Pollucem intelligo fermè quid optatis, ut ſim infœlix.* PS. *Precor, animadverte & id & hoc, propter quod revocamus.* BA. *Audio: & contrahe paucis, quid exoptes, quoniam ſum nunc impeditus.*

ANNOTATIONES.

28. *Rem actam agis.*] Donatus: *Hæc res ſecundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat.*

31. *Reſpiciam iſtoc pretio.*] Iſta mercede, iſto lucro.

32. *Ut porriciam.*] *Porriciendi* verbum ex diſciplinâ haruſpicum & ex præcepto Pontificum ſolemne ſacrificantibus fuit. Suprà.

PS. Hunc pudet quod tibi promisit, quâque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amicâ etiam non dedit.
BA. Nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget;
Non dedisse, istum pudet: me, quia non accepi, piget.
PS. At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modò.
Nam hic id metuit, ne illam vendas ob simultatem suam.
BA. Fuit occasio, si vellet, jampridem argentum ut daret.
CA. Quid, si non habui? *BA.* amabas? invenires mutuum,
Ad Danistam devenires, adderes fœnusculum:
Surripuisses patri. *PS.* surriperet hic patri, audacissime?
Non periculum est, ne quid rectè monstres. *BA.* non lenonium est.
CA. Egon' patri surripere possim quicquam? tam cauto seni?
Atque adeò, si facere possem, pietas prohibet. *BA.* audio.
Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phœnicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo prævortere,
Omnes tibi patres sunt? nullus est tibi quem roges
Mutuum argentum? *CA.* quin nomen quoque jam interiit Mutuum.
BA. Heus tu, postquam hercle isti à mensâ surgunt saturi, poti **
Qui suum repetunt, alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores sunt, ne credant alteri.
CA. Nimis miser sum, nummum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser & amore pereo, & inopiâ argentariâ.
BA. Eme die cæcâ hercle olivum, id vendito oculatâ die.

Interpretatio.

PS. *Hunc pudet, quia non tibi adhuc numeravit viginti minas pro amicâ, sicut tibi pollicitus est, & die quâ pollicitus est id.* BA. *Fertur nimio facilius id quod pudet, quàm illud quod piget: illum pudet, quia non soluit: dolet, quia non accepi.* PS. *Sed dabit, comparabit: mane modò per aliquot hos dies. Nam hic timet, ne illam vendas propter inimicitias quas exercet.* BA. *Jampridem fuit occasio, ut panderet pecuniam, si vellet.* CA. *Quid si non habui?* BA. *Amabas? Invenires mutuum; convenires argentarium; adjiceres aliquod fœnus; suffurareres patri.* PS. *Hic suffurare-tur patri, audacissimè? Non est periculum, ne doceas aliquid rectè.* BA. *Hoc non est lenonis.* CA. *Possimne ego suffurari aliquid patri? Seni adeò callido? Atque, si possem facere, pietas vetat.* BA. *Intelligo. Amplectere igitur illam pietatem noctu pro Phœnicio. At quia video te anteponere pietatem tuo amori, cunctine tibi sunt patres? tibine est nullus à quo petas pecuniam Mutuam?* CA. *Quin nomen Mutuum periit quoque nunc.* BA. *Heus tu per Herculem! postquam isti qui repetunt suum, sed qui nemini reddunt alienum, surgunt à mensâ saturi, poti, omnes qui solebant Mutuum dare sunt cautiores alieno periculo, ne credant alteri.* CA. *Sum nimis infœlix; nequeo invenire nummum argenti, adeò dispereo infœlix, & amore, & egestate pecuniæ.* BA. *Per Herculem eme oleum die cæcâ, vende idem die oculatâ.*

Annotationes.

47. *Nimio id quod pudet facilius fertur.*] Lenone digna sententia; sed viro bono indigna.

49. *Manta.*] Id est, expecta, mane.

59. *Prævortere.*] Anteponere.

64. *Ne credant alteri.*] Alii, *nec reddant alteri.*

67. *Eme die cæcâ.*] Id est, solutione in diem prolatâ. Contrà, *Oculatâ die emere*, est præsenti pecuniâ emere.

Jam hercle vel ducentæ fieri possunt præsentes minæ.
CA. Perii! an non tum Lex me perdit quina vicennaria?
Metuunt credere omnes. *BA.* eadem est mihi lex, metuo credere.
PS. Credere autem? ehò, an pœnitet te, quanto hic fuerit usui?
BA. Non est justus quisquam amator, nisi qui perpetuat data,
Dátque usque: quando nihil sit, simul amare desinat.
CA. Nihílne te mei miseret? *BA.* inanis cedis: dicta non sonant.
Atque ego te vivum salvúmque vellem. *PS.* ehò, an jam mortuus est?
BA. Utut est: mihi quidem profectò cum istis dictis mortuus est.
„ Illico vixit amator, ubi lenoni placet.
Semper tu ad me cum argentatâ accedito querimoniâ.
Nam istoc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. *PS.* eho, an unquam tu hujus nupsisti patri?
BA. Dii melius faciant. *PS.* fac hoc, quod te rogamus, Ballio,
Meâ fide, si isti formidas credere. ego in hoc triduo
Aut terrâ aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
BA. Tibi ego credam? *PS.* cur non? *BA.* quia pol, quâ operâ *sio* credam tibi,
Unâ operâ alligem fugitivam canem agninis lactibus.
CA. Siccine mihi abs te bene merenti malè refertur gratia?
BA. Quid nunc vis? *CA.* ut opperiare hos sex dies saltem modò,

Interpretatio.

Per Herculem vel ducenta mina possunt jam dari numeratâ pecuniâ. CA. *Interii! Lex quina vicennaria nonne me perdit? Omnes formidant credere.* BA. *Est mihi eadem Lex; timeo credere.* PS. *Credere autem? Pœnitétne te, quod id fuerit tanto usui?* BA. *Nullus amator est æquus, nisi reddat perennia munera & largiatur semper, & nisi finem faciat amandi, quando facit finem dandi.* CA. *Nónne te miseret mei?* BA. *Venis vacuus: verba non sonant. Et ego te optarem vivum & incolumem.* PH. *Ehò; éstne jam mortuus?* BA. *Quidquid sit, sine dubio est confossus istis verbis. Amator interiit statim, atque displicet lenoni. Tu accede semper ad me cum querela pecuniaria. Nam expostula apud novercam, quod deploras jam, nempe non tibi esse pecuniam.* PS. *Eho, nónne tu nupsisti unquam hujus patri?* BA. *Dii faciant melius.* PS. *Ballio, fac id quod à teflagitamus mea fide* interposita, *si metuis credere isti; eruam id argentum aliqua ex parte, aut terrâ aut mari in hoc triduo.* BA. *Ego tibi credam?* PS. *Quare non?* BA. *Quia per Pollucem, uno tempore, quo tibi credam copulem canem fugitivam intestinis agni.* CA. *Siccine gratia refertur abs te mihi bene merito?* BA. *Quid vis jam?* CA. *Ut expectes modò saltem per hos sex dies,*

Annotationes.

69. *Lex me perdit quina vicennaria?*] Lex Lætoria vetabat filium-familias minorem viginti quinque annis stipulari, sive stipulanti respondere, aut spondendo obligari.

74. *Cedis.*] Accedis.

Dicta non sonant.] Tinnulæ rationes, quales sunt nummorum præsentium, habent virium plurimum ad persuadendum.

78. *Argentatâ querimoniâ.*] Sonanti tinnientique, & quæ argentum unà adferat secum.

80. *Querere.*] Quæreris.

85. *Agninis lactibus.*] Canis fugitiva, atque adeò famelica, si agninis visceribus adhæserit, inde difficilè depellitur.

Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. *BA.* animo bono es.
Vel sex menses opperibor. *CA.* euge, homo lepidissime.
BA. Imò vin' etiam te faciam ex læto lætantem magis?
CA. Quid jam? *BA.* quia enim non venalem jam habeo Phœnicium.
CA. Non habes? *BA.* non herclè verò *CA.* Pseudole arcesse hostias,
Victimas, lanios; ut ego huic sacrificem summo Jovi:
Nam hic mihi nunc est multo potior Juppiter, quàm Juppiter.
BA. Nolo victimas: agninis me extis placari volo.
CA. Propera, quid stas? arcesse agnos. audin, quid ait Juppiter?
PS. Jam hîc ero: verùm extra portam Metiam currendum est prius.
CA. Quid eò? *PS.* lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eâdem duo greges virgarum inde ulmearam adegero,
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Jovi.
In malam crucem istic ibit Juppiter lenonius.
BA. Ex tuâ re non est, ut ego emoriar. *PS.* quî dum? *BA.* ego dicam tibi:
Quia edepol, dum ego vivus vivam, nunquam eris frugi bonæ.
PS. Ex tuâ re non est, ut ego emoriar. *BA.* quî dum? *PS.* sic, quia
Si ego emortuus sim, Athenis te sit nemo nequior.

Interpretatio.

ne illam vendas, neve me perdas hominem amantem. BA. *Esto æquo animo, expectabo vel sex menses.* CA. *Euge, homo festivissime.* BA. *Imò, visne etiam ex jucundo te reddam jucundiorem?* CA. *Quomodo?* BA. *Quia videlicet non habeo Phœnicium venalem.* CA. *Non habes?* BA. *Non habeo per Herculem, enimverò.* CA. *Pseudole, arcesse hostias, victimas, lanios, ut ego sacrificem huic summo Jovi: nam hic Jupiter mihi est nunc multò potior, quàm Jupiter.* BA. *Nolo victimas: volo placari visceribus agnorum.* CA. *Accelera, quid stas? Accerse agnos. Audisne quid dicit Jupiter?* PS. *Ero hîc jam: sed est currendum anteà extrà portam Metiam.* CA. *Quare eò eundum?* PS. *Accersam inde duos lanios cum curribus. Adegero inde eodem tempore duos greges virgarum ulmearum, ut satietas sufficiat ad litationem huic Jovi. Iste Jupiter lenonius ibit in malam crucem.* BA. *Non est ex tuâ re, ut ego emoriar.* PS. *Quare?* BA. *Ego tibi dicam: quia per ædem Pollucis, dum ego vivam, nunquam eris rectæ frugi.* PS. *Non est ex tuo commodo, ut ego inteream.* BA. *Quare?* PS. *Quia si ego sim sublatus è vivis, erit nemo nequior te Athenis.*

Annotationes.

93. *Lanios.*] Sunt popæ, hostiarum mactatores, qui malleo feriebant victimas quas tenebat sacerdos.

95. *Agninis me extis placari volo.*] Alii, *Minis extis*; nam oves *minæ* erant oves glabræ sub ventre. Alludit ad *minas* argenti.

97. *Extra portam Metiam.*] Extra portam metiam manebant carnifices, & erat inibi suppliciis sontium destinatus locus, ubi cernere erat cruces, patibula defixa, cadavera abjecta.

98. *Cum tintinnabulis.*] *Tintinnabulum* vehiculi genus.

100. *Satias.*] Satiatas.

CA. Dic mihi, obsecro hercle verum seriò, hoc quod te rogo.
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?
BA. Non edepol habeo profectò. nam jampridem vendidi.
CA. Quomodo? *BA.* sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
CA. Meam tu amicam vendidisti! *BA.* valdè! viginti minis.
CA. Viginti minis? *BA.* utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio. & jam quindecim habeo minas.
CA. Quid ego ex te audio? *BA.* amicam tuam esse factam argenteam.
CA. Cur id ausus facere? *BA.* libuit, mea fuit. *CA.* eho! Pseudole,
I, gladium affer. *PS.* quid opus gladio? *CA.* quî hunc occidam, atque me.
PS. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames jam occiderit.
CA. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjuriſſime,
Juraviſtin' te illam nulli venditurum nisi mihi?
BA. Fateor. *CA.* nempe conceptis verbis. *BA.* etiam consultis quoque.
CA. Perjuraviſti, sceleste. *BA.* at argentum intrò condidi.
Ego sceleſtus nunc argentum promere possum domo:
Tu, qui pius es istoc genere gnatus, nummum non habes.
CA. Pseudole, assiste altrinsecus, atque onera hunc maledictis, *PS.* licet.
Nunquam ad Prætorem æquè cursim curram, ut emittar manu.

Interpretatio.

CA. *Dic mihi, amabo, verum per Herculem seriò, id quod à te postulo. Non habes tu meam amicam Phœnicium venalem?* BA. *Per ædem Pollucis non habeo; nam vendidi jamdudum.* CA. *Quomodo?* BA. *Sine ornamentis, cum omnibus inteſtinis.* CA. *Tu vendidiſti meam amicam?* BA. *Vendidi viginti minis militi Macedonio; & habeo jam quindecim minas.* CA. *Quid ego audio ex te?* BA. *Tuam amicam factam esse argenteam.* CA. *Quare es ausus facere id?* BA. *Libuit, fuit mea.* CA. *Heus! Pseudole, affer gladium.* PS. *Quid opus est gladio?* CA. *Quo interficiam hunc, atque me.* PS. *Quin tè occidis tu potius? Nam fames occidet jam hunc.* CA. *Quid ais, perjuriſſime hominum, quantum terra capit, nónne juraviſti te illam venditurum nulli niſi mihi?* BA. *Fateor.* CA. *Nimirum verbis ſolemnibus.* BA. *Etiam quoque deliberatis.* CA. *Perjuraviſti ſcelerate.* BA. *Sed condidi intrò pecuniam: ego ſceleſtus poſſum nunc depromere è tectis pecuniam. Tu qui es pius filius iſto modo non habes nummum.* CA. *Pſeudole, aſſiſte ex alterâ parte, & eum obrue conuitiis.* PS. *Licet. Nunquam curram æquè celeriter ad prætorem, ut manu mittar.*

Annotationes.

113. *Amicam argenteam.*] Cum argento commutatam.

117. *Quantum terra tegit.*] Id est, ſuſtinet.

119. *Verbis conceptis.*] *Verbis conceptis jurare*, est alio præeunte & jusjurandum verbis certâ comprehensis formulâ dictante jurare; quæ talis erat; *Ex animi mei ſententia juro.*

CA. Ingere mala multa. *PS.* jam ego te differam dictis meis:
Impudice. *BA.* ita est. *PS.* scelestè. *BA.* dicis vera. *PS.* verbero.
BA. Quippini. *CA.* bustirape. *BA.* certè. *CA.* furcifer. *BA.* factum optumè.
CA. Sociofraude. *BA.* sunt mea hæc ista. *PS.* parricida. *BA.* perge tu.
PS. Sacrilege. *BA.* fateor. *CA.* perjure. *BA.* vetera vaticinamini.
CA. Legirupa. *BA.* validè. *PS.* pernicies adolescentum. *BA.* acerrimè.
CA. Fur. *BA.* babæ. *PS.* fugitive. *BA.* bombax. *CA.* fraus populi. *BA.* planissimè.
PS. Fraudulente. *CA.* impure leno. *PS.* cœnum. *BA.* cantores probos!
CA. Verberavisti patrem atque matrem. *BA.* atque occidi quoque,
Potius quàm cibum præhiberem. num peccavi quippiam?
PS. In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
BA. Nunquid alium etiam voltis dicere? *CA.* ecquid te pudet?
BA. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem.
Sed quanquam multa maláque in me dicta dixistis mihi,
Nisi mihi attulerit Miles quinque quas debet minas,
Sicut hæc est præstituta summa *ei* argento dies:
Si is non aderit, posse opinor facere officium *me* meum.
CA. Quid id est? *BA.* si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium: ego, operæ si sit, plus tecum loquar:

INTERPRETATIO.

CA. *Infer maledicta multa.* PS. *Jam ego te diffamabo meis maledictis: impudice.* BA. *Ita est.* PS. *Sceleste.* BA. *Dicis vera.* PS. *Verbero.* BA. *Cur non?* CA. *Bustorum prædo.* BA. *Etiam.* CA. *Furcifer.* BA. *Optimè factum.* CA. *Deceptor sociorum.* BA. *Hæc ista sunt mea.* PS. *Parricida.* BA. *Perge tu.* PS. *Sacrilege.* BA. *Fateor.* CA. *Perjure.* BA. *Recantatis vetera.* CA. *Legum violator.* BA. *Validè.* PS. *Ruina juventutis.* BA. *Acriter.* CA. *Fur.* BA. *Babæ.* PS. *Fugitive.* BA. *Bene.* CA. *Fraus populi.* BA. *Planè.* PS. *Fraudulente.* CA. *Leno impure.* PS. *Lutum.* BA. *Bonos cantores!* CA. *Verberavisti patrem & matrem.* BA. *Atque occidi quoque, potius quàm præberem cibum. Num commisi aliquid?* PS. *Inferimus dicta in dolium pertusum: perdimus operam.* BA. *Nunquid vultis etiam dicere aliud?* CA. *Quid est quod te pudet?* BA. *Te esse repertum amatorem vacuum, quasi nucem cassam. Sed quamvis mihi dixisti multa maledicta in me, nisi miles mihi attulerit quinque minas quas debet, sicut hæc dies est assignata ultima ad solvendam pecuniam; si is non aderit, opinor me posse facere officium.* CA. *Quid est id?* BA. *Si attuleris pecuniam, amiserim fidem cum illo: hoc est meum officium: ego loquar plus tecum, si sit opus:*

ANNOTATIONES.

125. *Te differam dictis meis.*] Maledictis.

127. *Bustirape.*] *Bustirapus* erat qui aliquid de Silicernio, seu cœnâ tumulis mortuorum impositâ, aut ligno bustorum raperet.

131. *Babæ.*] Est lætè alterius dicta efferentis vox.

137. *Quasi cassam nucem.*] Petronius; *Nux ventosa, sine medulla.*

Sed sine argento fruſtrâ eſt, quòd me tui miſereri poſtulas.
Hæc mea eſt ſententia, ut tu hinc porrò, quid agas conſulas.
CA. Jámne abis? *BA.* negotii nunc ſum plenus. *PS.* paulo pòſt magis.
Illic homo meus eſt: niſi omnes dî me atque homines deſerunt.
Exoſſabo ego illum ſimulter itidem ut murænam cocus.
Sed nunc, Calidore, operam te mihi volo dare. *CA* ecquid imperas?
PS. Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, volo.
Ad eam rem uſu'ſt hominem aſtutum, doctum, ſcitum, & callidum,
Qui imperata effecta reddat; non qui vigilans dormiat.
CA Cedò mihi quid es facturus? *PS.* tempori ego faxo ſcies:
Nolo bis iterare: ſat ſic longæ fiunt Fabulæ.
CA. Optumum atque æquiſſimum oras. *PS.* propera, adduc hominem citò.
„ PAUCI EX MULTIS ſunt amici, homini qui certi ſient.
CA Ego ſcio iſtuc. *PS.* ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus ſiet.
CA. Jam hîc faxo aderit. *PS.* potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

INTERPRETATIO.

At ſine pecunia à me poſtulas incaſſum, me miſereri tui. Hæc ſententia eſt mea, ut tu deliberes amplius hinc, quid moliaris. CA. *Jâmne abis?* BA. *Sum jam occupatus.* PS. *Magis paulo pòſt: ille homo eſt meus; niſi omnes Dii atque homines me deſtituunt. Ego illi oſſa comminuam, perinde atque coquus exoſſat murenam; ſed nunc, Calidore, volo te mihi auſcultare.* CA. *Ecquid mandas?* PS. *Ego volo munire hoc oppidum, ut expugnetur hodie. Ad hanc rem opus eſt homine aſtuto, docto, ſcito, & callido, qui perficiat quæ imperantur, non qui dormiat vigilans.* CA. *Dic mihi quid es acturus?* PS. *Ego efficiam, ut ſcias tempeſtive. Nolo iterare bis: ſic fiunt Fabulæ ſatis prolixæ.* CA. *Precaris optimum atque æquiſſimum.* PS. *Accelera, adduc hominem celeriter. Sunt pauci ex multis, qui ſint veri amici hominis.* CA. *Ego ſcio iſtud.* PS. *Compara tibi igitur delectum militum utrinque: ex illis compluribus quære unum, qui ſit verus.* CA. *Efficiam ut adſit jam hic.* PS. *Potèsne abire? Tibi facis moram verbis.*

ACTUS PRIMUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

PSEUDOLUS fraudem architectatur ad emungendum Nicobulum, exprimendóſque ab eo ducentos Philippeos, Bacchidi dandos; ſed quâ ratione faciat minimè videt.

PSEUDOLUS.

PSEUDOLUS.

POSTQUAM illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole.
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Cui neque parata gutta certi consilii,
Neque adeò argenti: neque nunc quid faciam scio,
Neque exordiri primùm, unde occipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quasi Poëta tabulas cùm cepit sibi,
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile quod mendacium est.
Nunc ego Poëta fiam: viginti minæ
Quæ nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic jam pridem me daturum dixeram.
At volui injicere tragulam in nostrum senem:
Verùm is nescio quo pacto præsensit prius.
Sed comprimenda est mihi vox atque oratio.
Herum, eccum video huc unà Simonem simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.

INTERPRETATIO.

PS. *Postquam ille profectus est hinc, tu stas solus, Pseudole. Quid facies jam, ex quo donavisti verba magnifica filio heri? Ubi sunt illa? Cui nulla est in promptu mica certi consilii, aut pecuniæ: neque animadverto jam quid agam. Neque vides unde sumas principium, neque rationem certam ordiendæ hujus telæ. Sed quemadmodum Poëta, quando sumit suas tabulas, quærit quod nusquam est terrarum, attamen invenit, reddit simile vero illud quod est falsum: ita ego evadam jam Poëta; reperiam viginti minas, quanquam eæ sint nusquam gentium. Ego huic pollicitus eram jamdudum me daturum. Sed animus erat contorquere telum in nostrum senem. At ille præsagiit antea nescio quomodo. Sed oportet coërcere vocem & linguam. Ecce conspicor herum Simonem, qui accedit huc cum suo vicino Calliphone.*

ANNOTATIONES.

3. *Largitus.*] Id est, *largus, liberalis, profusus. Dictis dapsilis. Dapsilus* enim antiquum, seu dapsilis è Græco est, & significat *munificum, largum.* Itaque *largitus dictis dapsilis*, seu *largus dictis dapsilis*; idem est ac, *largus dictis largus*, quæ battologia frequens est in Plauto, neque ei vitio vertitur.

4. *Gutta certi consilii.*] Metaphoricè dicitur, pro *minima parte consilii*: ut veteres dicebant, *ne pilum quidem habet viri boni.* Id est, *ne minimam quidem partem, qualis est capillus in homine.*

7. *Ad detexundam telam.*] Id est, *contexendam.* Sumpta allegoria à textoribus, qui primùm *ordiuntur* telam, deinde *texunt.* Loquitur de fraude adversus Ballionem instruenda.

8. *Quasi Poëta tabulas cùm cepit.*] Comparat Architectum fraudum cum Poëta Pseudolus, & dicit, neutri, initio susceptì operis, esse in promptu, quid agat. Per tabulas intellige eas in quibus cerâ inductis scribebant. Alii legunt *fabulas.*

14. *Injicere tragulam.*] *Tragula* est teli genus hastæ non absimile. Est & retis genus, quod à *trahendo* dicitur. Utrinque metaphora duci potest ad significandum dolum.

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

INTERPRETATIO.

Ego depromam hodie ex hoc antiquo monumento viginti minas, quas dem filio heri. | *Jam secedam huc, ut accipiam horum orationem.*

ANNOTATIO.

19. *Ex hoc sepulchro viginti minas effodiam*] Moris erat apud veteres, ut in sepulchris pecuniam domesticam absconderent; quia grande piaculum erat religionem violare sepulchrorum. Pseudolus autem Simonem appellat, *vetus sepulchrum*: id est, hominem *sepulchro* simile veteri, in quo tuta esse videtur pecunia, sed frustrà.

ACTUS PRIMUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

PSEUDOLUS audacter sese offert Simoni sibi irato; monetque Ballionem lenonem eâ ipsâ die esse circumveniendum.

SIMO, CALLIPHO senes duo. PSEVDOLVS servus.

CALLIPHO.

SI de damnosis, aut de amatoribus,
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare, & quærere
Argentum ad eam rem. hoc alii mihi renunciant,
Atque id jam pridem sensi, & subolet mihi.
PS. Occisa est hæc res, hæret hoc negotium.

INTERPRETATIO.

CA. *SI eligatur nunc Athenis unus Dictator ex his qui bonis eversi sunt, aut luxu perditi, nullus, ut puto, anteferatur meo filio. Itaque nunc una oratio est omnium per civitatem, eum dare operam ut manumittat amicam, & quærere pecuniam eo consilio. Alii mihi referunt id; & animadverti id jamdudum, & præsensi.* PS. *Hæc via est intercluſa. Hoc negotium non succedit.*

ANNOTATIONES.

1. *Damnosis.*] *Damnosi* sunt qui voluntariis *damnis*, seu impensis suas res profundunt.

2. *Dictator fiat Athenis.*] Id est, filius meus dux & princeps omnium hominum amore perditorum. Porrò *Dictator* est Romanus Magistratus, non Athenienſis, ut est sæpius dictum, sed spectatores Romani sunt.

Quò in commeatum volui argentarium
Proficiſci, ibi nunc oppidò obſepta eſt via.
Præſenſit: nihil eſt prædæ prædatoribus.
„ *CA.* HOMINES QUI GESTANT, quique auſcultant crimina,
„ Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
„ Geſtores linguis, auditores auribus.
Nam iſtæc quæ tibi renunciantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forſitan ea tibi dicta ſunt mendacia.
Sed ſi vera ea ſunt, ut nunc mos eſt, maximè,
Quid mirum fecit? quid novum? adoleſcens homo
Si amat, ſi amicam liberat? *PS.* lepidum ſenem!
SI. Vetus nolo faciat. *CA.* at enim nequiquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adoleſcentiâ.
„ PROBUM PATREM ESSE oportet, qui gnatum ſuum
„ Eſſe probiorem, quàm ipſus fuerit, poſtulet.
Nam tu quod damni, & quod feciſti flagitii,
Populo viritim potuit diſpertirier.
Idné tu miraris, ſi patriſſat filius?
„ *PS.* ὦ Ζεῦ, QUAM PAUCI eſtis homines commodi!
Ehem, illuc eſt patrem eſſe, ut æquum eſt, filio!

INTERPRETATIO.

Iter eſt jam omnino obſtructum, quò mihi proponebam ire ad commeatum pecuniarum. Subodoratus eſt: prædones nullam habebunt prædam. CA. *Cuncti homines qui renuntiant, quique aurem præbent criminationibus, ſi geratur res ex mea ſententia, ſuſpendantur, & delatores quidem linguâ, auſcultatores verò auribus. Nam illa quæ ad te referuntur: videlicet quod filius amans te optet fraudare pecuniâ, ea ſunt fortaſſe falſa quæ ſunt tibi relata. Sed ſi ea ſunt vera, maximè ut eſt nunc conſuetudo, quid egit quod mirum videatur? Quid inuſitatum, ſi juvenis homo amat, ſi aſſerit in libertatem amicam?* PS. *Feſtivum ſenem!* SI. *Nolo agat hanc rem veteſtam.* CA. *Verùm incaſſum repugnas. Tu ipſe nonne ageres idem in juventute? Oportet patrem eſſe bonum, qui velit ſuum filium eſſe meliorem, quàm fuerit ipſe. Nam flagitia & damna, quæ feciſti, potuiſſent dividi in cives ſingulos. Idne tibi novum ſi filius imitatur patrem?* PS. *O Jupiter, quàm pauci eſtis homines non moleſti! Ehem, hoc eſt eſſe patrem nato, ut eſt par!*

ANNOTATIONES.

12. *Homines qui geſtant crimina.*] Id eſt, qui promulgant crimina aliorum: hi *geſtores*, ſeu *geſtatores* appellabantur. Seneca: *Peſſimum genus hominum videbatur, qui verba geſtarent. Sunt quidam qui vitia geſtant. Horum ſermo multum nocet: nam etiamſi ſtatim non officit, ſemina in animo relinquit.*

21. *Vetus nolo faciat.*] Id eſt, nolo filium amare, quod dicis non eſſe novum.

26. *Populo viritim diſpertirier.*] Id eſt, tot damna feciſti, tot pecunias dilapidaviſti, ut ſi populo tribuiſſes viritim, ſuum quiſque nummum accepiſſet. Hæc *diſtributio* non cadit in *flagitia*, ſed in *damna*.

SI. Quis hîc loquitur? meus hic eſt quidem ſervus Pſeudolus.
Hic mihi corrumpit filium, ſcelerum caput,
Hic dux, hic ille eſt pædagogus: hunc ego
„ Cupio excruciari. *CA.* jam iſtæc INSIPIENTIA EST,
„ Sic iram in promptu gerere, quantò ſatius eſt,
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, necne ſint, quæ tibi renunciant?
„ BONUS ANIMUS in malâ re dimidium eſt mali.
SI. Tibi auſcultabo. *PS.* itur ad te, Pſeudole:
Orationem tibi para adverſum ſenem.
Herum ſaluto primùm, ut æquum eſt: poſtea
Si quid ſuperſit, vicinos impertio.
SI. Salve. quid agitur? *PS.* ſtatur hîc ad hunc modum.
SI. Statum vide hominis, Callipho, quaſi baſilicum.
CA. Bene confidentérque aſtitiſſe intellego.
„ *PS.* DECET INNOCENTEM, qui ſit atque innoxius:
„ Servum ſuperbum eſſe, apud herum potiſſimùm.
CA. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus.
SI. Conficiet jam te hic verbis: ut tu cenſeas
Non Pſeudolum, ſed Socratem tecum loqui.

INTERPRETATIO.

SI. *Quis verba facit hic? Sane eſt meus ſervus Pſeudolus, Hic perdit meum filium, dux ad nequitiam, hic eſt ille ductor, hic magiſter: ego opto eum pœnas dare graviſſimas.* CA. *Eſt hæc jam amentia, ſic ferre præ ſe iracundiam. Quanto eſt melius adoriri leni oratione, atque expendere, utrum illa, quæ ad te referunt, ſint vera necne? Mens conſtans in re adversâ reddit malum levius dimidio.* SI. *Tibi præbebo aurem.* PS. *Veniunt ad te, Pſeudole: inſtrue orationem adverſus ſenem. Imprimis ſalvere jubeo herum, ut eſt par: deinde ſi reſtat aliquid* ſalutis *diſtribue vicinis.* SI. *Salvus ſis; quid agis?* PS. *Ego ſto hic, hoc modo.* SI. *Callipho, aſpice ſtatum hominis, tanquam regium.* CA. *Video eum ſtare rectè & audacter.* PS. *Oportet ſervum innocuum & innoxium, eſſe audacem, præſertim apud dominum.* CA. *Sunt quæ volumus à te ſciſcitari, quæ noſmet tenemus, atque accepimus velut per nebulam.* SI. *Hic te interimet jam garrulitate: ita ut tu arbitreris non Pſeudolum, ſed Socratem verba facere tecum.*

ANNOTATIONES.

32. *Hic ille eſt Pædagogus.*] Olim *Pædagogi* diſtinguebantur à *præceptoribus*: illi mores; hi ſtudia curabant. Seneca: *Præceptores pædagogique pueris placidi dent ur.*

34. *Iram in promptu gerere.*] Ennius: *Amicitias atque inimicitias in fronte promptas gero.* Cicero: *Hic, quod cum cæteris animo ſentiebat, id magis quàm cæteri, & vultu promptum habuit & linguâ.* Apuleius: *In primori fronte animum geſtare.*

43. *Statum.*] *Status* eſt ſtantis habitus & facies ſtandi.

48. *Quaſi per nebulam.*] Cicero. *In infirmâ ætate imbecilláque mente, vis naturæ per caliginem cernitur.* Porrò quæ cernuntur per nebulam, ſunt quæ cernuntur quidem, ſed non ſatis diſtincte.

PS. Ita est. jampridem tu me spernis, sentio,
Parvam esse apud te mihi fidem ipse intellego:
Cupis me esse nequam, tamen ero frugi bonæ.
SI. Fac sis vacivas, Pleudole, ædis aurium,
Mea ut migrare dicta possint quò volo.
PS. Age loquere quid vis, tametsi tibi succenseo.
SI. Mihin' domino servus tu succenses? *PS.* jam tibi
Mirum id videtur? *SI.* hercle qui, ut tu prædicas,
Cavendum est mihi abs te irato: atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te soleo, cogitas.
CA. Quid censes? edepol meritò esse iratum arbitror,
Cùm apud te parum stet fides. *SI.* jam sic sino,
Iratus sit: ego ne quid noceat cavero.
Sed quid ais? quid hoc, quod te rogo? *PS.* si quid vis, roga
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
SI. Advorte ergo animum, & fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare? *PS.* negare meum est. *SI.* liberare quam velit?
PS. Καὶ τοῦτο, καὶ τοῦτο nego. *SI.* ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Paritas ut auferas à me? *PS.* abs te ego auferam?
SI. Ita: quas meo gnato des, quî amicam liberet.
PS. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναί. καὶ τοῦτο ναί.
CA. Fatetur. *SI.* dixin', Callipho, dudum tibi?

Interpretatio.

PS. *Etiam. Jamdudum tu me contemnis, animadverto: ipse non ignoro te parum in me confidere: vis me esse improbum, attamen ero probus.* SI. *Pseudole, fac si vis, domus aurium vacet, ut mea verba possint conferri, quò cupio.* PS. *Age, dic quidquid libuerit, quanquam iratus sum tibi.* SI. *Mihine iratus es, tu, qui es servus, mihi domino?* PS. *Existimâsne id mirum?* SI. *Per Herculem mihi metuendum est abs te irato, vt tu dicis: & tu meditaris me cædere aliâ ratione atque ego consuevi te verberare.* CA. *Quid putas? Per ædem Pollucis existimo eum esse iratum meritò, quia parum ei confidis.* SI. *Sit sic iratus; per me licet: ego curabo ne noceat in quopiam. Sed quid dicis? Quid est hoc quod à te peto?* PS. *Si vis aliquid, pete id quod sciam; crede tibi responsum ab oraculo Delphico.* SI. *Adhibe igitur animum, & da operam ut recorderis promissorum. Quid dicis? quam tibicinam nosti amari à meo filio?* PS. *Est meum negare.* SI. *Quam cupiat manumittere?* PS. *Nego & hoc & illud.* SI. *Quibus viginti minis paras me fraudare, fallaciâ, & eruditis technis?* PS. *Ego te fraudem?* SI. *Etiam, quas tradas meo nato, ut asserat in libertatem amicam.* PS. *Oportet fateri, & hoc quidem & illud.* CA. *Fatetur.* SI. *Callipho, tibine dixi jampridem?*

Annotationes.

65. *Delphis tibi responsum dicito.*] Cicero: *Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. Nihil potest esse verius.*

71. *Paritas.*] Id est, *paras.*

CA. Memini. *SI.* cur hæc, ubi tu resciviſti illico,
Cælata me ſunt? cur non reſcivi? *PS.* eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut ſervus *ſuum* criminaret apud herum.
SI. Juberes hunc præcipitem in piſtrinum trahi.
CA. Nunquid peccatum eſt Simo? *SI.* imò maximè.
PS. Deſiſte: rectè ego rem meam ſapio, Callipho.
Peccata mea ſunt. animum advorte nunc jam.
Quapropter te expertem amoris nati habuerim.
Piſtrinum in mundo ſcibam, ſi id faxem, mihi.
SI. Non à me ſcibas piſtrinum in mundo tibi?
Cum ea muſſitabas. *PS.* ſcibam. *SI.* cur non dictum eſt mihi?
PS. Quia illud malum aderat; iſtuc aberat longiùs.
Illud erat præſens; huic erant dieculæ.
SI. Quid nunc agetis? nam hinc quidem à me non poteſt
Argentum auferri, qui præſertim ſenſerim.
Ne quiſquam credat nummum, jam edicam omnibus.
PS. Nunquam edepol cuiquam ſupplicabo, dum quidem
Tu vives: tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem ſumam. *SI.* tu à me ſumes? *PS.* ſtrenuè.
SI. Excludito mihi hercle oculum, ſi dedero. *PS.* dabis.
Jam dico, ut à me caveas. *CA.* certè edepol ſcio,
Si abſtuleris, mirum & magnum facinus feceris.

Interpretatio.

CA. *Recordor.* SI. *Quare hæc non mihi detexiſti ſtatimátque accepiſti? Cur non accepi?* PS. *Edicam. Quia nolebam malam conſuetudinem inferri per me in hominum genus, ut ſervus criminaretur ſuum herum apud herum.* SI. *Mandares hunc obtorto collo rapi in piſtrinum.* CA. *An aliquid eſt culpæ admiſſum Simo?* SI. *Imò maximè.* PS. *Deſiſte, Callipho: ego teneo apprimè meam rem. Sunt mea peccata. Jam animadverte, quamobrem paſſus fuerim eſſe te ignarum amoris filii: intelligebam me eſſe damnandum piſtrino, ſi feciſſem id.* SI. *Ignorabas tibi eſſe piſtrinum apertum, meo juſſu, ſi non aperiebas id?* PS. *Non ignorabam.* SI. *Quare non mihi eſt renuntiatum?* PS. *Quia hæc pœna aderat; illa aberat longius: illa erat præſens; huic erant aliquot dies* interjecti. SI. *Quid facietis jam? Nam profectò pecunia nequit ſubduci à me, præſertim qui detexerim fraudem. Jam monebo omnes, ne ullus tibi credat vel nummum.* PS. *Per ædem Pollucis à nemine rogabo: dum quidem tu vives, per Herculem tu mihi dabis pecuniam. Profectò ego accipiam à te.* SI. *Tu accipies à me?* PS. *Accipiam.* SI. *Per Herculem erue mihi oculum, ſi dedero.* PS. *Dabis. Dico jam ut caveas à me.* CA. *Per ædem Pollucis ego ſcio, ſi acceperis, perpetraveris factum admirabile & magnum.*

Annotationes.

78. *Herum.*] Herum filium apud herum patrem.

84. *In mundo.*] Id eſt, *ſertum & præſens.*

Faxem.] *Feciſſem.*

88. *Huic erant dieculæ.*] Id eſt, morula aliqua temporis intercedere debebat, inter crimen & criminis pœnam.

PS. Faciam. *SI.* si non abstuleris ? *PS.* virgis cædito.
Sed quid, si abstulero ? *SI.* do Jovem testem tibi,
Te ætatem impunè habiturum. *PS.* facito ut memineris.
SI. Egon' ut cavere nequeam cui prædicitur ?
PS. Prædico, ut caveas : dico, inquam, ut caveas : cave.
Hem ! istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
CA. Edepol mortalem graphicum, si servat fidem !
PS. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
SI. Bene atque amicè dicis : nam nunc jam meus es.
PS. Vin etiam dicam, quod vos magis miremini ?
CA. Studeo hercle audire, nam ted ausculto libens.
SI. Agedum ! nam satis libenter te ausculto loqui.
PS. Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram & commemorabilem.
SI. Quam pugnam ? *PS.* hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepidè lenonem. *SI.* quid est ?
PS. Effectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
SI. Siquidem istæc opera, ut prædicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli anteceseris.
Sed si non faxis, nunquid causæ est, illicò
Quin te in pistrinum condam ? *PS.* non unum quidem
Diem modò, verùm hercle in omnis, quantum est. sed si effecero,
Dabin' mihi argentum quod dem lenoni illicò.
Tuâ voluntate ? *CA.* jus bonum orat Pseudolus :
Dabo, inque. *SI.* at enim scin' quid mihi in mentem venit ?

Interpretatio.

PS. *Accipiam.* SI. *Si non abstuleris ?* PS. *Plectè flagris ; sed quid si abstulero ?* SI. *Appello Jovem testem, te acturum vitam immunem à pœna.* PS. *Da operam ut recorderis.* SI. *Egòne ut non possim cavere monitus ?* PS. *Moneo, ut caveas ; dico, inquam, ut caveas : cave. Hem ! tu mihi numerabis hodie pecuniam, in istis manibus.* CA. *Per ædem Pollucis venustum hominem, si facit quod pollicetur !* PS. *Nisi fecero, abducito me ad tibi serviendum.* SI. *Loqueris rectè atque familiariter : nam nunc pertines ad me.* PS. *Visne etiam dicam, quod vobis sit magis mirum ?* CA. *Per Herculem attente audio, nam te audio lubenter.* SI. *Dic igitur ! nam te audio loqui satis ultrò.* PS. *Antequam descendam in hanc pugnam, ego committam antea adhuc aliud certamen celebre & memoriâ dignum.* SI. *Quod certamen ?* PS. *Hem, ea ipsa tibicina, quam tuus filius perdite amat, fraudabo lepidè lenonem tuum vicinum, per fallaciam, atque per eruditam fraudem.* SI. *Quid est ?* PS. *Perficiam hodie hæc duo ad vesperam.* SI. *Profectò si perfeceris hæc revera, ut tu dicis, anteponendus eris virtute regi Agathocli. Sed si non perfeceris, nónne causa erit, quâ te detrudam statim in pistrinum ?* PS. *Detrudes non modo in unum diem, verùm per Herculem in omnem vitam, quanta quanta erit ; sed si perfecero, mihine trades ultrò pecuniam, quam dem statim lenoni ?* CA. *Pseudolus petit id quod æquum est : dic, dabo.* SI. *Sed scisne quid mihi venit in animum ?*

Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de compacto faciunt consutis dolis,
Quî me argento circumvertant? *PS.* quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere? imò sic, Simo,
Si sumus compecti, sive consilium unquam inivimus
De istâc re, aut si de eâ re unquam inter nos convenimus:
Quasi in libro cùm scribuntur calamo literæ,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
SI. Indîce ludos nunc jam, quando lubet.
PS. Da in hunc diem operam, Callipho, quæso mihi,
Ne quò te ad aliud occupes negotium.
CA. Quin rus uti rem, jam heri constitueram.
PS. At nunc disturba quas statuisti machinas.
CA. Nunc non abire certum est istâc gratiâ.
Lubido est ludos tuos spectare, Pseudole.
Et si hunc videbo non dare argentum tibi,
Quod dixit: potiùs quàm id non fiat, ego dabo.
Non demutabo. *PS.* namque edepol, si non dabis,
Clamore magno & multum flagitabere.
Agite, amovemini hinc vos intrò nunc jam,
Ac meis vicissim date locum fallaciis.
SI. Fiat, geratur mos tibi. *PS.* sed te volo
Domi usque adesse. *SI.* quin tibi hanc operam dico.
CA. At ego ad forum ibo: jam hîc adero. *SI.* actutum redi.

Interpretatio.

Quid, Callipho, si hi convenerint inter se, aut agunt de composito, meditatâ fraude, ut me circunveniant pecuniâ? PS. *Quis erit confidentior me, si aggrediar illud agere? Imò, Simo, si sumus sic consentientes, sive unquam consultavimus de istâ re, aut si unquam consensimus inter nos de eâ re, exara me totum stilis ulmeis, quasi quando scribuntur littera calamo in libro.* SI. *Assigna jam tempus ludorum, quando libebit.* PS. *Rogo, Callipho, impende mihi hunc diem, neque te implices aliis rebus.* CA. *Quin statueram jam heri, ut proficiscerer rus.* PS. *Sed nunc everte machinas, quas tu instruxisti.* CA. *Sed statui non ire eâ causâ. Libet videre ludos tuos, Pseudole. Si verò videro hunc non tibi dare pecuniam, ut pollicitus est, ego tradam, potiùs quàm id non fiat.* SI. *Non sententiam mutabo.* PS. *Nam per ædem Pollucis, si non dederis, à te petetur multum, & magnâ vociferatione. Agite, jam amolimini vos hinc intrò, vicissim facite spatium meis fraudibus.* SI. *Fiat; tibi obtemperetur.* PS. *Sed volo te esse semper domi.* SI. *Quin tibi dedico hanc operam.* CA. *Sed ego ibo ad forum, adero hîc jam.* SI. *Redi velociter.*

Annotationes.

129. *Si sumus compecti.*] Antiquè pro *compacti.*

132. *Stilis ulmeis.*] *Virgis.*

Conscribito.] Virgilius:

——— *versâ pulvis inscribitur hastâ.*

Sidonius Apollinaris: *Mundus incanduit, glacies Alpina deletur, & hiulcis arentium rimarum flexibus terra perscribitur.*

PS. Suscipio

PS. Suſpicio eſt mihi nunc vos ſuſpicarier,
Me iccirco hæc tanta facinora promittere,
Quî vos oblectem, hanc Fabulam dum tranſigam,
Neque ſim facturus, quod facturum dixeram:
Non demutabo. atque etiam certum, quod ſciam,
Quo ſim facturus pacto, nihil etiam ſcio;
Niſi quia futurum eſt. nam qui in ſcenam provenit
Novo modo, novum aliquid inventum afferre addecet.
Si id facere nequeat, det locum illi qui queat.
Concedere aliquantiſper hinc mihi intrò libet,
Dum concenturio in corde ſycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

INTERPRETATIO.

PS. *Suſpicor vos ſuſpicari nunc, me polliceri hæc facinora tanta, ad vos oblectandos, dum agam hanc Fabulam, neque me eſſe facturum quod pollicitus eram me eſſe facturum. Non mutabo ſententiam. Et conſtat quidem me facturum eſſe, ſed neſcio adhuc quomodo ſim facturus; niſi quia eſt futurum. Nam decet eum qui venit in ſcenam, novâ ratione, afferre aliquod novum inventum; & nequeat id facere, det locum illi qui poſſit. Mihi libet concedere pauliſper hinc intrò, dum inſtruo in animo fallacias. Interea hic tibicen vos oblectabit.*

ANNOTATIO.

159. *Concenturio.*] Id eſt, *In album refero.* Aut *inſtruo in aciem.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

POLYMACHÆROPLACIDES Miles Caculam ſuum mittit Harpacem, ad deferendas quinque minas, cum ſymbolo ad Ballionem lenonem, & abducendam Phœnicium. Ignarus, ubi maneret Ballio Calo, rogat Pſeudolum, ſibi ut ædes Ballionis indicet, & viæ cauſam aperit. Pſeudolus ſe eſſe Syrum Atrienſem Ballionis mentitur; abeſſe Ballionem. Dat ſymbolum, ſed minas ſervat & in popinam conſedit Harpax uſque eòdum Ballio revertatur. Interim acceptis à Charino minis quinque conflat fraudem in Ballionem Pſeudolus.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SEse accingit ad fraudem Pseudolus, sed quam ne ipse quidem satis compertam habet.

PSEUDOLUS servus.

PRoh Juppiter, ut mihi, quicquid ago, lepidè omnia prospereque eveniunt!
Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum est consilium.
„ Nam ea STULTITIA EST, FACINUS magnum timido cordi credere,
„ nam OMNES
„ RES PERINDE sunt, ut agas, ut eas magnifacias, nam ego in meo
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis, dolos,
Perfidias; ut ubicunque cum hostibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, meâ industriâ & malitiâ, fraudulentiâ,
Facilè ut vincam, facilè ut spoliem meos perduellis meis perfidiis.
Nunc inimicum ego hunc communem meum, atque vostrûm omnium
Ballionem exballistabo lepidè. date operam modò. hoc ego oppidum

INTERPRETATIO.

PS. *PRoh Jupiter, ut cuncta, quæ facio, mihi succedunt feliciter & ex voto. Consilium quod conceptum habeo in mente, est ejusmodi, ut de ejus eventu felici, nec dubitem, nec metuam. Certè insanum est committere egregium facinus homini timido. Nam omnes res tales sunt, quales facis; magnæ sunt si eas facias magnas. Idcircò ego instruxi antea in meâ mente duplices exercitus, fraudes triplicis generis, fallacias; ut ubicunque committam certamen cum hostibus (hoc dicam nixus virtute meorum malorum) meâ industriâ & nequitiâ, fallaciâ, facilè vincam, facilè spoliem meos hostes meis sycophantiis. Nunc ego explodam festivè Ballionem illum inimicum communem meum, atque vestrûm omnium. Audite*

ANNOTATIONES.

6. *Malorum meorum virtute.*] Ridicule & comice dictum. Nam dicere solebant, *Deorum virtute* se facturos quidquid aggrederentur. Hic non *Deorum*, sed *fraudum suarum* virtute facturum quod suscipit ridiculè dicit, opponítque *virtute & malorum.*

10. *Ballionem exballistabo.*] Id est, quasi balista perimam. Allusione ad nomen lenonis factâ, risum captat.

Admœnire, ut hoc die capiatur, volo: atque ad hoc meas legiones
Adducam. si hoc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Pòst ad oppidum hoc vetus continuò mecum exercitum protinus obducam:
Inde me & simul participes omnes meos prædâ onerabo, atque opplebo:
Metum & fugam perduellibus meis *injiciam*, me esse ut sciant natum.
Ego sum genere gnatus, magna me facinora decet efficere,
Quæ pòst mihi clara, & diu clueant. sed hunc quem video, quis hic est,
Qui oculis meis obviam ignorabilis objicitur? libet scire
Quid hîc velit cum machæra; & huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.

INTERPRETATIO.

modò; ego volo oppugnare hoc oppidum, ut expugnetur hodie: atque adducam ad hoc meas legiones. Si hoc capio, ego reddam hanc rem pronam meis civibus continuò. Posteà protinus educam meas copias ad hoc vetus oppidum: inde me onerabo, atque opplebo prædâ, & simul cunctos meos socios. Injiciam terrorem & fugam meis hostibus, ut intelligant me esse genitum eo genere quo sum genitus. Oportet me perpetrare insignia facta, quæ illustria de me prædicentur & sempiterna. Sed quis est hic quem video, qui incurrit in meos oculos, quem non novi? Libet cognoscere quid velit hîc cum ense; & quid agit hic, deinde struam insidias.

ANNOTATIONES.

11. *Admœnire.*] *Obsidere.* Per *oppidum* intelligit Simonem quem vocavit supra, *vetus sepulcrum.*

16. *Ego sum genere gnatus.*] Id est, *nobili.* Servi enim fermè generis sui seriem ignorabant, utpotè propter obscuritatem, ab iis neglectam.

18. *Ignorabilis.*] Id est, *quem ignoro, mihi ignotus.* Contrà Petronius: *Rusticus quidam familiaris oculis meis.* Id est, quem vidisse me sæpius recordor. Idem: *Vox penè auribus meis familiaris.* Id est, *quam audisse me mihi videor.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

MISSUM à Polymachæroplacide Harpagum circumvenit Pseudolus sub nomine Syri Atriensis Ballionii. Pseudo-Syro dat symbolum Harpagus, id est, epistolam inscriptam Ballioni, & sigillo munitam militis.

HARPAX Cacula, PSEVDOLVS servus.

HARPAX.

HI loci sunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero sunt demonstratæ:
Ut ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus Miles,
Septimas esse ædis à portâ, ubi ille habitat leno, cui jussit
Symbolum me ferre, & hoc argentum. nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi hîc habitat. *PS.* st. tace tace,
Meus hic est homo, ni omnes di atque homines deserunt. novo consilio
Nunc mihi opus est: nova res subitò mihi hæc objecta est:
Hoc prævortar principio: illa omnia missa habeo, quæ antè agere occœpi.
Jam pol ego hunc stratioticum nuncium advenientem probè percutiam.
HA. Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.
PS. Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo,
Nam ego precator & patronus foribus processi foras.
HA. Túne es Ballio? *PS.* imò verò ego ejus sum Subballio.
HA. Quid istuc verbi est? *PS.* condus-promus sum, procurator peni.

INTERPRETATIO.

HA. *HÆc sunt loca, & hæ plagæ, quæ mihi sunt indicatæ ab hero; quemadmodum ego cerno oculis, id quod miles meus herus mihi dixit*, nimirum *esse septimam domum à porta, in quâ manet ille leno, ad quem præcepit deferre symbolum, & hanc pecuniam. Utinam esset aliquis qui mihi indicaret ubi maneret in hâc urbe, Ballio leno.* PS. *St; sile, sile, adest meus homo; nisi cuncti Dii & homines derelinquunt. Oportet adhibeam nunc novum consilium: hæc nova res mihi fuit oblata repente. Anteponam hoc novum consilium priori: prætermissi universa illa, quæ institueram antea facere. Per ædem Pollucis ego modo excipiam egregiè hunc nuncium, qui advenit à milite.* HA. *Impellam januam & vocabo aliquem ab ædibus.* PS. *Quicumque es, ego nolo te amplius pulsare; nam ego prodeo foras, ut defendam januam & deprecer ab eâ* injuriam. HA. *Túne es Ballio?* PS. *Imò verò ego sum* tantùm *Subballio.* HA. *Quid est id quod dicis?* PS. *Sum promus-condus, qui curo ejus penum.*

ANNOTATIONES.

9. *Stratioticum percutiam.*] Harpacem vincere incipiam dolis. *Stratioticus* est à Græco, & significat *militarem: percutiam* autem est metaphora ducta à certamine, in quo si vincere vis, oportet *percutere* hostem.

13. *Subballio.*] Id est, Atriensis Ballionis. Cicero: *Summarium* appellat quemdam *secundum à Mario.*

14. *Procurator peni.*] Atriensis.

HA. Quasi te dicas atrienſem. *PS.* imò atrienſi ego impero.
HA. Quid tu ! ſervusné es, an liber? *PS.* nunc quidem etiam ſervio,
HA. Ita vidêre; & non vidêre dignus qui liber ſies.
PS. Non soles respicere te, cùm dicas injuſtè alteri?
HA. Hunc hominem malum eſſe oportet. *PS.* di me ſervant atque amant.
Nam hic mihi incus eſt: procudam ego hodie hinc multos dolos.
HA. Quid illic ſecum ſolus loquitur? *PS.* quid ais tu adoleſcens?
HA. quid eſt?
PS. Esné tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servus ejus qui hinc à nobis eſt mercatus mulierem?
Qui argenti hero meo Lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? *HA.* ſum. ſed ubi tu me noviſti gentium,
Aut vidiſti, aut collocutus? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.
PS. Quia vidêre inde eſſe. nam olim cùm abiit, argento hic dies
Præſtituta eſt, quoad referret nobis: neque dum rettulit.
HA. Imò adeſt. *PS.* tun' attuliſti? *HA.* egomet. *PS.* quid dubitas dare?
HA. Tibi ego dem? *PS.* mihi hercle verò, qui res rationéſque heri Ballionis curo, argentum accepto, expenſo, & cui debet dato.

Interpretatio.

HA. *Quaſi profitearis te ejus Atrienſem.* PS. *Imò ego impero Atrienſi.* HA. *Quid tu? Esne ſervus, an liber?* PS. *Ceriè ſervio adhuc.* HA. *Sic videris, & non videris dignus qui ſias liber.* PS. *Non te contemplaris quando maledicis immeritò alteri?* HA. *Oportet hunc hominem eſſe nequam.* PS. *Dii me tuentur atque diligunt. Nam hic eſt inſtar incudis; ego fabricabo hodie hac complures fallacias.* HA. *Quid ille fabulatur ſolus ſecum?* PS. *Quid loqueris, tu adoleſcens?* HA. *Quid eſt?* PS. *Esne ſervus illius militis Macedonici, qui emit à nobis mulierem? Qui numeraverat quindecim minas meo hero lenoni, debet quinque?* HA. *Sum. Sed ubinam terrarum tu me cognoviſti, aut conſpexiſti, aut confabulatus es? Nam nunquam veni antea Athenas, neque te unquam conſpexi meis oculis ante hunc diem.* PS. *Quoniam videris eſſe ex eâ gente: nam quando hinc profectus eſt, hæc dies fuit aſſignata dando argento, uſque eòdum nobis referret: ſed nondum retulit.* HA. *Imò adeſt.* PS. *Túne attuliſti?* HA. *Egomet.* PS. *Quid cunctaris dare?* HA. *Ego tibi dem?* PS. *Enimverò mihi, qui curam gero rei rationúmque heri Ballionis, accipio pecuniam, expendo & diſtribuo cui par eſt.*

Annotationes.

18. *Non ſoles reſpicere te.*] In Truculento. *Qui alterum incuſat probri eum ſe intueri oportet.*

20. *Hic mihi incus eſt.*] Harpacem *incudem* appellat; in quâ dolos cudat Ballioni, hero Simoni, & Polymachæroplacidi, hero Harpacis.

HA. Siquidem hercle etiam ſupremi promptas theſauros Jovis,
Tibi libellam argenti nunquam credam. *PS.* dum tu ſtrenuas,
Res erit ſoluta. *HA.* vinctam potiùs ſic ſervavero.
PS. Væ tibi! tu inventus verò, meam qui forcilles fidem!
Quaſi mihi non ſexcenta tanta ſoli ſoleant credier!
HA. Poteſt ut alii ita arbitrentur; & ego ut ne credam tibi.
PS. Quaſi tu dicas, me te velle argento circumducere.
HA. Imò verò quaſi tu dicas, quaſique ego autem id ſuſpicer.
Sed quid eſt tibi nomen? *PS.* ſervus eſt huic lenoni Syrus,
Eum eſſe me dicam. Syrus ſum. *HA.* Syrus? *PS.* id eſt nomen mihi.
HA. Verba multa facimus! herus ſi tuus domi eſt, quin provocas:
Ut id agam quod miſſus huc ſum; quicquid eſt nomen tibi.
PS. Si intus eſſet, evocarem. verùm ſi dare vis mihi,
Magis erit ſolutum, quàm ipſi dederis. *HA.* at enim ſcin' quid eſt?
Reddere hoc, non perdere, herus me miſit. nunc certò ſcio
Hoc febrim tibi eſſe, quia non licet hoc injicere ungulas.
Ego, niſi ipſi Ballioni, nummum credam nemini.
PS. At illic nunc negotioſus eſt: res agitur apud judicem.
HA. Dî bene vortant! at ego quando eum eſſe cenſebo domi,

Interpretatio.

HA. *Per Herculem ſi promas etiam æra-*
rium ſupremi Jovis, nunquam tibi com-
mittam libram argenti. PS. *Dum tu ſtre-*
nuum te jactas, res erit expenſa. HA.
Cuſtodiero potiùs ſic conſtrictam. PS. *Væ*
tibi! tu es repertus, qui eleves meam fi-
dem; quaſi non ſoleant mihi ſoli credi
ſexcenties tantum! HA. *Poteſt* fieri *ut cæ-*
teri exiſtiment tibi tot credenda, ego verò
non tibi credam. PS. *Quaſi tu dicas, me*
velle te fraudare pecuniâ. HA. *Imò verò*
quaſi tu dicas id, ego verò ſuſpicer. Sed
quod nomen habes? PS. *Hic leno habet*
ſervum Syrum, affirmabo eum eſſe me.
Sum Syrus. HA. *Syrus?* PS. *Hoc nomine*
vocor. HA. *Differimus multis verbis! Si*
tuus herus eſt domi, quare non vocas, ut
faciam id propter quod venio huc, quod-
cumque nomen habes? PS. *Si eſſet domi,*
juberem venire; ſed ſi libet mihi tradere,
erit melius traditum, quàm ſi ei tradideris
ipſi. HA. *Scias velim, me veniſſe hucim-*
perio heri ad ſolvendum hoc, non amitten-
dum. Nunc intelligo te æſtuare, quoniam
nequis immittere manus in hanc prædam.
Equidem tradam nulli ne nummum qui-
dem, niſi Ballioni ipſi. PS. *Sed ille eſt*
jam plenus negotiorum: illi eſt controver-
ſia coram judice. HA. *Dii vertant bene!*
ſed revertar, quum exiſtimabo eum eſſe

Annotationes.

34. *Dum tu ſtrenuas.*] Dum nugando ita ſtrenuum hominem te prædicas, interim quinque minæ ſolvi poterant. *Strenuo* cuſum in officinâ Plautinâ verbum. Alii pro *ſtrenuas*, *ſternuas* ſcribunt. Id eſt, *ſternutas.*

36. *Meam qui forcilles fidem.*] Forcillare, ſeu furcillare fidem, eſt infirmam judicare, & quaſi ſubjectâ *furcillâ* fulcire. Sed hoc loco elevare vult Harpax, non fulcire, Pſeudoli fidem. Putaverim forcillare ſeu furcillare hoc loco, eſſe ejicere quaſi furcâ & jactare, ludibrio habere.

44. *Quod miſſus huc ſum.*] Propter quod.

48. *Hoc febrim tibi eſſe.*] Id eſt, ardere te, ſeu vehementer deſiderare, ſicut qui febri tenentur, tenentur & ſummo bibendi deſiderio.

Rediero. tu epistolam hanc à me accipe, atque illi dato.
Nam istîc symbolum est inter herum meum & tuum de muliere.
PS. Scio equidem, ut qui argentum afferret, atque expressam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo ajebat velle mitti mulierem.
Nam hîc quoque exemplum reliquit ejus. *HA.* omnem rem tenes.
PS. Quid ego ni teneam? *HA.* dato ergo istum symbolum illi.
PS. licet. [haud places.
Sed quid est tibi nomen? *HA.* Harpax. *PS.* apage te! Harpax,
Huc quidem hercle haud ibis intrò; ne quid harpax feceris.
HA. Hostis vivos rapere soleo ex acie: *ex* hoc nomen mihi est.
PS. Pol te multo magis, opinor, vasa ahenea ex ædibus.
HA. Non ita est. sed scin' quid te orem, Syre? *PS.* sciam si dixeris.
HA. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam diobolarem, cludam, crassam, Chrysidem.
PS. Quid nunc vis? *HA.* inde ut me arcessas, herus tuus ubi venerit.
PS. Tuo arbitratu, maximè. *HA.* nam ut lassus veni de viâ,
Me volo curare. *PS.* sanè sapis, & consilium placet:
Sed videsis ne in quæstione sis, quando arcessam, mihi.
HA. Quin ubi prandero, dabo operam somno. *PS.* sanè censeo.
HA. Nunc quid vis? *PS.* dormitum ut abeas. *HA.* abeo. *PS.* atque audin Harpage:
Jube sis te operiri: beatus eris, si consudaveris.

INTERPRETATIO.

domi. Tu tene hanc epistolam, quam illi reddas. Symbolum quod est inter meum herum & tuum de muliere, est in eâ. PS. *Equidem audivi, ut dicebat se velle mitti mulierem cum eo, qui ad nos afferret huc pecuniam, & suam imaginem expressam. Itaque reliquit hic ejus exemplum.* HA. *Capis omnem rem.* PS. *Quare non ego capiam?* HA. *Da illi igitur istud symbolum.* PS. *Dabo. Sed quod nomen habes?* HA. *Harpax.* PS. *Apage à me! Harpax, minimè places. Per Herculem non ingredieris huc, ne rapias aliquid.* HA. *Consuevi rapere ex acie hostes vivos: inde habeo nomen.* PS. *Per Pollucem arbitror te rapere multo melius vasa ænea ex ædibus.* HA. *Non ita est. At scisne unum quod te oro, Syre?* PS. *Sciam si aperueris.* HA. *Ego eo huc extra portam in tertiam tabernam, apud Chrysidem, illam anum diobolarem, claudam, crassam.* PS. *Quid petis jam?* HA. *Ut me revoces inde, quando tuus herus venerit.* PS. *Ut libebit, maximè.* HA. *Nam quoniam veni fessus de viâ, opto me recreare.* PS. *Profectò sapis, & consilium arridet: sed da operam, si libet, ne quærendus sis, quando eris vocandus.* HA. *Quin quando cibum sumpsero, indulgebo somno.* PS. *Profectò puto.* HA. *Quid vis nunc?* PS. *Ut somnum petas.* HA. *Pergo.* PS. *Porrò, audi, Harpage: manda te tegi: eris felix, si desudaveris.*

ANNOTATIONES.

63. *In tabernam tertiam.*] Id est, *popinam*, quæ *tertia* est à porta Ballionis.

64. *Anum illam diobolarem.*] Apud quam cœnatur *duobus obolis*. Alii, *doliarem*, id est, cujus *doliaris* est venter, adeò pinguedine distentus est. Sed perperam, alioquin expungendum esset *crassam*.

68. *Ne in quæstione sis.*] Id est, *quærendus sis*.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PSEUDOLUS sibi gratulatur delusо jam Harpace, & fraudem in Simonem & Ballionem architectatur.

PSEVDOLVS servus.

DI immortales! conservavit me illic homo adventu suo,
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam.
Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportuniùs
Advenire, quàm hæcce allata est mihi opportunè epistola.
Nam hæcce illata cornucopia est, ubi inest quicquid volo.
Hîc doli, hîc fallaciæ omnes sunt: hîc sunt sycophantiæ,
Hîc argentum, hîc amica amanti herili filio.
Atque ego nunc me glorioſum faciam ut copi pectore;
Quo modo quicque agerem, ut Lenoni surriperem mulierculam;
Jam instituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volueram,
Certa, deformata habebam. sed profectò hoc sic erit:
„CENTUM DOCTUM hominum consilia sola hæc devincit DEA

INTERPRETATIO.

PS. *DIi immortales! ille mihi saluti fuit, suo adventu; me revocavit ex errore usque ad viam suo viatico. Nam Opportunitas ipsa nequit* mihi *sese offerre commodiùs, quàm hæc epistola mihi allata est: hæc enim est cornucopia, in quâ ineſt quidquid exopto. Sunt hic fraudes; sunt hic omnes techna; sunt sycophantiæ. Hîc pecunia, hîc est amica, quam amat filius heri. Quantâ verò memet efferam modò superbiâ, & quàm inflatâ mente eram, ut hac ratione omnia facerem, ut subducerem mulierem lenoni! Jam omnia erant dispoſita, ut exoptaveram, instructa, fixa, informata: verùm sine dubio id eveniet hoc modò. Sola Dea fortuna superat*

ANNOTATIONES.

3. *Opportunitas.*] Veteres *Opportunitatem* in deorum numerum reponebant.

5. *Nam hæc allata cornucopia est.*] *Cornucopia*, uno verbo ex duobus conflato, significat, id unde, quidquid volueris deprompseris. Itaque epistolam, sibi à Harpace datam, *cornucopiam* aliquando futuram esse dicit, ex quâ depromat pecuniam, ad circumveniendum lenonem, & ad emendam Phœnicium.

8. *Me glorioſum faciam.*] Me efferam.

Ut copi pectore.] Tanquam *copioſo pectore* hominem. Id est „vento superbiæ distentum.

11. *Deformata habebam.*] Alios dolos jam paratos & instructos habebam. *Deformata*; id est, *delineata*. Quando *lineæ* primæ ducuntur alicujus operis.

12. *Centum doctum.*] Præclara & usu quotidiano comprobata sententia. Plinius: *Est omnino iniquum, sed usu receptum, quòd honesta consilia vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modò diligentiæ, modò vanitatis, modò furoris nomen accipiunt.*

„FORTUNA

„FORTUNA. atque hoc verum est: proinde ut quisque fortunâ utitur,
„Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.
„Bene ubi quod consilium discimus accidisse; hominem catum
„Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit malè.
Stulti haud scimus, frustra ut simus, cùm quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus noscere.
„CERTA AMITTIMUS, dum incerta petimus. atque hoc evenit,
„In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.
Sed jam satis est philosophatum. nimis diu & longum loquor.
Di immortales! aurichalco contrà non carum fuit
Meum mendacium, hîc modò quod subitò commentus fui,
Quia Lenonis me esse dixi. nunc ego hâc epistolâ
Tris deludam; herum, & Lenonem, & qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge, par pari! aliud autem quod cupiebam contigit.
Venit, eccum, Calidorus, ducit nescio quem secum simul.

INTERPRETATIO.

consilia centum hominum sapientum. Id est verum: ut quivis habet fortunam propitiam, sic eminet, atque exinde prædicamus universi eum esse sapientem. Quando audimus aliquod consilium bene successisse, prædicamus eum hominem esse prudentem: illum verò amentem cui res succedunt malè. Nos ignoramus quantum fallimur, quando exoptamus ardenter nobis dari aliquid; quasi possimus intelligere quid nobis conveniat: perdimus certa, quando poscimus incerta; & id evenit in labore, atque in ægritudine, itaut interea mors obrepat. At jam satis philosophatus sum. Excurrit oratio longiùs. Dii immortales! fraus quam fui modò architectatus subitò, fuit magis æstimanda quàm aurichalcum, quia dixi me pertinere ad Lenonem. Ego ludificabor jam tres hâc epistolâ; herum, Lenonem, & illum qui mihi tradidit hanc epistolam. Euge! refertur par pari. Evenit verò aliter atque optabam. Ecce Calidorus accedit; adducit secum nescio quem.

ANNOTATIONES.

15. *Bene ubique.*] Cicero: *Hoc plerumque facimus, ut eventis consilia ponderemus; & cui bene quid processerit, multum illum providisse; cui secus, nihil sensisse dicamus.*

18. *Quasi quid in rem sit.*] Homines ignorant quæ sibi vel prosint, vel obsint.

19. *Certa amittimus.*] Seneca: *Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus: relicta petimus. Alterna inter cupiditatem, & pœnitentiam vices sunt.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

CHARINUS dat quinque minas Pseudolo, ut circumveniatur Ballio.

CALIDORVS, CHARINVS adolescens.
PSEVDOLVS servus.

CALIDORVS.

DULCIA atque amara apud te sum elocutus omnia,
Scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
CH. Commemini omnia: id tu modò quid me vis facere, fac sciam.
CA. Cùm hæc tibi alia sum elocutus, ut scires, si scis, de symbolo.
CH. Omnia, inquam. tu modò quid me facere vis, fac ut sciam.
CA. Pseudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem strenuum,
Benevolentem adducerem ad se. *CH.* servas imperium probè.
Nam & amicum & benevolentem ducis. sed istic Pseudolus
Novus mihi est. *CA.* nimium est mortalis graphicus: heuretes mihi est:
Is mihi hæc esse se effecturum dixit, quæ dixi tibi.
PS. Magnificè hominem compellabo. *CA.* cuja vox sonat? *PS.* jo! jo!
Te te te tyranne, te rogo: qui imperitas Pseudolo,
Quæro: quoi ter, trina, triplicia, tribus modis, tria gaudia,

INTERPRETATIO.

CA. *Aperui tibi universa quæ mihi sunt suavia, quæque acerba; nosti amorem; nosti laborem; nosti meam inopiam.* CH. *Sum memor omnium: da operam ut intelligam quid mihi agendum censeas.* CA. *Commemoravi cætera, ut videres, utrum scias* aliquid *de symbolo.* CH. Teneo *universa, inquam: nunc da operam ut intelligam, quid mihi agendum incumbat.* CA. *Pseudolus mihi mandavit, ut ad se adducerem quempiam constantem ac benevolum.* CH. *Exequeris rectè mandatum; nam ducis & amicum & benevolum: verùm non novi istum Pseudolum.* CA. *Est homo nimis perpolitus: est autor* omnium: *is mihi dixit se esse acturum hæc, quæ tibi aperui.* PS. *Alloquar hominem verbis magnificis.* CA. *Quæ vox auditur?* PS. *Jo! jo! jo! Te te te rogo, ô rex. Te quæro ô tu, qui dominaris Pseudolo; cui impertiam lætitiam ter, trinam, triplicem, tribus rationibus,*

ANNOTATIONES.

9. *Novus mihi est.*] Charinus dicit, novum sibi esse Pseudolum. Id est, neque ejus nomen audisse, neque ex facie nosse.

Mortalis graphicus.] Id est, homo quasi pictus. Quod ad mentem refer.

Heuretes.] Id est, *inventor.* Græcum merum εὑρετὴς.

11. *Magnificè compellabo.*] Id est, verbis reverentia plenis. Qualia esse oportet, non servi cum hero, sed subditi cum rege.

Jo! jo!] Est gestientis lætitiæ affectu expressa vox quam in triumphis adhibere solebant *jo triumphe.* Alibi interdum dolori exprimendo servit.

12. *Te tyranne.*] Calidorum alloquitur. *Tyrannus* autem hoc loco non est invidiosa vox, sed regem tantum significat, aut eum qui nobis est regis loco.

13. *Ter trina.*] Quæro cui gaudium ter-trinum-triplex. Quasi dicat non trinum, sed ter-trinum. Sed nec ter-trinum modò, sed & unumquoque ter-trinorum gaudiorum est triplex. Quod ait ad cumulum gaudiorum exprimendum.

Tribus modis.] Deluso Simone, deluso Ballione, deluso Milite.

Artibus tribus, ter demeritas dem lætitias, de tribus
Fraude partas; per malitiam, & per dolum & fallaciam,
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
CA. Illic homo est. *CH.* ut paratragœdiat carnifex! *CA.* confer gradum
Contrà pariter. *PS.* porrige audaciter ad salutem brachium.
CH. Dic, utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole?
PS. Imò utrumque. *CH.* utrumque salve. sed quid actum est? *PS.* quid times?
CA. Attuli hunc. *PS.* quid? attulisti? *CA.* adduxi, volui dicere.
PS. Quis istic est? *CA.* Charinus. *PS.* euge! jam χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.
CH. Quin tu quicquid opu'st, mihi audacter imperas. *PS.* jam gratiam.
Bene sit, Charine! nolo tibi molestos esse nos.
CH. Vos molestos mihi? molestum est *id* quidem. *PS.* tum tu igitur mane.
CH. Quid istuc est? *PS.* epistolam modò hanc intercepi, & symbolum.
CH. Symbolum? quem symbolum? *PS.* qui à milite allatu'st modò,
Ejus servo qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,

INTERPRETATIO.

tribus artibus, ter comparata dolo gaudia, de tribus: ea ad te attuli in hoc parvo libello obsignata per nequitiam, & per fraudem & per fallaciam. CA. *Est ille homo.* CH. *Quomodo refert actorem tragicum!* CA. *Occurre occurrenti.* PS. *Contende strenue brachium ad salutandum.* CH. *Dic mihi, Pseudole, utrum te salutem, aut sicut spem Salutis, an sicut ipsam Salutem?* PS. *Imò utrumque.* CH. *Salve utrumque; quid est gestum?* PS. *Quid metuis?* CA. *Attuli Charinum.* PS. *Quid attulisti?* CA. *Volui dicere, adduxi.* PS. *Quis est ille?* CA. *Charinus.* PS. *Euge! Jam facio Charinum omen.* CH. *Quare non mandas, citra metum, quidquid est opus.* PS. *Tibi habeo gratiam. Charine, sit bene: nolo nos tibi esse graves.* CH. *Vos mihi graves? hoc profecto* quod dicis *est grave.* PS. *Itaque tu mane.* CH. *Quid est hoc?* PS. *Intercepi modò hanc epistolam & symbolum.* CH. *Symbolũ? quod symbolũ?* PS. *Quod modò est allatum à milite; verba dedi ejus servo, qui ferebat hoc, cum quinque minis argenti.*

ANNOTATIONES.

14. *Artibus tribus.*] Delusò Harpago, interceptâ epistolâ, summisso Simia loco Harpagi.

Ter demeritas.] Artibus tribus videlicet partas.

De tribus.] Harpago, Ballione, Milite.

17. *Ut paratragœdiat.*] Id est, *ut sese effert*, ut *imitatur tragœdiam!*

Confer gradum contrà.] Id est, *venienti occurre.*

18. *Porrige ad salutem brachium.*] Id est, saluta me. Sive porrige manum & brachium ad eum, qui est salus tua. Id est, ad me.

19. *Spemne an Salutem te salutem.*] Id est, *utrum te debeam salutare* Spem salutis, an Salutem ipsam?

22. Χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.] Id est, *Charinum esse bonum omen existimo.* Χαρῖνος videlicet, est à χάρις, *gratia.* Quod nomen est ominis boni.

23. *Jam gratiam.*] *Gratiam*, id est, habeo. *Gratias ago.* Est operam alienam urbane recusantis vox

Tuam qui amicam hinc arcessebat ; ei os sublevi modò.
CA. Quomodo ? *PS.* horum caussâ hæc agitur spectatorum Fabula.
Hi sciunt, qui hîc affuerunt, vobis post narravero.
CA. Quid nunc agimus ? *PS.* liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egóne ? *PS.* túte. *CA.* ego ? *PS.* ipsus, inquam : si quidem hoc vivet caput.
Si modò mihi hominem invenietis properè. *CA.* quâ facie ? *PS.* malum,
Callidum, doctum, qui quanto principium prehenderit,
Porrò suâ virtute teneat, quid se facere oporteat.
Atque eum qui non hîc usitatus sæpè sit. *CH.* si servos est,
Nunquid refert ? *PS.* imò multò mavolo quàm liberum.
CH. Posse opinor me dare hominem tibi malum & doctum ; modò
Qui à patre advenit Carysto : nec dum exiit ex ædibus
Quòquam, neque Athenas advenit, unquam ante hesternum diem
PS. Bene juvas. sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam : nam unam hujus mihi debet pater.
CH. Ego dabo, ne quære aliunde. *PS.* ô hominem opportunum mihi !
Etiam opu'st chlamyde & machærâ, & petaso. *CH.* possum à me dare.
PS. Di immortales ! non Charinus mihi hic quidem est, sed copia.
Sed istic servus, ex Carysto huc qui advenit, quid sapit ?

INTERPRETATIO.

& accersebat hinc tuam amicam. CA. *Quomodo ?* PS. *Hæc fabula exhibetur horum spectatorum gratiâ. Hi qui adfuerunt hîc, norunt ; vobis narravero postea.* CA. *Quid facimus nunc ?* PS. *Amplexaberis hodie tuam amicam liberam.* CA. *Egóne ?* PS. *Tu.* CA. *Ego ?* PS. *Ipse, inquam, si hoc caput vivet. Modò mihi reperiatis celeriter hominem.* CH. *Quo vultu ?* PS. *Nequam, versipellem, eruditum, qui quando complexus sit animo rei exordium, per sese teneat quid sibi agendum sit. Et eum qui non sit versatus sapiùs hîc.* CH. *Nunquid refert si est servus ?* PS. *Imò malim esse quàm liberum.* CH. *Arbitror me posse tibi suppeditare hominem nequam & versutum, qui advenit à patre Carysto : nondum prodiit ex ædibus quòquam, neque unquam venit Athenas, ante diem hesternum.* PS. *Verùm opus est, ut reperiam quinque minas argenti mutuas, quas reddam hodie : nunc hujus pater mihi debet unam.* CH. *Dabo, ne quære aliunde.* PS. *O virum mihi commodum ! Est etiam opus chlamyde, & machæra, & pileo.* CH. *Possum suppeditare è meo.* PS. *Dii immortales ! Hic profectò non est Charinus, sed abundantia. Sed ille servus, qui advenit huc ex Carysto, quid sapit ?*

ANNOTATIO.

37. *Non hîc usitatus.*] Qui non sæpè in his locis versatus sit.

CH. Usque à cunabulis. *PS.* manuleatam tunicam habere hominem decet.
Ecquid habet is homo aceti in pectore? *CH.* atque acidissimi.
Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? *CH.* rogas?
Murrhinam, passum, défrutum, melinam, mel quojusmodi.
Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.
PS. Eugepæ! lepidè, Charine, me meo ludo lamberas.
Sed quid nomen esse dicam ego isti servo? *CH.* Simiæ.
PS. Scitne in re advorsâ versari? *CH.* turbo non æquè citus est.
PS. Ecquid argutus est? *CH.* malorum facinorum sæpissimè.
PS. Quid, cùm manifestò tenetur? *CH.* anguilla'st, elabitur.
PS. Ecquid is homo scitus est? *CH.* plebiscitum non est scitius.
PS. Probus homo est, ut prædicare te audio. *CH.* imò si scias;
Ubi te aspexerit, narrabit ultrò, quid sese velis.
Sed quid es acturus? *PS.* dicam: ubi hominem exornavero,
Subdititium fieri ego illum militis servum volo:
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis:
Mulierem ab lenone abducat. hem tibi omnem fabulam!

INTERPRETATIO.

CH. *Ab ipsis incunabulis.* PS. *Oportet hominem habere tunicam cum manicis. Estne illi nonnil aceti in pectore?* CH. *Atque acutissimi.* PS. *Quid si opus est, ut depromat ab eodem aliquid dulcis? Habétne nonnihil?* CH. *Postulas? Cujus modi est Myrrhina, passum, defrutum, melina, mel. Quin cœpit olim extruere in pectore thermopolium.* PS. *Age, Charine, me ludificaris festivè meo ludo. Sed quod nomen habet ille servus?* CH. *Simia.* PS. *Scitne versari in re contrariâ?* CH. *Turbo non est proinde velox.* PS. *Estne quodammodò argutus?* CH. *Sapè sapius* arguitur *propter mala facinora.* PS. *Quid quando deprehenditur manifestò?* CH. *Est anguilla, elabitur.* PS. *Estne scitus?* CH. *Plebiscitum non est magis scitum.* PS. *Est homo probus, ut audio, dicere.* CH. *Imò, ut ne ignores, quando te cernet, aperiet non monitus, quid velis sibi* dicere. *Sed quid es facturus?* PS. *Eloquar: quando exornavero hominem, ego volo illum fingi subdititium militis: deferat ad lenonem hoc signum cum quinque minis argĕti: abducat mulierem ab lenone. Ecce omnem fabulam.*

ANNOTATIONES.

48. *Manuleatam.*] *Manicatam.* Porrò manicatas tunicas habebant mulieres. Quare videtur hic Poëta notare malitiam Pseudoli ex muliebri.

49. *Aceti.*] Id est, *acuminis & prudentiæ.*

51. *Murrhinam.*] Nectar. Varro: antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant.

Passum.] Vinum ex vuis passis, & Sole siccatis confectum.

Defrutum.] Vinum musto ad dimidias decocto factum.

Melinam.] Potionem à melle.

52. *Thermopolium.*] Id est, tabernam, ubi dulces potiones vænibant, quas calidas bibebant.

53. *Me meo ludo lamberas.*] Festus: *Lamberare est scindere, laniare, lacerare.* Verberari autem & vapulare de suo ludo, seu de suâ disciplinâ Servus dicit; eisdem appetitus quibus lacessiverat jocis.

56. *Ecquid argutus est.*] Id est, *reprehensus.* Ita enim capit Pseudolus, sed non ita intelligit Charinus, verùm pro acuto & ingenioso.

60. *Narrabit ultrò.*] Nondum abs te institutus.

Cæterùm quo quicque pacto faciat, ipsi dixero.
CA. Quid nunc igitur stamus? *PS.* hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me, jam ad trapezitam Æschinum.
Sed properate. *CH.* prius illic erimus, quàm tu. *PS.* abite ergo ocius.
Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet: nunc defecatum est; cor mihi nunc pervium'st.
Omnes ordines sub signis ducam, legiones meas,
Avi sinistrâ, auspicio liquido, atque ex sententiâ:
Confidentia est inimicos meos me posse perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam;
Quid agat, ne quid titubet, doctè ut hanc ferat fallaciam.
Jam ego hoc ipsum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

INTERPRETATIO.

Porrò illi aperiam, quo pacto faciat quid vis. CA. *Quare ergo stamus jam?* PS. *Adducito ad me hominem instructum omnibus ornamentis, apud trapezitam Æschinum. Sed accelerate.* CH. *Erimus illic ante, quàm tu.* PS. *Accelerate igitur. Quidquid mihi fuit ancipitis in mente, aut incerti antea, nunc patet: est nunc illustratum: nunc cor mihi est apertum. Ducam sub vexillis cunctos ordines, meas copias, avibus faustis, auspicio certo; & ex animo: est spes me posse profligare meos hostes. Commigrabo jam ad forum, & obruam Simiam meis institutis, quid faciat, ne vacillet, ut prudenter regat hanc fraudem. Ego operam dabo, ut hæc ipsa arx lenonia sit jam capta.*

ANNOTATIONES.

70. *Liquet.*] *Liquet, defecatum, pervium:* idem est.

71. *Sub signis ducam.*] Id est, sub vexillis ad oppugnandum Ballionem.

72. *Avi sinistrâ.*] Avis sinistra erat auspicii prosperi.

Auspicio liquido.] Id est, *fausto.* Auspicia enim fausta sunt, seu potius certa sunt, quæ liquido aëre capiuntur.

75. *Ne quid titubet.*] Ne titubante linguâ mentiatur, & mendacium à lenone deprehendatur. Horatius:

Vade, vale: cave, ne titubes, mandatáque frangas.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

SESE comparat Ballio ad celebrandum diem natalem.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

PUER Ballionis lenonis servitutem lenoni exhibitam, ac præsertim hero suo, gravem esse & intolerandam ostendit.

PVER.

CUI servitutem dî danunt lenoniam
Puero, atque eidem si addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,
Malam rem magnam, multásque ærumnas danunt.
Velut hæc mihi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnísque miseriis præfulcior:
Neque ego amatorem mihi invenire illum queo:
Qui amet me, ut curet tandem nitidiúsculè.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies,
Interminatus est à minimo ad maximum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,
Eum cras cruciatu maximo perbitere.
Nunc nescio hercle rebus quid faciam meis.
Neque ego illud possum, quod illi qui possunt, solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero,
Cras mihi potandus fructus est fullonius.

INTERPRETATIO.

PU. *Profectò Dii vocaverunt in magnas calamitates molestiásque, sicut experior nunc, puerum quem esse voluerunt servum lenonis, maximè si adjunxerunt turpitudinem. Ejusmodi est illa servitus, in quam deveni, in quâ ego omni genere miseriarum parvarum magnarúmque obruor. Ego nequeo reperire amatorem, qui me amet aliquanto lautius. Est nunc hodie dies natalis hujus lenonis. Est comminatus, à minimo ad maximum, eum esse periturum maximis pœnis, qui non miserit munus. Nunc quod ad me attinet ignoro quid agam. Equidem nequeo id* præstare, *quod consuescunt illi qui possunt. Jam nisi misero hodie munus ad lenonem, cras erit perferendus fustis fullonis.*

ANNOTATIONES.

6. *Miseriis præfulcior.*] Alii, *ministeriis* pro *miseriis*. *Præfulcire* autem idem est, ac *sustentari*: quasi dicat, cujus vita miseriis *sustentatur*, aut *qui vivo in miseriis*.

12. *Perbitere.*] Id est, perire.

16. *Fructus fullonius.*] Fructus fullonius hoc loco accipitur, pro baculo fullonio: quemadmodum enim usus est creber baculorum in fullonià, inuit se metu ere ne Ballio fuste excipiat.

Eheu! quàm illæ rei ego etiam nunc sum parvulus!
Atque edepol ut nunc malè eum metuo, miser!
Si quispiam det, quoi manus gravior fiet,
Quanquam illud ajunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor posse aliquo modo.
Sed comprimenda est mihi vox atque oratio,
Herus eccum recipit se domum, & ducit coquum.

INTERPRETATIO.

Heu! quàm ego sum etiam nunc impar huic pœnæ. Per ædem Pollucis, quàm ego eum nunc pertimesco infelix! Si aliquis infligat, cui manus sit valentior, quamvis dicunt illud fieri cum ingenti gemitu, mihi videor posse quodammodo comprimere dentes. Sed est coercenda vox & oratio. Ecce herus repetit domum, & adducit coquum.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

BALLIO coquos conducit ad instruendam cœnam natali die amicis exhibendam.

BALLIO leno, COCVS, PVER.

BALLIO.

FORUM coquinum qui vocant, stultè vocant,
Nam non coquinum est, verùm furinum est forum:
Nam si ego juratus pejorem hominem quærerem,
Coquum non potui, quàm hunc quem duco, ducere,
Multiloquum, glorioſum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Ut esset hîc, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.

INTERPRETATIO.

BAL. *Qui nuncupant forum coquorum nuncupant amenter; nam non est forum coquorum, sed furum: nam si, interposito sacramento, ego quærerem hominem, non potui conducere peiorem quàm hunc quem dico, verbosum, superbum, fatuum, vanum: quin Orcus noluit hunc admittere apud se, ut esset qui coqueret hic cœnam mortuis. Nam hic unus potest illis coquere quod delectet.*

ANNOTATIO.

6. *Orcus recipere noluit.*] *Ut coqueret cœnam mortuis.* Quod convivium appellabatur olim *silicernium*, quia *cernere* id licebat cuivis, idque *silendo*, sed contingere nemini. Dictum id in imperitum coquum, quia mortui ejus operam nec probare, nec improbare possunt. Vocabatur & coquus *nondinalis*, quia in *nondinis* coquunt vulgò inconditos cibos, utpotè pro ima plebe & pauperibus. *Orcum* hîc accipe pro Plutone, non pro inferis.

CO. Si

CO. Si me arbitrabare isto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? *BA.* inopiâ: alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquus
Tu solus præter alios? *CO.* ego dicam tibi:
Hominum avaritiâ ego sum factus improbior coquus,
Non meópte ingenio. *BA.* quâ istuc ratione? *CO.* eloquar.
Quia enim cùm extemplo veniunt conductum coquum,
Nemo illum quærit qui optimus, & carissimu'st:
Illum conducunt potius qui vilissimu'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachmis iissent miseri: me nemo potest
Minoris quisquam nummo ut surgam, subigere.
Non ego item cœnam condio, ut alii coqui,
Qui mihi condîta prata in patinis proferunt;
Boves qui convivas faciunt, herbásque oggerunt;
Eas herbas herbis aliis porrò condiunt,
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus,
Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,
Eò laserpicii libram pondo diluunt:
Teritur sinapis scelerata cum illis qui terunt;
Priusquam triverunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines cœnas sibi coquint. cùm condiunt,
Non condimentis condiunt, sed strigibus,

INTERPRETATIO.

CO. *Si existimabas me esse hujusmodi, ut dicis, quare conducebas?* BA. Coactus sum *propter inopiam* coquorum. *Non occurrebat alius. Sed quare sedebas in foro, si tu eras solus præter alios peritus?* CO. *Ego tibi aperiam: ego evasi imperitior coquus avaritiâ hominum, non meopte nutu.* BA. *Quare id?* CO. *Edicam: quia quando veniunt conductum è vestigio coquum, nemo petit illum qui est optimus, & carissimus: conducunt potius illum qui est vilissimus. Idcirco ego solus hodie obsedi forum. Illi imperiti locassent* suam operam *drachmâ; nemo nisi nummo* dato *me potest cogere, ut me loco moveam. Ego non condio cœnam, sicut alii coqui, qui apponunt in patinis prata condita, qui reddunt suos convivas quasi boves, offerúntque herbas: præterea condiunt eas herbas aliis herbis; addunt coriandrum, fœniculum, allium, olus atrum: apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum, eo diluunt pondo libram laserpicii: sinapis nequam conteritur cum illis; facit ut oculi fluant iis qui terunt priusquam triverunt. Ei homines sibi coquunt cœnam: quando condiunt non addunt condimenta; sed striges*

ANNOTATIONES.

19. *Drachmis iissent.*] Id est, *Drachmis iivissent conducti.* Alii *drachmissant*; id est, *drachmam non amplius unam à conductoribus suis exigunt. Drachma*: tres asses Turonenses cum semisse.

20. *Nummo.*] Id est, nummo aureo Romano.

25. *Atrum olus.*] *Atriplex, arroche.*

26. *Rumicem.*] *Oxalis acetosa; de l'oseille.*

Blitum.] *Bette-rave.*

27. *Laserpicium.*] *Herbe qui porte le benjoin.*

31. *Strigibus.*] Avibus nocturnis.

Vivis convivis in testina quæ exedint.
Hoc hîc quidem homines tam brevem vitam colunt.
Cùm háſce herbas hujuſmodi in ſuum alvum congerunt,
Formidoloſas dictu; non eſu modò.
Quas herbas pecudes non edunt; homines edunt.
BA. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam poſſis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? *CO.* audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui eſitabunt eſcas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut ſipolindrum, aut macidem, aut ſancaptidem,
Eæ ipſæ ſeſe patinæ fervefaciunt illicò.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt:
Terreſtres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopſide, aut cataractria. *BA.* at te Juppiter
Diique omnes perdant, cum condimentis tuis,
Cúmque tuis *iſtis* omnibus mendaciis.
CO. Sine ſis loqui me. *BA.* loquere, atque in malam crucem.
CO. Ubi omnes patinæ fervent, omnis aperio,
Is odos demiſſis pedibus in cælum volat:
Eum in odorem cœnat Juppiter cotidie.
BA. Odor demiſſis pedibus? *CO.* peccavi inſciens.
BA. Quid eſt? *CO.* quia enim demiſſis manibus volui dicere.

INTERPRETATIO.

quæ arrodãt viſcera convivarum vivorum. Idcircò homines agunt hîc vitam tam brevem, congeſtis in ſuum ventrem hiſce herbis, formidandis non ſolum eſu, verum etiam auditu. Homines comedunt illas herbas, bellua non comedunt. BA. *Quid tu? Adhibes*, puto, *condimenta cœleſtia quibus poſſis producere vitam hominum*, ut *qui vituperes ea condimenta?* CO. *Affirma conſtanter. Qui utentur cibis, quos coxero, poterunt vivere, vel ducentos annos. Nam ubi collocavi in lancibus cicilindrum, aut ſipolindrum, aut macidem, aut ſancaptidem, ea ipſa lances per ſeſe fervent ſtatim.* Atque *hæc condimenta ſunt piſcium: condio carnes cicimandro, aut happalopſide, aut cataractria.* BA. *Juppiter & omnes Dii te perdant, cum tuis condimentis, & cum omnibus tuis mandaciis.* CO. *Patere me, ſi placet, verba facere.* BA. *Dic, atque i in malam crucem.* CO. *Quando omnes lances æſtuant, detego omnes, is odor aſcendit in cælum, pedibus demiſſis: Jupiter cœnat quotidie de odore.* BA. *Odor* aſcendit *pedibus demiſſis?* CO. *Lapſus ſum imprudens.* BA. *Quid eſt?* CO. *Quia volui dicere, manibus demiſſis.*

ANNOTATIONES.

43. *Macidem.*] *Macis* cortex aromaticus.

45. *Neptuni pecudes.*] Id eſt, *piſces.*

46. *Cicimandro.*] Fictitium nomen à coquo artis ſuæ oſtentatore vano. Happalopſide, cataractria in eâdem ſunt officina cuſa nomina.

55. *Demiſſis manibus.*] *Demiſſis manibus* currit, qui currit contentiſſimè.

BA. Si nusquam is coctum, quidnam cœnat Juppiter?
CO. It incœnatus cubitum. *BA.* i in malam crucem.
Istâccine caussâ tibi hodie nummum dabo?
CO. Fateor equidem, esse me cocum carissimum:
Verûm pro pretio facio ut opera appareat
Mea, quò conductus veni. *BA.* ad furandum quidem.
CO. An invenire postulas quemquam coquum,
Nisi miluinis aut aquilinis ungulis?
BA. An tu coquinatum te ire quóquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas?
Nunc adeò tu, qui meus es, jam edico tibi,
Uti nostra properes amoliri omnia:
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquò hic spectabit, eò tu spectato simul:
Si quò hic gredietur, pariter progrediminor.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suum si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet; tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito; stabit, astato simul.
Si conquinisset istic, conquinisito simul.
Item his discipulis privos custodes dabo.
CO. Habe modò bonum animum. *BA.* quæso quî possim, doce,
Animum *bonum* habere, qui te ad me adducam domum?
CO. Quia sorbitione faciam ego te hodie meâ,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:

Interpretatio.

BA. *Si nullo in loco coquas, quid comedit Juppiter?* CO. *It cubitum inpransus.* BA. *Vade in malam crucem. Accipiesne à me hodie nummum idcirco?* CO. *Equidem non diffiteor me esse coquum carissimum: sed do operam ut exhibeam opus pro mercede, quà fui conductus.* BA. *Ad furandum quidem.* CO. *Speràsne reperire ullum coquum, cui non sint ungues milvini & aquilini?* BA. *Arbitrarisne te ire aliquò ad coquendum, ubi non coquas cœnam ungulis exsectis? Nunc adeò tu, qui es meus servus, tibi præcipio jam, ut festines avertere omnia nostra: tum ut non dimoveas tuos oculos ab ejus oculis: quòcumque hic aspiciat, aspice eò simul: si hic eat aliquò, i cum eo: si proferat manum, profer manum similiter: si accipiat aliquid quod ad se pertineat, tu patere ut id accipiat: si accipiat aliquid quod ad nos pertineat, tu retine altera parte: si iste incedat, incede; stabit, asta simul. Si iste sese demittat, demitte te unà. Addam etiam his tyronibus custodes privatos.* CO. *Esto modò æquo animo.* BA. *Dic, amabo, quomodo possum esse æquo animo, qui te deducam domum?* CO. *Quia ego te reddam hodie mea sorbitione, sicut Peliam senem*

Annotationes.

75. *Conquinisset.*] *Conquinisse* est *decumbere*: à *conquinire* fit *conquinisse*. Id est, sese inflectere cernuum, vel inclinare.

80. *Ut Medea Peliam.*] De Æsone hoc traditur à Poëtis, non de Pelia: hunc enim concoquendo necavit Medea. Hoc loco Poëta, suo more, accommodat orationem loquenti. Rudes enim seu Historiæ, seu Fabulæ homines interdum audiunt

Quem medicamento, & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum:
Item ego te faciam. *BA.* ehò, an *tu* etiam veneficus?
CO. Imò edepol verò hominum ſervator magis.
BA. Hem mane. quanti iſtuc unum me coquinare perdoces?
CO. Quid? *BA.* ut te ſervem, ne quid ſurripias mihi.
CO. Si credis, nummo; ſi non, ne minâ quidem.
Sed utrum amicis hodie, an inimicis tuis
Daturus cœnam? *BA.* pol ego amicis, ſcilicet.
CO. Quin tu illos inimicos potiùs quàm amicos vocas:
Nam ego ita convivis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita ſuavitate condiam,
Ut quiſque quicque conditum guſtaverit,
Ipſos ſibi faciam ut digitos prærodat ſuos.
BA. Quæſo hercle priuſquam quicquam convivis dabis,
Guſtato túte prius, & diſcipulis dato,
Ut prærodatis veſtras furtificas manus.
CO. Fortaſſe hæc tu nunc mihi non credas quæ loquor.
BA. Moleſtus ne ſis, nimium jam tinnis, non places.
Hem! illîc ego habito. intrò huc abi, & cœnam coque
Properè. *CO.* quin is accubitum, & convivas cedò:
Corrumpitur jam cœna. *BA.* hem! ſubolem ſis vidę!
Jam hic quoque ſceleſtus, eſt coqui ſublingio.
Profectò quid nunc primùm caveam neſcio.

INTERPRETATIO.

quem Medea concoxit: & quem dicitur reddidiſſe ex ſene juvenem, ſuis medicamentis & venenis. Ego idem præſtabo in te. BA. *Eho! éſne tu etiam veneficus?* CO. *Imò verò per ædem Pollucis, ſum magis ſervator hominum.* BA. *Hem mane. Quantum dabo ut me doceas coquere hoc unum?* CO. *Quid?* BA. *Ut efficiam, ne mihi ſuffureris aliquid.* CO. *Si mihi confidis, dabis nummum. Si non confidis, ne minâ quidem. Utrum dabis hodie cœnam tuis amicis, an inimicis?* BA. *Ego, per Pollucem, amicis.* CO. *Quin tu invitas inimicos potius quàm amicos: nam ego apponam hodie convivis cœnam ita conditam, atque ita ſuavem, ut quivis, ſtatimátque guſtaverit unumquodque, quod fuerit conditum, ſibi prærodat ſuos digitos ipſos.* BA. *Per Herculem, antequam dederis quidquam convivis, deguſta tu prius, & da diſcipulis, ut prærodatis veſtros digitos furaces.* CO. *Forſitan tu non habes fidem meis dictis.* BA. *Ne ſis importunus, clamitas jam nimium; non places. Hem! ego maneo illic. Abi huc intrò, & feſtina coquere cœnam.* CO. *Quin properas accumbere menſæ, & das convivas: cœna fit deterior jam.* BA. *Hem! aſpice ſi placet ſobolem! Hic deterſor patinarum eſt jam nequam. Profectò neſcio quid caveam primum.*

ANNOTATIONES.

eruditiores de utrâque loquentes; & deinde res malè mandatas memoriæ confundunt, tempora temporibus, perſonas perſonis, facta factis, vulgò permutantes.

94. *Digitos prærodat.*] Adeò delicata erunt ædulia.

99. *Tinnis.*] Garris. Clarâ & acutâ voce obtundis.

103. *Eſt coqui ſublingio.*] *Sublingio*, nomen factum à *ſublingendo*. Id eſt, non *coquus*, ſed coqui *ſublingio*. Id eſt, qui patinas lingit, vel detergit linguâ.

Ita in ædibus sunt fures: prædo in proximo est.
Jam à me hic vicinus apud forum paulo prius
Pater Calidori opere petivit maximo,
Ut mihi caverem à Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem. nam eum circumire in hunc diem,
Ut me si posset muliere intervorteret,
Eum promisisse firmiter dixit sibi,
Sese abducturum à me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intrò, atque edicam familiaribus,
Profectò ne quis quicquam credat Pseudolo.

INTERPRETATIO.

Sunt fures in ædibus: prædo est in vicinis. Vicinus meus, pater Calidori, me rogavit mox obnixe in foro, ut mihi caverem à Pseudolo suo servo, & ne ei crederem. Nam monuit eum circumire in hunc diem, ut me fraudaret muliere, si posset; eundem sibi pollicitum esse firmiter, sese à me abducturum Phœnicium suis fraudibus. Ingrediar nunc atque mandabo familiaribus, ne quis fidem habeat ullatenus *servo Pseudolo.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

PSEUDOLUS Simiam Sycophantam conducit. Eum ornat, ut Calonem; dat ei symbolum & minas quinque. Adit Harpago-Simia Ballionem, profert litteras, profert minas quinque, dicit se esse missum à Polymachæroplacide, se esse Harpagum ejus servum; credit leno, dat Phœnicium, venit statim Harpagus; intelligit ex eo se esse fraudatum à Pseudolo, leno Ballio.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ORNAT Sycophantam Simiam Pseudolus vestibus militaribus. Instituit de ratione circumveniendi Ballionis.

PSEVDOLVS servus, SIMIA Sycophanta.

PSEUDOLUS.

SI unquam quemquam di immortales voluêre esse auxilio adjutum,
Tum me & Calidorum servatum volunt esse, & lenonem extinctum,
Cùm te adjutorem genuêre mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? sumné ego homo insipiens, qui hæc mecum egomet loquor solus?
Dedit verba mihi hercle, ut opinor, malus cùm malos stultè cavi.
Tum pol ego interii, homo si ille abiit: neque hoc opus quod volui, ego hodie efficiam.
Sed eccum! video verberęam statuam. ut magnificè infert sese!
Hem! te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam malè, ne abiisses.
SI. Fuit meum officium ut facerem; fateor. *PS.* ubi restiteras? *SI.* ubi mihi libitum est.
PS. Istuc ego jam satis scio. *SI.* cur ergo quod scis, me rogas? *PS.* at hoc volo monere te.
SI. Monendus ne me moneat. *PS.* nimis tandem ego abs te contemnor.
SI. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui clueat? *PS.* jam

INTERPRETATIO.

PS. *SI Dii immortales voluere unquam cuipiam esse præsidio, tum cupiunt me esse incolumem atque Calidorum, & Lenonem peremptum, quando te edidere, ut mihi opitulareris, tu, qui es adeo callidus & astutus. Verùm ubi est ille? Sumne ego amens, qui dico hoc ego solus mecum ipse? Per Herculem me fefellit, ut existimo, quia improbus non bene cavi ab improbis. Per Pollucem, ego perii, si ille evasit; neque exequar hodie id, quod mihi proposui. Verùm ecce conspicor statuam flagris cœdendam; quàm incedit superbè! Hem! Per Herculem ego circumspiciebam,* ut te viderem: *verebar magnopere ne evasisses.* SI. *Meum erat facere; fateor.* PS. *In quo loco hæseras?* SI. *Ubi mihi libuit.* PS. *Ego intelligo jam satis illud.* SI. *Quare ergo à me petis id quod tenes?* PS. *Sed cupio te monitum hujus rei.* SI. *Admonendus ne me admoneat.* PS. *Denique ego nimium despicior à te.* SI. *Quare non despicerem? Utpotè qui sim miles.* PS. *Cupio*

ANNOTATIONES.

4. *Sed ubi illic est.*] Id est, *Simia* servus Militis, quem putabat esse in comitatu. Sed respectans animadvertit non subsequi Simiam.

7. *Verberęam statuam.*] Id est, hominem qui ad *verbera* induruit, ut *statua*. Et qui verbera, tam parum curet & sentiat, quàm statua.

11. *Monendus ne me moneat.*] Ne sus *Minervam*; ne *Magistrum* discipulus. Horatius: *Disce docendus adhuc quæ censet amiculus.*

Hocvolo quod occeptum'ſt, agi. *SI.* nunquid agere aliud me vides?
PS. Ambula ergo citò. *SI.* imo otiosè volo. *PS.* hæc ea occaſio eſt. dum ille dormit,
Volo tu prior ut occupes adire. *SI.* quid properas? placidè.
Ne time. ita ille faxit Juppiter! ut ille palàm ibidem aſſiet,
Quiſquis ille eſt, qui adeſt à Milite. nunquam edepol erit ille potior
Harpax, quàm ego. habe animum bonum: pulcrè ego hanc explicatam tibi rem dabo
Sic ego illum dolis atque mendaciis in timorem dabo
Militarem advenam, ipſe ſeſe ut neget eum eſſe qui ſiet,
Meq; ut eſſe autumet, qui ipſus eſt. *PS.* quî poteſt? *SI.* Occidis me,
Cùm iſtuc rogitas. *PS.* ô hominem lepidum! te quoq; etiam dolis
Atque etiam mendaciis, Juppiter te mihi ſervet.
SI. Imò mihi. ſed vide, ornatus hic ſatis me condecet?
PS. Optimè habet. *SI.* eſto. *PS.* tantum tibi boni di immortales duint, [tum dent,
Quantum tu tibi optes. nam ſi exoptem quantum dignus, tan-
Minus nihilo eſt. neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum
Et maleficum. *SI.* tun' id mihi? *PS.* taceo. ſed ego quæ tibi dona
Dabo & faciam, ſi hanc rem ſobriè accuraſſis! *SI.* potin' ut taceas?

INTERPRETATIO.

fieri id quod eſt incœptum. SI. *Animadvertiſne me facere aliud?* PS. *Vade igitur propere.* SI. *Imò cupio* ire *lente.* PS. *Adeſt locus, interea dum ille ſomno indulget, ut convenias prior.* SI. *Quid acceleras? Lentè: ne metue. Ille Jupiter faciat ita! ut ille adſit in eodem loco coram, quiſquis eſt ille qui venit à milite. Per edem Pollucis ille non erit verior Harpax, quàm ego. Eſto bono animo: ego tibi hanc rem enodabo. Sic ego terrebo illum militem adventitium fraudibus & technis, ut ipſe inficias eat ſe eſſe qui eſt; utque dicat ſeſe eſſe me, qui eſt ipſe.* PS. *Quomodo poteſt fieri?* SI. *Me interimis, quando rogas illud.* PS. *O feſtivum virum! Juppiter te conſervet mihi technis & fraudibus.* SI. *Imò mihi. At aſpice: hæc veſtis ſatiſne mihi convenit?* PS. *Benè eſt.* SI. *Eſto.* PS. *Boni Dii immortales tibi tribuant tantum, quantum tu tibi exoptes. Namſi rogem, ut tribuant tantum, quantum mereris, id eſt minus nihilo. Neque ego vidi ullum magis improbum & nefarium, hoc homine.* SI. *Mihine dicis tu id?* PS. *Sileo. Verum quæ munera tibi offeram & faciam, ſi feceris id ſapienter!* SI. *Stlebiſne?*

ANNOTATIONES.

14. *Dum ille dormit.*] *Harpax.*
15. *Occupes adire.*] *Ballionem.*
17. *Potior Harpax.*] Id eſt, *non plus Harpax erit Harpax quam ego.* Loquitur Simia Sycophanta.
20. *Ipſe ſeſe ut neget.*] *Ita ut ipſe Harpax, miſſus à milite, negaverit ſe eſſe Harpacem;* & credat me eſſe Harpacem. Loquitur Simia Sycophanta.
21. *Occidis me.*] Id eſt, *moleſtus es mihi.*
29. *Sobrie accuraſſis.*] *Sobrie* fieri dicitur quidquid cum cura & diligentia exquiſita aggredimur. Prudentiæ comes perpetua ſobrietas.

„ MEMOREM immemorem facit, qui monet quod memor meminit. teneo omnia.
In pectore condita sunt, meditati sunt doli doctè. *PS.* probus hic est
Homo. *SI.* neque hic est, neque ego. *PS.* at vide ne titubes. *SI.* potin' ut taceas?
PS. Ita me dii ament. *SI.* ita non facient, mera jam mendacia fundes.
PS. Ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo, & metuo, & magnifico!
SI. Ego istuc aliis dare condidici. mihi obtrudere non potes palpum.
PS. Ut ego te hodie accipiam lepidè, ubi effeceris hoc opus! *SI.* ha ha he!
PS. Lepido victu, vino, unguentis, & inter pocula pulpamentis:
* * * *
SI. Lepidè accipis me. *PS.* imò si efficis, tum faxo magis dicas.
SI. Nisi effecero, cruciabiliter carnifex me accipito.
Sed propera mihi monstrare ubi hostium lenonis ædium.
PS. Tertium hoc est. *SI.* st! tace, ædes hiscunt. *PS.* credo animo male'st
Ædibus. *SI.* quid jam? *PS.* quia edepol ipsum Lenonem evomunt.
SI. Illiccine est? *PS.* illic est. *SI.* mala merx est. *PS.* illuc sis vide:
Non prorsus, verùm ex transverso cedit, quasi cancer solet.

INTERPRETATIO.

Qui admonet ejus rei, cujus recordatur is quem admonet, reddit immemorem ex memori. Scio cuncta. Clausa sunt in sinu. Fraudes sunt compositæ peritè. PS. *Hic est, vir frugi.* SI. *Neque hic est, neque ego.* PS. *Sed cave ne hæsites.* SI. *Silebisne?* PS. *Ita Dii me ament.* SI. *Non ita agent; promes jam pura mendacia.* PS. *Quantum te diligo Simia, & timeo & æstimo ob tuam perfidiam!* SI. *Ego novi impertiri id aliis. Nequis me captare adulatione.* PS. *Quam ego te habebo hodie lautè, quando præstiteris id!* SI. *Ha ha he!* PS. *Suavibus escis, vino, unguentis, & pulpamentis inter scyphos:*
* * * *
SI. *Me accipis lepide.* PS. *Imò si perfeceris, ego efficiam, ut fatearis, tum magis.* SI. *Nisi perfecero, excipe me crudeliter* sicut *carnifex. Sed accelera mihi indicare ubi sit janua tecti lenonii.* PS. *Adest tertium.* SI. *St! sile; ædes hiant.* PS. *Existimo ædes ægrotare.* SI. *Quare?* PS. *Quia per eadem Pollucis evomunt ipsum lenonem.* SI. *Estne ille?* PS. *Est ille.* SI. *Est mala merx.* PS. *Aspice illud si libet: non pergit rectà, sed oblique, ut consuevit cancer.*

ANNOTATIONES.

35. *Palpum.*] *Obtrudere palpum*, est arte fucóque decipere. Hinc palpari, *adulari: & palpones* adulatores. Palpum autem propriè est Agasonis ferocientem equum demulcentis, ut in eum insilire possit.

44. *Merx mala.*] *Homo nequam & versipellis.*

45. *Non prorsus.*] *Non rectà.*

ACTUS

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SYCOPHANTA Simia adit Ballionem; dicit se missum à Polymachæroplacide; reddit litteras, symbolum, & minas quinque; Ballio inducit hominem in ædes. Interim Pseudolus est in speculis.

BALLIO, PSEVDOLVS, SYCOPHANTA.

BALLIO.

MInus malum hunc hominem esse opinor, quàm esse censebam coquum:
Nam nihil etiam dum harpagavit, præter cyathum & cantharum:
PS. Heus tu! nunc occasio est & tempus. *SY.* tecum sentio.
PS. Ingredere in viam dolosè: & ego hîc in insidiis ero.
SY. Habui numerum sedulò, hoc est sextum à portâ proximum
Angiportum, in id angiportum me devorti jusserat.
Quotumas ædis dixerit, id ego admodum incertò scio.
BA. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.
SY. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quæro, certius.
BA. Ad me adit rectà. unde ego hominem hunc esse dicam gentium!

INTERPRETATIO.

BA. *ARbitror hunc coquum hominem non esse tam improbum, quàm putabam. Nam nihil adhuc suffuratus est, prater cyathum & cantharum.* PS. *Heus tu! adest jam tempus & locus.* SY. *Sic existimo.* PS. *Ini viam fraudum, & ego ero hìc in præsidiis.* SY. *Recordor numeri apprime, angiportus hic est sextus, proximus à porta. Mandaverat me ire in eum angiportum. Ego teneo valde dubiè, quotam domum dixerit esse.* BA. *Quis est ille chlamyde indutus, aut unde venit, aut quem quærit? Vultus hominis apparet peregrinus & ignotus.* SY. *Sed adest qui me faciet certiorem eorum, qua quæro, ex incerto.* BA. *Accedit rectà ad me. Unde gentium est hic homo!*

ANNOTATIONES.

8. *Chlamydatus.*] Chlamys tam militum vestis quàm viatorum, utpotè brevior pallio & angustior, atque adeò in viâ & in prælio minus incommoda.

9. *Peregrina facies.*] Dissimili facie sunt ferme peregrini, quia sub dissimili Cœlo soléque habitantes, alio atque alio colore sunt cutis. Præterea & peregrina facies cernitur ex pilo & barba.

SY. Heus tu, qui cum hirquinâ barbâ ſtas, reſponde quod rogo.
BA. Ehò, an non priùs ſalutas? *SY.* nulla eſt mihi ſalus dataria.
BA. Nam pol hinc tantundem accipies. *PS.* jam inde à principio probi.
SY. Ecquem in angiporto hoc hominem tu noviſti? te rogo.
BA. Egomet me. *SY.* pauci iſtuc faciunt homines, quod tu prædicas.
Nam in foro VIX DECIMUS quiſque eſt, qui ipſus ſeſe noverit.
PS. Salvus ſum! jam philoſophatur. *SY.* hominem ego hîc quæro malum,
Legirupam, impium, perjurum, atque improbum. *BA.* me quæritat:
Nam illa *mea* ſunt cognomenta, nomen ſi memoret modò.
Quid eſt ei homini nomen? *SY.* Leno Ballio. *BA.* ſcivin' ego?
Ipſe ego is ſum, adoleſcens, quem tu quæritas. *SY.* túne es Ballio?
BA. Ego enimverò is ſum. *SY.* ut veſtitus eſt perfoſſor parietum!
BA. Credo, in tenebris conſpicatus ſi ſis me, abſtineas manum.
SY. Herus meus tibi me ſalutem multam voluit dicere.
Hanc epiſtolam accipe à me, hanc me tibi juſſit dare.
BA. Quis is homo'ſt qui juſſit? *PS.* Perii, nunc homo in medio luto eſt,
Nomen neſcit. hæret hæc res. *BA.* quem hanc miſiſſe ad me autumas?

INTERPRETATIO.

SY. *Heus tu, qui adſtas cum barbâ hircinâ, repone quod à te peto.* BA. *Ehò, an non impertis ſalutem antea?* SY. *Nullam habeo ſalutem, quam tibi impertiam.* BA. *Per Pollucem accipies tantumdem à me.* PS. *Jam inde ab initio juſtus uterque.* SY. *Nónne hominem noviſti in hoc angiportu? Te obſecro,* BA. *Equidem me ipſe novi.* SY. *Pauci homines præſtant illud quod tu dicis. Etenim eſt vix ex decem unus qui noverit ſeipſum.* PS. *Sum ſalvus! jam argumentatur.* SY. *Ego quæro hîc improbum virum, violatorem legum, impium, perjurum, & nefarium.* BA. *Me quærit; nam hæc ſunt mea cognomina; modo dicat meum nomen. Quod eſt nomen illius hominis?* SY. *Ballio leno.* BA. *Egóne judicavi? Ego ſum is ipſe adoleſcens, quem tu rogas.* SY. *Eſne tu Ballio?* BA. *Sum ego ipſe.* SY. *Quomodo perfoſſor parietum eſt indutus!* BA. *Puto, ſi occurrero tibi noctu contineas manum.* SY. *Meus herus mandavit, ut tibi dicerem plurimam ſalutem. Accipe à me has literas: mihi imperavit, ut has ad te deferrem.* BA. *Quis eſt ille, qui tibi imperavit?* PS. *Interii: homo hæſitat nunc in medio luto. Ignorat nomen. Hæret hoc negotium.* BA. *Dic; quis eas ad me miſit?*

ANNOTATIONES.

12. *Hirquina barba.*] Id eſt, *promiſſa.* Julianus Imperator vocatus *Capella.*
13. *Dataria.*] Id eſt, *danda.*
17. *Decimus quiſque.*] *Vix unus eſt ex decem.*
23. *Perfoſſor.*] Idem & *effractores*, & *vecticularii*; id eſt, graſſatores nocturni.
27. *In medio luto eſt.*] Allegoria à luto in quod ſic interdum defixus eſt viator, ut progredi nequeat.

SY. Noſce imaginem : túte ejus nomen memorato mihi,
Ut ſciam te Ballionem eſſe ipſum. *BA.* cedò mihi epiſtolam.
SY. Accipe : cognoſce ſignum. *BA.* ohò ! Polymachæroplacides
Purus putus eſt ipſus : novi : heus! *SY.* Polymachæroplacides
Nomen eſt. ſcio jam tibi me rectè dediſſe epiſtolam :
Poſtquam Polymachæroplacidæ elocutus nomen es.
BA. Sed quid agit is? *SY.* quod homo edepol fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quæſo epiſtolam ; ita negotium eſt;
Atque accipere argentum actutum, mulierémque mihi emittere.
Nam neceſſe hodie Sicyoni me eſſe, aut eras mortem exſequi,
Ita herus meus eſt imperioſus. *BA.* novi, notis prædicas.
SY. Propera pellegere epiſtolam ergo. *BA.* id ago, ſi taceas modò.
Miles lenoni epiſtolam
Conſcriptam mittit Polymachæroplacides,
Imaginem obſignatam, quæ inter nos duo
Convênit olim. *SY.* ſymbolum eſt in epiſtolâ.
BA. Video, & cognoſco ſignum. ſed in epiſtolâ
Nullam ſalutem mittere ne ſcriptam ſolet ?
SY. Ita militaris diſciplina eſt, Ballio:
Manu ſalutem mittunt benevolentibus;
Eâdem malam rem mittunt malevolentibus.

INTERPRETATIO.

SY. *Agnoſce imaginem. Dic mihi ejus nomen, ut intelligam te eſſe Ballionem ipſum.* BA. *Da mihi litteras.* SY. *Accipe : agnoſce ſignum.* BA. *Oho ! Polymachæroplacides eſt ipſe verus germanuſque : novi: heus !* SY. *Polymachæroplacides eſt ejus nomen. Intelligo jam, me tibi dediſſe rectè epiſtolam : poſtquam dixiſti nomen Polymachæroplacidæ.* BA. *Sed quid facit ille?* SY. *Per ædem Pollucis facit quod decet hominem ſtrenuum, atque inclitum bellatorem. Sed pellege velociter hanc epiſtolam, obſecro: res ita ſe habet ; & accipe ſtatim argentum, mihique trade mulierem. Nam oportet me eſſe hodie Sicyoni, aut oppetere mortem cras : adeò meus herus eſt violentus.* BA. *Novi ; dicis id iis qui hominem norunt.* SY. *Accelera igitur pellegere litteras.* BA. *Faciam, ſi modò ſileas. Miles Polymachæroplacides mittit lenoni litteras conſcriptas obſignatâ imagine, de quâ convenimus quondam inter nos duos.* SY. *Eſt ſymbolum in litteris.* BA. *Video & agnoſco ſignum. At ſolétne mittere nullam ſalutem ſcriptam in litteris?* SY. *Ballio, mos militum eſt ejuſmodi. Mittunt manu ſalutem amicis ; eâdem mittunt malam rem inimicis.*

ANNOTATIONES.

31. *Cognoſce ſignum.*] Scripta epiſtola & complicata lino vinciebatur, & obligabatur, & ipſi lino imprimebatur ſigillum ejus qui ſcriberet epiſtolam.

32. *Putus.*] Feſtus : *Putum pro puro dicebant : unde, putata vites, quod quum id, quod impedimento erat, deciſum eſt remaneant puræ.*

39. *Notis prædicas.*] Id eſt, *Iis qui norunt.*

48. *Manu-ſalutem mittunt.*] Uno verbo de duobus facto *manuſalutem* lege. Id eſt, *Non ſcripto, ſed manu; non calamo, ſed enſe.*

Sed ut occepisti, perge operam experirier;
Quid epistola ista narret. *BA.* ausculta modò.
Harpax calator meus est, ad te qui venit.
Túne is es Harpax. *SY.* ego sum; atque ipse Harpax quidem.
BA. Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi,
Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere:
Te si arbitrarem dignum, misissem tibi.
SY. Quid nunc? *BA.* Argentum des; abducas mulierem.
SY. Uter remoratur? *BA.* quin sequere ergo intrò. *SI.* sequor.

INTERPRETATIO.

Sed prosequere ut instituisti; prosequere videre, quid contineant revera hæ litteræ. BA. *Audi jam. Harpax, qui venit ad te, est meus Calo. Esne tu is Harpax?* SY. *Ego sum; & quidem Harpax ipse.* BA. *Volo accipi pecuniam ab eo qui fert istas litteras, & mulierem mitti cum eo. Est meritum mittere meritis salutem scriptam ad te misissem si arbitratus fuissem te esse dignum.* SY. *Quid nunc?* BA. *Numera pecuniam; abducas mulierem.* SY. *Uter mora est?* BA. *Quin sequeris igitur in ædes?* SY. *Sequor.*

ANNOTATIO.

51. *Calator.*] Festus: *Calatores dicebantur ἀπὸ τῦ καλεῖν, quod est vocare: quia semper vocari possent, ob necessitatem servitutis.* Malim *calatorem*, seu *calonem* dici ἀπὸ τῦ κάλου, *à ligno*; munus enim erat *calonum* quotidianum *ligna* castris suppeditare.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PSEUDOLUS pendet animi in expectatione eventus illarum suarum fraudum.

PSEVDOLVS.

PEIOREM ego hominem magísque versutè malum
Nunquam edepol quenquam vidi, quàm hic est Simia.
Nimisque ego illum hominem metuo & formido malè,
Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit,

INTERPRETATIO.

PS. *PEr ædem Pollucis nunquam ego conspicatus sum ullum hominem nequiorem, callidiorem, & magis improbum, quàm est hic Simia. Et ego timeo valde, & vereor maximè, ne ille homo sit improbus erga me, sicut erga illum;*

Ne in re secundâ nunc mihi obvertat cornua;
Si occasionem capsit qui siet malus.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maximo, triplici modo.
Primum omnium jam hunc comparem metuo meum,
Ne deserat me, atque ad hostis transeat.
Metuo autem ne herus redeat etiam dum à foro,
Ne captâ prædâ capti prædones fuant.
Cùm hæc metuo, metuo ne ille huc Harpax adveniat,
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perii hercle! nimium tardè egrediuntur foras.
Cor colligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exultatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum: vici cautos custodes meos.

INTERPRETATIO.

ne in re prosperâ modò convertat in me cornua, si occupet occasionem, utpotè improbus. Atque equidem per ædem Pollucis, nolim: nam eum amo. Versor jam in maximo timore, tribus modis. Ac primum quidem timeo jam ne meus socius me destituat, atque demigret ad hostes. Deinde ne herus revertatur interim à foro, & prædâ captâ, prædones capiantur. Denique ne ille Harpax superveniat huc, antequam hic Harpax excesserit hinc cum muliere. Per Herculem interii! prodeunt foras tardius. Meum cor operitur collectis vasis, ut fugiat in exilium è meo pectore, si Pseudolus *non educat secum mulierem. Sum victor: vici meos custodes cautos.*

ANNOTATIONES.

5. *Obvertat cornua.*] Id est, *mihi adversetur. Me oppugnet.* Apuleius: *Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta, in memetipsum vertit cornua.*

6. *Capsit.*] Id est, *cæperit.*

16. *Cor colligatis vasis expectat meum.*] Sumptum à re militari, ubi vasa colligunt aut adornantes fugam aut castra mutantes. Id dicit Pseudolus, ut exprimat quo sit animo quando expectat exitum Harpago-Simiæ ex ædibus Ballionis. *Convasare* etiam veteres dicebant *colligere* in fasciculum.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

ABDUCIT Phœnicium Harpago-Simia. Eandem lachrymantem, quod arbitraretur esse se deducendam ad Polymachæroplacidem, consolatur. Dicitque modo esse futuram cum Calidoro suo.

SYCOPHANTA, PSEVDOLVS.

SYCOPHANTA.

NE plora! nescis ut res sit, Phœnicium,
Verùm haud multo pòst faxo scibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedonienſem, qui te nunc flentem facit.
Cujam esse te vis maximè, ad eum duco te:
Calidorum haud multo pòst faxo amplexabere.
PS. Quid tu intus quæso desedisti? quàm diu
Mihi cor retunsum' st oppugnando pectore!
SY. Occasionem repperisti, verbero,
Ubi perconteris me insidiis hostilibus:
Quin hinc metimur gradibus militariis.
PS. Atque edepol, quanquam nequam homo es, rectè mones.
Ite hàc triumphi ad cantharum rectà via.

INTERPRETATIO.

SY. NE *lachrymare! Phœnicium, ignoras quomodo se res habeat, sed efficiam statim, ut scias in cœnâ. Ego non te duco ad illum hominem dentatum Macedonem, qui in causâ est cur plores. Te duco ad eum cujus tu vis esse imprimis: efficiam ut mox amplexeris Calidorum.* PS. *Quare obsecro tu commoratus es in ædibus? Quàm longo tempore meum cor sese obtudit, in impellendo pectore!* SY. *Nactus es locum, mastigia, in quo tuis percontationibus, me voces in insidias hostium: quin ingredimur viam passibus militaribus.* PS. *Per ædem Pollucis, tametsi es improbus vir, admones rectè. Ite hàc viâ rectâ ad cantharum triumphi.*

ANNOTATIONES.

3. *Ad dentatum virum.*] Id est, *Polymachæroplacidem militem.* Dentatum vocat, quia eas bestias imprimis formidamus quæ *dentibus* pollent.

10. *Ubi perconteris insidiis hostilibus.*] Id est, interea dum versor in periculo, ne incidam in hostium manus, nisi celeriter abiero, tu me percontaris. Id est, à me causam moræ repetis, quam cum tibi reddam, interea hostes ingruent.

11. *Gradibus militariis.*] Æstivo sudóque tempore viginti millia passuum intra quinque horas, fiunt. *Gradibus militariis.* Id est, grandibus, quales sunt militum.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

BALLIO, dimisso Harpago-Simiâ, gratulatur sibi, ratus res suas esse in tuto, adversus fraudes Pseudoli.

BALLIO leno.

HA hæ! nunc demum mihi animus in tuto est loco,
Postquam iste hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Mihi libet nunc venire Pseudolum scelerum caput,
Et abducere à me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis satis certò scio
Ego perjurare mavellem me millies,
Quàm mihi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, si convenero.
Verùm in pistrinum, credo, ut convénit, fore.
Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut meâ lætitiâ lætus promiscam fiet.

INTERPRETATIO.

BA. *HA hæ! tandem habeo mentem constitutam in tuto, ex quo profectus est hinc, atque abduxit mulierem. Utinam Pseudolus autor fraudum jam huc veniret & conaretur abducere à me mulierem fraudibus. Per Herculem, ego mallem me perjurare, conceptis verbis, millies, quàm me ab illo falli vel joco. Per Herculem ludificabor modò hominem, si adivero. Sed puto detrudendum esse in pistrinum, ut deliberatum est inter nos. Optarem, ut nunc Simo mihi veniret obviam, ut gaudeat mecum meo gaudio.*

ANNOTATIONES.

9. *Convenit.*] *Inter nos, Simonem & Ballionem.*
11. *Promiscam.*] Id est, *promiscuè.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

SIMO convenit Ballionem. Ballio pignus depositum viginti minarum repetit, utpotè qui collocarit res suas extra Pseudoli dolos.

SIMO senex, BALLIO leno.

SIMO.

VIso quid rerum meus Ulysses egerit,
Jámne habeat signum ex arce Ballioniâ.

INTERPRETATIO.

SI. *VIdero quid negotii meus Ulysses gesserit, utrum efferat Palladium ex ædibus Ballionis.*

ANNOTATIO.

2. *Signum.*] Id est, *Phœnicium.* Allegoria ducta ab Ulysse, qui noctu irrepsit in arcem Trojanam, & abstulit secum Palladium.

BA. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo. *SI* quid est? *BA.* jam. *SI.* quid jam? *BA.* nihil est quod metuas. *SI.* quid est?
Venitne homo ad te? *BA.* non. *SI.* quid est igitur boni?
BA. Minæ viginti sanæ ac salvæ sunt tibi,
Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus.
SI. Velim quidem hercle. *BA.* roga me viginti minas.
Si ille hodie illâ sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Rogato hercle obsecro! gestio promittere.
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.
Ut concepisti verba, Viginti minas.
Dabin? *BA.* dabuntur. *SI.* hoc quidem actum'st haud malè,
Sed hominem conveniistin? *BA.* imò ambos simul.
SI. Quid ait? quid narrat? quæso! quid dicit tibi?
BA. Nugas theatri, verba quæ in Comœdiis
Solent Lenoni dici, quæ pueri sciunt:
Malum & sceleſtum, & perjurum ajebat esse me.

INTERPRETATIO.

BA. *O felix Simo, præbe manum felicem.* SI. *Quid est?* BA. *Modò.* SI. *Quid modò?* BA. *Est nihil quod reformides.* SI. *Quid est? Homo venitne ad te?* BA. *Non.* SI. *Quid est ergo boni?* BA. *Viginti minæ, quas Pseudolo es pollicitus interpositâ stipulationis formâ hodie te daturum, sunt integræ & salvæ.* SI. *Equidem optarim per Herculem.* BA. *Pete à me viginti minas. Si hodie illa mulier venerit in ejus potestatem, & si eam det hodie tuo filio, ut pollicitus est. Postula per Herculem amabo! Opto vehementer spondere. Ut intelligas tuam rem esse in tuto quavisratione, & præterea tibi dono mulierem.* SI. *Est nullum periculum, quod videam, stipulari. Numerabisne viginti minas, ut pollicitus es, conceptis verbis?* BA. *Numerabuntur.* SI. *Sanè id non est actum tam malè. Verùm audivistine hominem?* BA. *Imò duos unà.* SI. *Quid dicit? Quid fabulatur? obsecro! Quid tibi ait?* BA. *Nugas theatro dignas. Verba quæ solent dici in Lenonem in Comœdiis, quæ pueri norunt: dicebat me esse malum & nefarium & perjurum.*

ANNOTATIONES.

5. *Venitne homo.*] *Pseudolus.*

7. *Quas inde abs te est instipulatus.*] Promiserat Simo se viginti minas daturum Pseudolo, si ab lenone mulierem abduceret. *Stipulor* est solemni verborum formâ, aut rogare, aut promittere aliquid: est enim verbum commune, *stipulor*, quod tam in activâ, quàm passiva significatione ablativo jungitur. Dicimus enim: *stipulor abs te*, pro *rogo à te*; & *stipulor abs te*, pro *rogor à te.*

14. *Nullum periclum est.*] Qui enim *stipulatur* se ipse non obligat, nisi accedat *restipulatio.*

17. *Hominem conveniisti.*] Id est, *Pseudolum.*

Ambos.] Id est, imò duos in uno, militem per epistolam, & ejus servum Harpacem.

19. *Nugas theatri.*] Videlicet in theatro ab Histrionibus, & in foro à patronis convitia jactat. Minimi sunt momenti.

SI. Pol

SI. Pol haud mentitu'st. *BA.* ergò haud iratus fui.
„Nam QUANTI REFERT TE nec-rectè dicere,
Qui nihili faciat, quique inficias non eat?
SI. Quid est, quod non metuas ab eo? id audire expeto.
BA. Quia nunquam ab me abducet mulierem jam; nec potest.
Meministine tibi me dudum dicere,
Eam væniisse militi Macedonio?
SI. Memini. *BA.* hem illius servos huc ad me argentum attulit,
Et obsignatum symbolum. *SI.* quid postea?
BA. Qui inter me atque illum militem convenerat:
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
SI. Bonân' fide istuc dicis? *BA.* unde ea sit mihi?
SI. Vide modò ne illic sit contechnatus quippiam.
BA. Epistola atque imago me certum facit.
Quin jam quidem illam in Sicyonem ex urbe adduxit modò.
SI. Bene hercle factum. quid ego cesso, Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus? *BA.* non edepol scio,
Nisi ut observemus quò eat, aut quam rem gerat.

INTERPRETATIO.

SI. *Per Pollucem non est mentitus.* BA. *Neque ego fui iratus. Quid enim refert maledicere ei, qui faciat nihili maledicta, & qui fateatur de se quæ dicuntur?* SI. *Quid est quod non pertimescas ab eo? Exopto id audire.* BA. *Quia jam non abducet à me mulierem, nec potest. Recordarisne me tibi dixisse jampridem, eam esse venditam militi Macedonio?* SI. *Recordor.* BA. *Hem ejus servus ad me attulit huc pecuniam, & symbolum obsignatum.* SI. *Quid deinde?* BA. *Ille qui convenerat inter illum militem & me, jam jam abduxit secum mulierem non multò antea.* SI. *Dicisne illud bona fide?* BA. *Unde esset mihi?* SI. *Cave jam ne ille sit architectatus aliquid.* BA. *Epistola & signum me faciunt certiorem: quin illam quidem abduxit jam ex urbe Sicyonem.* SI. *Per Herculem pulchre factum. Quid cunctor ego jubere, ut Pseudolus det nomen ad coloniam molarum? Sed quis est ille homo chlamide tectus?* BA. *Per eadem Pollucis nescio, nisi observemus quò pergat, & quid moliatur.*

ANNOTATIONES.

23. *Nec-rectè.*] Nec-rectè dicere est maledicere.
25. *Ab eo.*] *Pseudolo.*
38. *Ad molarum coloniam.*] Alludit ad morem Romanorum, quo, qui educendi erant in aliquam coloniam, ad eam nomen dabant.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

HARPAX tandem adest: affert quinque minas, sed non habet symbolum; irridet hominem coram Simone Ballio, ratus eum

esse summissum à Pseudolo. Sed mox intelligit Ballio fuisse se deceptum à Pseudolo. Exigit ab homine minas viginti Simo.

HARPAX, SIMO, BALLIO.

HARPAX.

MALUS & nequam est homo, qui nihili imperium heri
Sui servus facit. NIHILI EST autem, suum
Qui officium facere immemor est, nisi adeò monitus.
Nam qui liberos esse illico se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ii nomen diu servitutis ferunt:
Nec boni ingenii quicquam in his inest, nisi ut im-
Probis se artibus teneant. cum his mihi nec locus, nec sermo
Convenit, neque his unquam nobilis fui.
Ego ut mihi imperatum est, etsi abest, hîc adesse herum
Arbitror. nunc ego illum metuo, cùm hîc non adest;
Ne cùm assiet, metuam. ei rei operam dabo.
Nam *me* in tabernâ usque adhuc sineret Syrus,
Cui dedi symbolum: mansi, ut jusserat:
Leno ubi esset domi, me ajebat arcessere.
Verùm ubi is non venit, nec vocat; venio huc ultrò,
Ut sciam quid rei siet: ne illic homo me ludificetur.
Neque quicquam est melius, quàm ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus. Leno argentum hoc volo à me accipiat,

INTERPRETATIO.

HA. *Servus qui aspernatur mandata sui heri est malus, & nequam homo. Qui verò non recordatur obire suum officium, nisi monitus, est nihili faciendus. Nam ii qui existimant se esse liberos, statimatque sese subduxerunt conspectui sui heri, luxuriantur, in lustra divertunt, comessantur quidquid habent, retinent diu nomen servi; neque inest quidquam boni ingenii in illis, nisi ut se tueantur malis artibus. Nec convenio, nec sermonem confero cum his, neque unquam fui notus his. Ego ut mihi est demandatum, arbitror herum adesse hîc, etsi abest. Ego illum metuo nunc, quando non adest, ne, quando aderit, timeam. Incumbam in eam rem. Nam Syrus, cui dedi symbolum, me relinqueret semper in popinâ: mansi ut imperaverat: dicebat me à se vocandum, quando leno esset reversus domum. Sed quia is non venit, nec vocat, venio huc ultrò, ut accipiam quid negotii sit: ne ille homo mihi illudat. Neque quidquam est satius, quàm ut feriam hoc, & evocem quemdam huc ab ædibus. Oportet ut Leno accipiat à me hanc pecuniam,*

ANNOTATIONES.

1. *Malus & nequam.*] Philosophatur graviter, à popinâ & somno recens Calo-Harpax, de bono & malo servo.

10. *Nobilis fui.*] Id est, *Neque his unquam notus fui.*

Atque amittat mulierem *nunc* mecum simul.
BA. Heus tu? *SI.* quid vis? *BA.* hic homo meu'st. *SI.* quî dum?
BA. quia
Præda hæc mea est: scortum quærit, habet argentum.
Jam admordere hunc mihi lubet.
SI. Jámne illum comesurus es? *BA.* dum recens est,
Dum datur, dum calet, devorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali; populi strenui
Damno mihi, improbi usui sunt. *SI.* malum!
Quod tibi dei dabunt, qui sic scelestus.
HA. Me nunc commoror, cùm has fores non ferio,
Ut sciam sitne Ballio domi. *BA.* Venus mihi hæc
Bona dat, at cùm hos huc adigit lucrifugas, damni-
Cupidos, qui se suámque ætatem bene curant;
Edunt, bibunt, scortantur. illi sunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene esse patere; & illis, quibus est, invides.
HA. Heus! ubi estis vos? *BA.* hic quidem ad me rectà habet rectam viam.
HA. Heus! ubi estis vos? *BA.* heus! adolescens, quid istîc debetur tibi?
Bene ego ab hoc prædatus ibo: novi! bona scæva est mihi.

Interpretatio.

& dimittat mulierem mecum. BA. *Heus tu?* SI. *Quid vis?* BA. *Teneo hunc hominem.* SI. *Quo pacto?* BA. *Quia hic est mea præda: quærit meretricem; habet pecuniam. Gestiò jam illi dentem defigere.* SI. *Jámne illum es voraturus?* BA. *Oportet deglutire, interea dum est recens, dum apponitur, dum calet: nam boni me reddunt pauperem; mali alunt, mali ditant: boni mihi sunt detrimento, mali usui.* SI. *Malum! Quo te Dii mactabunt, utpotè sic nefarium.* HA. *Me retardo nunc, quando non pulso has fores, ut videam, utrum Ballio sit domi.* BA. *Venus mihi offert hæc bona, quando compellit huc hos inimicos lucri, cupidos detrimenti, qui se curant lepide, & suam vitam. Edunt, bibunt, scortantur. Illi sunt alio ingenio atque tu, qui neque sinis tibi esse bene, & invides iis quibus est.* HA. *Heus! ubi estis vos?* BA. *Hic quidem institit rectâ viâ ad me.* HA. *Heus! ubi estis vos?* BA. *Heus! adolescens: quid tibi debetur hîc? Ego benè onerabor prædâ ab hoc: novi! mihi ostendit bonum omen.*

Annotationes.

22. *Heus tu.*] Est oratio impuri lenonis exultantis, quod Harpacem sumat pro peregrino libidinoso à quo nonnihil prædæ sit accepturus. Sed tantum sibi damni illatum esse jam jam ab eo accepit, quantum lucri sperabat. Hic suis coloribus depictam lenonis indolem agnosce.

24. *Admordere.*] Est allegoria ducta ab homine quem fames urget.

25. *Dum recens est.*] Sunt enim cibi, qui nisi calidi sumantur, nocent. Manet in allegoriâ superius instituta.

39. *Prædatus.*] Passivè: *præda onustus.*

Bonâ scæva.] Dictum supra non semel. Festus: *Scævum à Græcis, qui scævum dicunt sinistrum.* Varro: *Ne quid obsit bona scæva causâ: inde scævola appellatus; à sinistra quod quæ sinistra sunt bona auspicia esse existimantur, à quo dicuntur comitia; aliudve, quod sit ave sinistrâ, scæva.*

HA. Ecquis hoc aperit? *BA.* heus chlamydate, quid istîc debetur tibi?
HA. Ædium dominum lenonem Ballionem quærito.
BA. Quisquis es, adolescens, operam fac compendi quærere.
HA. Quid jam? *BA.* quia te *is* ipsus coram præsēs præsentem videt.
HA. Tun' is es? *SI.* chlamydate! cavesis tibi à curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum: hic Leno est. *BA.* at hic est vir probus.
Sed tu bone vir flagitáre sæpe clamore in foro,
Cùm libella nusquam est, nisi quid Leno hic subvenit tibi.
HA. Quin tu mecum fabulâre? *BA.* fabulor. quid vis tibi?
HA. Argentum accipias. *BA.* jamdudum, si des, porrexi manum.
HA Accipe: hîc sunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me jussit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phœnicium.
BA. Herus tuus? *HA.* ita dico. *BA.* miles? *HA.* ita loquor. *BA.* Macedonius?
HA. Admodum, inquam. *BA.* te ad me misit Polymachæroplacides?
HA. Vera memoras. *BA.* hoc argentum ut mihi dares? *HA.* si tu quidem es
Leno Ballio. *BA.* atque ut à me mulierem abduceres? *HA.* ita.
BA. Phœniciúmne esse dixit? *HA.* rectè meministi. *BA.* mane:
Jam re deo ad te. *HA.* at maturatè propera. nam propero: vides
Jam die multum esse. *BA.* video. hunc advocare etiam volo.

Interpretatio.

HA. *Ecquis referat hoc?* BA. *Heus miles? quid tibi debetur hîc?* HA. *Quæro dominum ædium Ballionem lenonem.* BA. *Quisquis es, adolescens, ne ponas operam in quærendo longiorem.* HA. *Quid jam?* BA. *Quia ipse te videt præsens præsentem coram.* HA. *Esne tu is?* SI. *Miles! cave tibi, si vis, à curis quæ te reddant infelicem, atque intende in hunc digitum: adest leno.* BA. *Hic est vir bonus. Sed tu, bone vir, flagitaris plerumque clamoribus in foro, quando ne libellam quidem argenti habes, nisi hic Leno tibi suppeditet aliquid.* HA. *Quin loqueris tu mecum?* BA. *Loquor: quid vis?* HA. *Accipe pecuniam.* BA. *Jampridem porrigo manum, si des.* HA. *Accipe: sunt hîc quinque minæ argenti lectæ, numeratæ. Polymachæroplacides herus mihi mandavit, ut ad te deferrem hoc quod tibi debet, & ut mitteres mecum Phœnicium.* BA. *Tuus herus?* HA. *Sic dico.* BA. *Miles?* HA. *Sic loquor.* BA. *Macedonius?* HA. *Maximè, inquam.* BA. *Polymachæroplacides te misit ad me?* HA. *Dicis verè.* BA. *Ut mihi numeres hanc pecuniam?* HA. *Situes Ballio leno.* BA. *Et ut abduceres mulierem à me?* HA. *Etiam.* BA. *Dixitne esse Phœnicium?* HA. *Recordaris benè.* BA. *Mane: revertor modo ad te.* HA. *Sed accelera velociter: nam vides jam esse multam diem.* BA. *Video: volo advocare quoque hunc.*

Annotationes.

44. *A curio infortunio.*] Id est, à vita curarum plenâ; cujusmodi est amatorum.

45. *Intende digitum.*] Monstramus indice. Irridemus medio. Inde nomen habet impudici & famosi.

Mane modò istîc. jam revertar ad te. quid nunc fiet, Simo?
Quid agimus? manifestò hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
SI. Quid jam? *BA.* an nescis, quæ sit hæc res? *SI.* juxta cum ignarissimis.
BA. Edepol hominem verberonem Pseudolum! ut doctè dolum
Commentu'st! tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuus allegavit hunc, quasi à Macedonio
Milite esset. *SI.* habésne argentum ab homine? *BA.* rogitas quod vides?
SI. Heus! memento ergo dimidium isthinc mihi de prædâ dare:
Commune istuc esse oportet. *BA.* quid, malum? id totum tuum est.
HA. Quàm mox mihi operam das? *BA.* tibi do equidem. quid nunc mihi es auctor, Simo?
SI. Exploratorem hunc faciamus ludo supposititium.
BA. Adeò, donicum ipsus sese ludos fieri senserit:
Sequere. quid ais? nempe tu illius servus es? *HA.* planissimè.
BA. Quanti te emit? *HA.* suarum in pugnâ virium victoriâ.
Nam ego eram domi imperator summus in patriâ meâ.
BA. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
„ *HA.* CONTUMELIAM si dices, audies. *BA.* quotumo die
Ex Sicyone huc perveniſti? *HA.* altero ad meridiem.
BA. Strenuè me hercle isti. quamvis pernix hic est homo!
Ubi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes.

* * * * *
* * * *
* * * *

INTERPRETATIO.

Mane jam hìc. Revertar ad te statim. Quid fiet jam, Simo? Quid facimus? Homo, qui attulit pecuniam, tenetur manifestò. SI. *Quare?* BA. *An ignoras quid sit rei?* SI. *Ignoro perinde atque ignarissimi.* BA. *Per ædem Pollucis Pseudolum flagrionem! Ut architectatus est peritè fallaciam! Hic huic numeravit tantum pecuniæ, quantum miles debebat, atque eum instruxit, ut abduceret mulierem. Tuus Pseudolus misit hunc, quasi à milite Macedonio.* SI. *Habésne pecuniam hominis?* BA. *Rogas id quod cernis?* SI. *Heus! recordare igitur mihi dare mediam partem prædæ. Oportet illud esse commune.* BA. *Quid malum? Totum illud ad te pertinet.* HA. *Satagísne citò rerum mearum?* BA *Satago. Quid vis faciam nunc, Simo?* SI. *Ludificemus hunc exploratorem suppositititium.* BA. *Usque eodum ipse animadvertat sese ludificari: sequere. Quid dicis? Nimirum tu es illius servus?* HA. *Maximè.* BA. *Quanti te emit?* HA. *Pretio sui roboris in certamine. Nam eram summus dux domi in meâ gente.* BA. *Cœpítne etiam unquam carcerem, tuam civitatem?* HA. *Si dixeris maledictum, vicissim audies.* BA. *Quoto die adveniſti huc ex Sicyone?* HA. *Secundo ad meridiem.* BA. *Per Herculem iviſti celeriter. Quantum iste homo est velox! Si videas tibiam, intelligas eum posse ferre graves compedes.*

* * * * *

* * * *

* * *

HA. I in malam crucem. *BA.* ire licebit tibi tamen hodie tempori.

HA. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? *BA.* mane.

HA. Quid maneam? *BA.* chlamydem hanc commemores quanti conducta'ſt. *HA.* quid eſt?

BA. Quid meret machæra? *HA.* helleborum hiſce hominibus eſt opus.

BA. Eho! *HA.* mitte. *BA.* quid mercedis petaſus hodie domino demeret?

HA. Quid, domino? quid ſomniatis? mea quidem hæc habeo omnia,

Meo peculio empta. *BA.* nempe quod femina ſumma ſuſtinet.

HA. Uncti hi ſunt ſenes, fricari ſeſe ex antiquo volunt.

BA. Reſponde obſecro hercle hoc verò ſeriò, quod te rogo:

Quid meres? quantillo argento te conduxit Pſeudolus?

HA. Quid iſtic Pſeudolu'ſt? *BA.* præceptor tuus, qui te hanc fallaciam

Docuit, ut fallaciis hinc à me mulierem abduceres.

HA. Quem tu Pſeudolum, quas tu mihi prædicas fallacias? Quem ego hominem nullius coloris novi. *BA.* non tu iſtinc abis?

INTERPRETATIO.

* * * *

* * *

HA. *I, in malam crucem.* BA. *Tibi licebit ire hodie, ſatis tempeſtive.* HA. *Cur non mittis mecum mulierem, aut reſtituis pecuniam?* BA. *Noli abire.* HA. *Quidni abeam?* BA. *Dic mihi, quanti conducta eſt hæc chlamys?* HA. *Quid eſt?* BA. *Quid mercedis ſolviſti pro enſe?* HA. *Eſt opus helleboro his hominibus.* BA. *Eho tu!* HA. *Dimitte.* BA. *Quam mercedem hic petaſus refert ſuo domino?* HA. *Quid, domino? quid deliratis? Hæc omnia mea ſunt, meâ pecuniâ comparata.* BA. *Nimirum peculio quod tua femora ſuſtinent.* HA. *Hi ſenes ſunt uncti, jampridem volunt fricari.* BA. *Verùm per Herculem obſecro, reſponde ſeriò id, quod à te peto. Quid mercedis erit tibi? Quantâ pecuniâ Pſeudolus te locavit?* HA. *Quis eſt ille Pſeudolus?* BA. *Tuus præceptor, qui te docuit hanc fraudem, ut abduceres hinc fraudibus mulierem.* HA. *Quem Pſeudolum, quas fraudes mihi narras? Qui homo mihi perinde ignotus eſt ac ſi nullius coloris.* BA. *Tu non abis?*

ANNOTATIONES.

89. *Helleborum.*] Inſaniæ curandæ perutilem eſſe dicunt medici omnes.

92. *Fœmina ſuſtinet.*] Quia *ſuo peculio* comparata dicit ſua ornamenta omnia Harpax, Ballio *peculium* Harpacis interpretatur de tergo, quo, plagis ſæpius in ſervitute impoſitis, quidquid haberet, comparaverat.

93. *Fricari volunt.*] In balneis olim ungebantur veteres; deinde *fricabantur.* Inde jocum captat Harpax Calo; dicitque Simonem & Ballionem eſſe mox à ſe fricandos, id eſt, fuſte excipiendos, niſi ridendi & irridendi modum faciant. Fricatio illa fiebat ſtrigilibus, de quibus antea.

Nihil est hodie hîc Sycophantis quæstûs : proin tu Pseudolo
Nuncies ; abduxisse alium prædam, qui occurrit prior
Harpax. *HA.* is quidem edepol Harpax ego sum. *BA.* imò edepol esse vis.
Purus putus hic sycophanta est. *HA.* ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Heri imagine obsignatam epistolam hîc ante ostium.
BA. Meo tu epistolam dedisti servo ? cui servo ? *HA.* Syro.
BA. Non confidit. sycophanta hic nequam est : nugis meditatur malè.
Edepol hominem verberonem Pseudolum ! ut doctè dolum
Commentu'st ! tantumdem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui abduceret,
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
HA. Harpax ego vocor : ego servus sum Macedonis militis :
Ego nec sycophantiosè quicquam ago, nec maleficè,
Neque istum Pseudolum mortalis qui sit novi, neque scio.
SI. Tu, nisi mirum'st, Leno, planè perdidisti mulierem.
BA. Edepol næ istuc magis magisque metuo, cùm verba audio.
SI. Mihi quoque edepol jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit. mira sunt ! Pseudolus est.
Eho tu ! quâ facie fuit dudum, cui dedisti symbolum ?
HA. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,

Interpretatio.

Nihil est lucri hodie hîc Sycophantis. Itaque nuntia Pseudolo alium venisse priorem, qui abduxit mulierem, nempe Harpacem. HA. *Per ædem Pollucis ego sum ille Harpax.* BA. *Imò, per ædem Pollucis, vis esse. Hic est purus-putus sycophanta.* HA. *Ego tibi jam numeravi pecuniam, & modò dedi symbolum tuo servo, atque epistolam obsignatam imagine heri, hîc, ante limen, statimátque adveni.* BA. *Tu dedisti epistolam meo servo ? Cui servo ?* HA. *Syro.* BA. *Hic sycophanta non est audax ; est imperitus sycophanta. Architectatur malè nugas. Per ædem Pollucis hominem mastigiam Pseudolum ! Ut excogitavit peritè dolum ! dedit huic tantum pecuniæ, quantum debuit miles ; & vestem dedit homini, ut abduceret mulierem. Nam ipse verus Harpax ad me attulit huc illam epistolam.* HA. *Ego appellor Harpax : ego sum servus militis Macedonii : ego neque facio quidquam subdolè, nec nequiter : neque novi, neque scio quis sit ille Pseudolus.* SI. *Nimirum, Leno, tu amisisti prorsus mulierem.* BA. *Per ædem Pollucis timeo illud magis magisque, quando audio verba.* SI. *Per ædem Pollucis ille Syrus, qui accepit hoc symbolum, jampridem mihi incutit timorem. Mirum est ! Pseudolus est. Eho tu ! quo vultu fuit is, cui mox dedisti symbolum ?* HA. *Quidam rufus, ventris distenti, crassis tibiis, subniger,*

Annotatio.

120. *Rufus.*] Nescio qua adducti ratione nonnulli existimant, in hâc Pseudoli picturâ sese adumbrasse Plautum, nisi quod hujus dicuntur *magni pedes*; *Plautus* autem videatur esse à πλατὺς, *latus*, latisque fuisse pedibus ; tum umbri universi, tum umber imprimis Plautus dicatur.

Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. *SI.* perdidisti, postquam dixisti pedes.
Pseudolus fuit ipsus. *BA.* actum est de me. jam morior, Simo.
HA. Hercle haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. *SI.* atque etiam mihi aliæ viginti minæ.
BA. Auferetur id præmium à me, quod promisi per jocum?
„*SI.* De improbis viris auferri præmium & prædam decet.
BA. Saltem Pseudolum mihi dedas. *SI.* Pseudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? dixin' ab eo tibi ut caveres, centies?
BA. Perdidit me. *SI.* at me viginti commodis multavit minis.
BA. Quid nunc faciam? *HA.* si mihi argentum dederis, te suspendito.
BA. Dî te perdant! sequere sis me ergo hàc ad forum, ut solvam;
HA. sequor
BA. Hodie ego peregrinos absolvam, cras agam cum civibus.
Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. nuncne exspectetis dum hâc domum redeam viâ.
Ita res gesta est: angiporta hæc certum est consectarier.
HA. Si graderere tantum quantum loquere, jam esses ad forum.
BA. Certum'st mihi emortualem facere ex natali die.

Interpretatio.

grandi capite, oculis acutis, ore rubicundo, pedibus admodum magnis. SI. *Intelligo jam te perdidisse postquam pedes notasti. Fuit Pseudolus ipse.* BA. *Est actum de me: occido jam, Simo.* HA. *Per Herculem non patiar te emori, nisi mihi restituantur viginti minæ argenti.* SI. *Et mihi quoque viginti aliæ minæ.* BA. *Accipietur à me hoc præmium, quod sum pollicitus per jocum?* SI. *Oportet auferri præmium, & prædam ab hominibus nequam.* BA. *Saltem permitte mihi Pseudolum.* SI. *Ego tibi permittam Pseudolum? Quid peccavit? Monuine centies, ut tibi caveas ab eo?* BA. *Me perdidit.* SI. *Quam mihi suffuratus est callidè viginti minas.* BA. *Quid agam nunc?* HA. *Postquam mihi reddideris pecuniam, suspendito te.* BA. *Dii te perdant! sequere me igitur, si vis, hâc ad forum, ut solvam.* HA. *Sequor.* BA. *Ego dimittam hodie peregrinos, cras agam cum civibus. Pseudolus qui ad me misit hodie illum, ut abducerent mulierem, coëgit hodie comitia centuriata in meum caput. Sequere tu. Jam ne expectetis dum repetam domum hâc viâ. Res ita se habet: est deliberatum ire per hos angiportus.* HA. *Si ambulares tantum quantum loqueris, jam perveniisses ad forum.* BA. *Mihi constitutum est facere ex die natali hunc funestum.*

Annotatio.

134. *Centuriata.*] Significat Pseudoli consilia omnibus artibus fuisse instructissima & calidissima. Alludit ad Comitia centuriata, quæ erant omnium maxima. Curiata enim & tributa erant minora.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

ADMIRATUS Pseudoli artes & versutiam Simo viginti minas à lenone ablatas ultrò defert ad Pseudolum, cum quo deposuerat eas.

SIMO servus.

BENE ego illum tetigi! bene autem servus inimicum suum.
Nunc mihi certum est, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quàm in aliis Comœdiis fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur: at ego jam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si effecisset: obviam ei ultrò deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis versutus, nimis malus,
Superavit Dolum Trojanum atque Ulyssem Pseudolus.
Nunc ibo intrò, argentum promam: Pseudolo insidias dabo.

INTERPRETATIO.

SI. *Ego illum bene circunveni! sed servus bene ludificatus est suum inimicum. Nunc mihi est decretum insidiari Pseudolo alia ratione, quàm fieri solet in aliis fabulis, in quibus struunt insidias armati stimulis aut verberibus: sed ego depromam mox citra ultionem, viginti minas, quas spopondi si præstitisset: ei deferam ultrò obviam. Ille homo nimis acutus, nimis callidus est, nimis nequam. Pseudolus vicit Dolonem Trojanum & Ulyssem. Nunc ingrediar; depromam argentum; insidiabor Pseudolo.*

ANNOTATIONES.

1. *Illum tetigi.*] Id est, Ballionem Lenonem.

7. *Dolum Trojanum atque Ulyssem Pseudolus.*] *Dolum*, id est, *Dolonem*; quod sic accipiendum est, ut per *Dolonem* Ballio intelligatur, per *Ulyssem* Simo: quemadmodum enim Dolon speculator in castrâ Græcorum missus ab Ulysse, qui & ipse speculatum venerat, interfectus est; sic & Ballio à Simone tactus, & fraudatus.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

PSEUDOLUS, voti compos, fraudibus ad exitum optatum perductis, sese vino ingurgitavit. Ballio rogat ab eo, ut, de mi-

nis viginti, quæ ab eo à Simone auferuntur, nonnihil remittat. Pollicetur facere, & abducit hominem ad popinam.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

PSEUDOLUS ebrius vernilibus factis verbísque Scenam totam incestat.

PSEVDOLVS servus.

QUID hoc? ſiccine hoc fit? pedes, ſtatin' an non?
An id voltis, ut me hîc jacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, ſæviendum mihi
„Hodie eſt. MAGNUM HOC vitium vino eſt,
„Pedes captat primùm. luctator doloſu'ſt.
Profectò edepol ego nunc probè abeo madulſa;
Ita victu excurato, ita mundiciis dignè. ah!
Itáque in loco feſtivo ſumus feſtivè accepti.
Quid opus, ne multas agere ambages? hoc
Eſt homini quamobrem vitam amet. hîc omnes
Voluptates; in hoc omnes venuſtates ſunt:
Deis proximum eſſe arbitror. * *
* * *
* * *

INTERPRETATIO.

PS. *QVid eſt hoc? ſiccine agendum? Suſtinetiſne me mei pedes an non? Optatiſne ut aliquis me erigat hîc proſtratum? Nam ſi lapſus fuero, erit veſtra culpa. Proſequiminine proſequi* viam? *Ah, eſt mihi animadvertendum hodie! Hæc eſt magna culpa vini. Occupat primum pedes. Eſt luctator fraudulentus. Certè ego ſum egregiè madidus: cibis adeò accuratis, lautitiis adeò exquiſitis. Ah! adeò ſumus invitati lepidè in loco lepido. Quid eſt opus uti ambagibus* verborum? *Homo habet id quapropter amet vitam. Hic univerſæ voluptates* confluunt *huc; univerſæ venuſtates reſident hic. Reor* hanc vitam *eſſe proximam* vitæ Deorum. *
* * * *
* * *

ANNOTATIONES.

4. *Ah, ſæviendum eſt.*] Videlicet in pedes quod ſuo officio male fungantur.

6. *Pedes captat.*] Virgilius:
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

Id eſt, *Uva.*

7. *Abeo madulſa.*] Feſtus: *Madulſa.* Id eſt, *ebrius à Græco* μαδύν *deductum, vel quia ſit madidus vino.*

* * *
* * *
* manu candidâ cantharum dulciferum
Propinare amiciſſimam amicitiam : neque ibi eſſe alium alii
Odio, ibi nec moleſtum, nec ſermonibus morologis uti :
Unguenta, atque odores, lemniſcos, corollas dari dapſiles.
Non enim parcipromi victu cætero ; ne quis me roget.
Hoc ego modo, atque herus minor hanc diem ſumpſimus prothymè,
Poſtquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hoſtibus fugatis :
Illos accubantis, potantis, amantis, cum ſcortis
Reliqui, & meum ſcortum ibidem, cordi atque animo ſuo
Obſequentes. ſed poſtquam exſurrexi, orant med uti ſaltem.
Ad hunc me modum intuli, ut illis ſatisfacerem ex diſciplinâ: quippe ego
Qui probè Ionica perdidici. ſed palliolatim amictus
Sic hâc inceſſi ludibundus. plaudunt partim : clamitant me ut revertar.
Occepi denuò hoc modo volvi. idem amicæ dabam me meæ,
Ut me amaret : ubi circumvortor, cado : id fuit nænia ludo.

INTERPRETATIO.

* * *
* *
libant manu ſincerâ, poculum dulciſſimum amoris conjunctiſſimi : nec eſt ibi qui ſit odio alteri, nec moleſtiæ, nec qui utatur oratione accommodata ad mores ſeveriores : ſed dantur unguenta, odores, coronæ, corollæ innumeræ. Non enim dantur *parcâ manu, quæ ad reliquum victum pertinent ; ne quis me interroget. Meus herus minor, & ego duximus hunc diem hoc pacto alacriter, poſtquam obivi omne meum munus, ut volui, hoſtibus profligatis : illos reliqui accubantes, potantes, amantes, obtemperantes ſuæ libidini cum ſcortis, & meum ſcortum ibidem. Verùm poſtquam experrexi, me rogant, ut ſaltem. Me intuli hoc modo, ut obſequerer eorum mandatis. Nam ego optimè didici ſaltationem Ionicam. Verùm prodii huc tectus pallio ſaltabundus. Applaudunt illi : me revocant ut revertar. Saltavi rurſus, ſed nolui ſaltare ad hos modos. Idem feci in gratiam amicæ, ut me amaret : quando gyro, corruo : hic caſus ludum mutavit in næniam.*

ANNOTATIONES.

18. *Manu candidâ.* Sententia eſt : eum Diis eſſe proximum judico, qui ibi eſt, ubi cantharus dulcifer candidâ manu propinat amiciſſimam ſalutem.

21. *Lemniſcos.*] Feſtus : *Lemniſci ſunt faſciolæ purpureæ dependentes ex coronis. Solebant enim veteres coronas faſciis laneis ex purpurâ alligatas donare.*

22. *Parcipromi.*] Parci in promendo.

23. *Prothymè.*] *Benignè, promptè, alacriter,* προθύμως.

29. *Palliolatim.*] Mixtum eſt genus veſtis *tunica palliolata*, quæ & formam & uſum præſtat & tunicæ & pallii : nos diceremus, *Un juſte-au-corps, Caſaque.* Cauſabonus, *Mantelia cubicularia* vocat.

32. *Id fuit nænia ludo.*] *Is caſus, cantûs & carminis vicem tenuit. Nænia* eſt ab antiquo *nina*, quod ſignificat *nutricem*, & *nænia* ſunt propriè verba illa dimidiata, quibus obblandimur infantulis.

Itaque dum enitor (pax!) jam pænè inquinavi pallium. nimiæ tum
Voluptati edepol fui ob casum. datur cantharus! bibi. commuto
Illico pallium, illud posivi: inde huc exii, crapulam dum amo-
verem.
Nunc ab hero ad herum meum majorem venio, fœdus comme-
moratum.
Aperite, aperite! heus! Simoni me adesse, quis nunciate.

INTERPRETATIO.

Itaque dum enitor, absit dicto invidia! Inquinavi propemodum pallium. Per eadem Pollucis fui tunc nimio oblectamento propter lapsum. Datur cantharus! bibi. Statim commuto pallium; hoc circumposui: prodii huc, dum discusserim crapulam. Nunc venio ab hero ad meum herum majorem, nunciatum de pignore. Patefacite, patefacite! Heus! quis nunciabit Simoni, me adesse hìc?

ANNOTATIONES.

33. *Pax.*] Nihil amplius.
36. *Fœdus.*] Id est, *Stipulatio. Commemorare* valet idem, ac *commonefacere, In memoriam revocare,*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

MINAS viginti repetit ab hero Pseudolus, quas herus lucratus fuerat à Ballione, pignore depositio. Ballio rogat à Pseudolo, ut nonnihil de illis minis viginti remittat. Impetrat. Abeunt ad popinam ambo.

SIMO senex, PSEVDOLVS servus, BALLIO leno.

SIMO.

VOx viri pessumi me exciet foras. sed quid hoc? quo modo? quid tu video ego?
PS. Cum coronâ ebrium Pseudolum tuum. *SI.* liberè hercle hoc quidem. sed vide statum!
Num meâ gratiâ pertimescit? magis cogito, sæviter blanditérne alloquar.

INTERPRETATIO.

SI. *Vox scelestissimi hominis me evocat foras. Sed quid est hoc? Quomodo? Quid intueor?* PS. *Tuum Pseudolum, temulentum cum coronâ.* SI. *Per Herculem, hoc audacter. Sed aspice stantem hominem! Num veretur meâ causâ? Hoc magis mecum deliberandum est, utrum severe an blandè alloquar.*

ANNOTATIONES.

1. *Quid tu.*'] Verba sunt Simonis ex improviso Pseudolum ebrium conspicientis. *Video ego*, est oratio imperfecta, quam perficit ebrius ipse Pseudolus.
2. *Cum coronâ.*] Non licebat servis imponere coronam capiti.

Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, si qua in hoc spes
sita'st mihi.
PS. Vir malus viro optimo obviam it. *SI.* di te ament, Pseudole.
phu! in malam crucem.
PS. Cur ergo me afflictor? *SI.* quid tu (malùm) ergo in os mihi
ebrius irructas?
PS. Molliter siste nunc me, cave ne cadam: non vides me ut ma-
didè madeam?
SI. Quæ ista hæc audacia est, te sic interdius cum corollâ ebrium
incedere? *PS.* lubet.
SI. Quid, lubet? pergin ructare in os mihi! *PS.* suavis ructus mihi
est; sic sine modo! [quattuor
SI. Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis uberrimos
Fructûs ebibere in horâ unâ. *PS.* hibernâ, addito. *SI.* haud malè
mones:
Sed dic tamen, unde onustam celocem agere te prædicem? *PS.* cum
tuo filio
Perpotavi modò. sed, Simo, ut probè tactus Ballio est! quæ tibi dixi, ut
Effecta reddidi! *SI.* derides? pessumus homo est. *PS.* mulier hæc
Feci cum tuo filio libera accubet. *SI.* omnia, ut quidque egisti ordine,
Scio. *PS.* Quid ergo dubitas dare mihi argentum? *SI.* jus petis, fateor.
Tene. *PS.* at negabas daturum esse te mihi, tamen das. onera hunc
hominem, atque me
Consequere hàc. *SI.* ego istum onerem? *PS.* onerabis, scio. *SI.*
quid ego huic homini faciam?

INTERPRETATIO.

Sed id me prohibet nunc afferre vim, nempe quod spes, quæ mihi supereſt, recuperandæ pecuniæ, est sita in eo. PS. *Malus homo occurrit optimo viro.* SI. *Dii te ament, Pseudole. Phu! in malam crucem.* PS. *Quare corruo?* SI. *Quare igitur temulentus, malum! mihi irructas in os?* PS. *Leniter: tene me nunc; vide ne corruam. Nonne animadvertis quemadmodum madeam madidus?* SI. *Quæ temeritas est hæc, te versari sic interdiu cum corona vinolentum?* PS. *Placet.* SI. *Quid, placet? Pergísne mihi ructare in os?* PS. *Ructus mihi est jucundus. Patere me sic ructare.* SI. *Equidem arbitror sceleste, te posse ebibere, in una hora, quatuor fructus uberrimos montis Massici.* PS. *Adde, unâ horâ hybernâ.* SI. *Non mones malè: verum dic mihi unde reducis celocem adeò subarratam?* PS. *Perpotavi modò cum tuo nato. Sed, Simo, ut Ballio est egregiè fraudatus! Quàm feliciter perfeci ea, quæ tibi dixi!* SI. *Me ludificaris? Est homo nequissimus.* PS. *Assequutus sum, ut Phœnicium manumissa accubet cum tuo nato.* SI. *Teneo ordine sicut perfeciſti universa.* PS. *Quid igitur cunctaris mihi numerare argentum?* SI. *Petis, quod æquum est; fateor: accipe.* PS. *Sed negabas te mihi esse daturum, tamen das. Onera hunc, & consequere hàc.* SI. *Ego onerem istum?* PS. *Onerabis, scio.* SI. *Quid faciam ego huic homini?*

ANNOTATIONES.

5. *Phu!*] Est putorem aliquem aversantis interjectio.

12. *Celocem.*] Per *celocem* intelligit ventrem vino ciboque distentum. *Celox* est navigii genus.

Satin' ultrò & argentum aufert, & me irridet? *PS.* væ victis! vorte ergo humerum. [plex.

BA. Hem! hoc ego nuncquam ratus sum fore, me ut tibi fierem sup-

PS. Heu heu heu! desine. *BA.* doleo. *PS.* ni doleres tu, ego dolerem.

BA. Quid hoc? auferréne, Pseudole, abs tuo hero? *PS.* lubentissimo corde atque animo.

BA. Non audes, quæso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?

PS. Novi, me dices avidum esse. nam hinc nunquam eris nummo divitior.

Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie effecissem.

BA. Erit ubi te ulciscar, si vivo. *PS.* quid minitâre? habeo tergum.

BA. Agè sanè. *PS.* igitur redi. *BA.* quid redeam? *PS.* redi modò; non eris deceptus.

BA. Redeo. *PS.* simul mecum potatum. *BA.* egóne eam? *PS.* fac quod te jubeo.

Si is; aut dimidium, aut plus etiam faxo hinc feres. *BA.* eo; duc me quò vis. *PS.* quid nunc?

Nuncquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? [isti

SI. nihil profectò.

PS. I hàc. *BA.* te sequor. quin vocas spectatores simul? *PS.* hercle me Haud solent vocare; neque ergo ego istos. verùm si voltis applaudere Atq; approbare hunc gregem & Fabulam, in castrinum vos vocabo.

INTERPRETATIO.

Et aufert latus argentum, & me ludificatur? PS. *Væ victis! Verte igitur humerum. Hem!* BA. *Nunquam ego arbitratus sum me futurum esse tibi supplicem. Heu, heu, heu!* PS. *Desine.* BA. *Doleo.* PS. *Nisi tu doleres, ego dolerem.* BA. *Quid Pseudole? Oportétne te auferre hanc pecuniam à tuo hero?* PS. *Mente atque alacritate summâ.* BA. *Obsecro, non vis mihi dare aliquam partem pecuniæ?* PS. *Novi, dices me esse avarum; nam nunquam eris locupletior uno nummo, ex hâc pecuniâ. Neque te misereret mei tergi, si non perfecissem hoc hodie,* BA. *Erit in quo de te sumam ultionem, si vivo.* PS. *Quid minitaris? Habeo tergum.* BA. *Age sanè!* PS. *Revertere ergo.* BA. *Quid revertar?* PS. *Revertere modo, non eris fraudatus.* BA. *Revertor.* PS. *Potatum unà mecum.* BA. *Ibóne ego?* PS. *Fac quod tibi mando. Si is; efficiam, feres hinc, aut dimidiam, aut etiam plus.* BA. *Duc me quo libuerit.* PS. *Quid jam Simo? Numquid te iratus, aut mihi, aut nato propter has res?* SI. *Nihil profectò.* PS. *I hàc.* BA. *Te sequor. Quin vocas spectatores simul?* PS. *Per Herculem illi haud solent me invitare, neque ego illos: sed si placet plausum dare, atque approbare hunc gregem & Fabulam, vos invitabo in crastinum.*

ANNOTATIONES.

19. *Væ victis!*] Româ à Senonibus Gallis captâ, aurum ex conventione & pacto appendebatur, ut abirent: quod iniquis ponderibus exigi à Barbaris cum conquereretur Appius Claudius, Brennus rex Gallorum ad pondera adjecit gladium, & dixit, *væ victis.* Idē dicit Pseudolus Ballioni.

Vorte humerum.] Verba sunt Pseudoli cum actione conjuncta, quâ videlicet aversantem conspectum Pseudoli victoria victum Ballionem, vertere vultum cogit, & voce & manu.

FINIS PSEUDOLI.

M. ACCII PLAUTI

PŒNULUS.

ARGUMENTUM.

CIVIS Carthaginensis genere summo summísque divitiis, habuit filios duos, unum nomine Jachonem & alterum Hannonem. Jachon uxorem habuit Ampsiguram. Eis unicus fuit filius nomine Agorastocles. Is septennis surripitur, Chalydonémque in Ætholiam defertur. Chalydonensis civis Antidamas, hospes Jachonis, Demarchi filius, qui odio mulierum celebs vivere & mori voluit, Agorastoclem emit & adoptat, quo pater esset sine conjugio. Quærit filium suum terrâ marique Jachon. Demum sexenni & labore, & mœrore confectus, in quærendo flendóque filio amisso, eo minimè reperto, diem suum obit, & testamento suo hæredem scribit Hannonem. Hanno frater Jachonis habuit filias duas, Adelphasium & Anterastilem; alteram quadrimam, alteram quinquennem domi educabat in Megaribus, quæ erat regio urbis Carthaginensis. Hinc rapiuntur virgines duæ & Giddemene earum nutrix, deferuntúrque Anactorium Acharnaniæ in Græciâ oppidum. Venduntur Lenoni Lyco, qui mercatus sui causa Chalydonem migrat Anactorio, & statuit domicilium juxta Antidamentem, à quo Agorastoclem adoptatum fuisse diximus. Adolescunt Agorastocles & virgines duæ, &, quod fermè fit in vicinis, amicitiam mutuam contrahunt, & ex amicitiâ, amorem. Lyco cognito amore Agorastoclis & Adelphasii diligentius diligentiúsque servat virgines, non amore illarum, aut pudoris; quis enim id unquam de Lenone suspicetur? Sed ut Agorastoclem juvenem divitem, Antidamantis mortui hæredem, amore incensum, magis magísque compilaret. Interea Hanno terrâ marique filias suas quærit. Demum devenit Chalydonem; affert Chartagine tesseram hospitalem, ut, si transeundum esset Chalydone, fœdus hospitalitatis instauraret. Statimatque venit Chalydonem, & domum Antidamantis, agnoscit Agorastoclem, à quo in hospitium recipitur, esse filium Jachonis fratris sui. Milphio servus Agorastoclis

aperit Pœno, duas esse virgines sorores in vicinis, quarum unam deperit Agorastocles. Eas verò esse in potestate crudelissimi lenonis, suadet Pœno, ut in gratiam Agorastoclis dicat duas virgines suas esse filias. Ad ea verba lachrymas mittit Hanno, recordatione jacturæ filiarum suarum, & nutricis Giddemenes, cum illis raptæ, quas tandiu quærit. Sed statim agnoscit duas illas virgines suas esse filias. Itaque Adelphasium traditur Agorastocli in matrimonium ab Hannone patre. Porrò Antemonides miles dederat pecuniam Lyconi Lenoni ad eam emendam in concubinam. Itaque repetit datam pro eâ pecuniam à Lenone, & uno tempore, & Hanno & Agorastocles, & Anthemonides vocant in jus miserum Lyconem. Sed trecentis Philippis præsentibus sese redimit. A quo Poëtâ Græco scripta fuerit Fabula non notat Plautus, ut solet ferè in aliis Fabulis, quarum Argumentum sumit à Græcis. Initio Prologi profitetur se velle imitari Ennium, qui Tragœdiam ab Aristarcho scriptam, cui erat nomen *Achilles*, Romano sermone convertit: sed ex eâ Fabulâ, nihil mutuatus est Plautus, nisi quod ad attentionem rogandam pertineret. Tria sunt hujus Fabulæ nomina, primum *Charchedonius*, id est, *Civis Athenienſis*; alterum est *Patruus Pultiphagonides*, id est, *Patruus Agoraſtoclis*; tertium est *Pœnulus*, & potuisset quidem etiam appellari *Hannopœnus*. Sed quia tres fuerant insignes Hannones, unus temporibus Philippi Macedonis, alter temporibus Agatoclis Siculorum Tyranni, ab ipso Agatocle, unà cum triginta millibus Pœnorum interfectus, & tertius temporibus secundi Belli Punici, qui contrarias Annibali partes tuebatur, ut innuat Poëta de uno ex iis summis viris non esse sermonem, sed de Gregario quodam Pœno ignobili & ignoto. Non *Hannonulum* appellat Fabulam suam, sed Pœnulum, ut convitium cadat in gentem universam, iis potissimum temporibus, quibus secundum Bellum Punicum ardebat. Eodem consilio passim *Punicas fraudes* notat eodem, & *Pœnulum Pultiphagonidem* nominat, quia Pœni & imprimis Chartaginenses, vulgò *Pultibus* vescebantur, ut genus unum *Pultis* appellaretur *Puls Punica*. Jactum est igitur id nominis in *Pœnos*, quibus cum Bellum gerebant Romani, quando hæc Fabula scribebatur, ut fermè ab hostibus in hostes jaciuntur probra, & hæc ex æduliis fermè sumpta, ut nos *Sepas* Hispanis, *Caseum* Batavis, *Pocula* Germanis largiora, alia aliis. Hæc Comœdia constat Prologo, Fabulâ, & Epilogo Fabulæ. Prothasis Actu primo continetur. Videlicet ardet amore Adelphasii, & odio Lenonis Agorastocles, illius perdendi, & hujus obtinendæ desiderio. Epithasis Actu secundo, tertio, & quarto. Hìc enim fraus struitur Lenoni à Milphione, quo & pereat Lycus, & Agorastocles votis potiatur. Demum Actu quinto solutio est Fabulæ, cognitis & Agorastocle & virginibus duabus per Hannonem & perdito Lenone. In hâc Fabulâ in furtivis tribus Agora-

stocle

ſtocle Jachonis filio & filiabus duabus Hannonis raptis, venditis, repertis, liberatis licet hoc conſiderare Stoïcorum; fœlicitatem hominis in animo eſſe ſitam, cætera, etiam libertatem, & ipſum corpus noſtrum, in noſtrâ poteſtate non eſſe poſitum; ſed arbitrio fortunæ ludibrióque permiſſum. Præclarè id quidem, ſi pro viribus humanis gratiam Dei, pro fortunâ providentiam agnoviſſent.

SCENA EST CHALYDONI IN ÆTOLIA.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

HANNO-POENUS, ſeu Pœnulus pater Adelphaſii & Anteraſtilis patruus Agoraſtoclis hoſpes Anthidamantis.

ADELPHASIUM } Virgines filiæ Hannonis furtivæ.
ANTERASTILIS }

GIDDENEME nutrix Adelphaſiii & Anteraſtilis, & ipſa cum illis rapta.

PUER Pœnus ſervus Hannonis anonymus.

AGORASTOCLES filius Jachonis fratris Hannonis & Ampſiguræ.

MILPHIO ſervus Agoraſtoclis.

COLLYBISCUS villiſcus Agoraſtoclis.

ADVOCATI Agoraſtoclis anonymi.

ANTHEMONIDES miles; procus Anteraſtilis.

LYCO leno Anactorius, & deinceps Chalydonius, cuſtos Adelphaſii & Anteraſtilis.

SYNCERASTUS ſervus Lyci lenonis, & ejus proditor.

PERIOCHA ACROSTICHA.

POENVLVS

PUER septuennis furripitur Carthagine.
Senex milierum adoptat hunc emptum senex,
Et facit hæredem. ejus *pueri* cognatæ duæ,
Nutrixque earum raptæ. mercatur Lycus,
Vexatque amantem. at ille cum auro villicum
Lenoni obtrudit: ita eum furto alligat.
Venit Hanno Pœnus, gnatum hunc fratris repperit,
Suasque agnoscit, quas perdiderat, filias.

INTERPRETATIO.

PUer annis septem natus furto aufertur Chartagine. Senex qui oderat mulieres, eum emit & adoptat, scribitque hæredem. Hic puer habebat cognatas duas, quæ furripiuntur cum sua nutrice. Eas emit Lycus, & male habet amantem. Sed hic summittit villicum ad lenonem cum auro: sic hunc reum facit furti. Advenit Hanno-Pœnus; invenit hunc esse filium fratris, & agnoscit filias quas perdiderat.

ANNOTATIONES.

1. *Puer septuennis.*] Agoraſtocles Jachonis filius & Ampſiguræ. Jachon frater Hannonis.

2. *Senex.*] Anthidamas hoſpes Hannonis.

3. *Cognatæ duæ.*] Anteraſtilis & Adelphaſium filiæ Hannonis, cognatæ Agoraſtoclis, utpotè filii Jachonis.

4. *Nutrixque earum.*] Giddeneme, quæ rapta fuerat cum alumis duabus Anteraſtili & Adelphaſio.

5. *Vexátque amantem.*] Lycus Leno, qui mercatus eſt duas virgines, Anteraſtilem & Adelphaſium, cognito Agoraſtoclis in Adelphaſium amore, torquet amantem negatâ amicâ, ut plus accedat ab adoleſcente quæſtus.

Villicum.] *Collybiſcum.* Nimirum prohibitum erat alienum ſervum apud ſe retinere. Collybiſcus, miſſus ab Agoraſtocle, pergit ad lenonem, non ſervi, ſed liberi veſte. Recipitur hoſpitio ab lenone. Repetit Agoraſtocles. Negat Lycus eſſe apud ſe ſervum Agoraſtoclis. Fit reus furti.

PROLOGI ARGVMENTVM.

PRIMUM rogat attentionem, enumeratis feſtivè & comicè iis omnibus, qui minimè attenti eſſe ſolent, & ſuâ quibuſque cenſurâ notatis. Deinde ad ædiles orationem convertit, & hortatur ad æquitatem in præmiis tribuendis iis, qui melius perſonam ſuſtinuerint. Tertio loco Argumentum proponit Fabulæ. Denique benevolentiam conciliat ſpectatorum.

PROLOGUS.

ACHILLEM Aristarchi mihi commentari lubet.
Inde mihi principium capiam ex eâ Tragœdiâ.
Siletéque & tacete, atque animum advortite,
Audire jubet vos imperator histricus.
Bonóque ut animo sedeant in subselliis,
Et qui esurientes, & qui saturi venerint.
Qui ediστis, multo feciστis sapientius:
Qui non ediστis, saturi fite fabulis.
Nam cui paratum'st quod edit; nostrâ gratiâ,
Nimia est stultitia, sessum impransum incedere.
Exsurge præco, fac populo audientiam.
Jamdudum exspecto, si tuum officium scias.
Exerce vocem quam per vivis & colis.
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.

INTERPRETATIO.

VOlo imitari Achillem Aristarchi. Sumam initium ex eâ Tragœdiâ. Comprimite linguam, ne loquamini, atque attendite. Dux histrionum mandat vobis, ut aures præbeatis; & ut, tam *ii qui sunt impransi*, quàm *qui pransi consideant quieto animo in sedibus*; vos *qui cibum cœpistis, egistis longè prudentius* aliis: vos *qui non ediστis, pascite vos hâc fabulâ. Certè est nimia amentia, eum, qui habet* domi *quod manducet, accedere huc incœnatum, & sedere nostræ* fabulæ *causa. Consiste præco, impera populo, ut attente audiat. Jam pridem operior*, ut videam *utrum teneas tuas partes. Exere vocem, quâ victum & vestitum quaris. Nam nisi vociferereris, fames te occupabit silentem.*

ANNOTATIONES.

1. *Achillem Aristarchi.*] Aristarchus Poëta tragicus, æqualis Euripidis, Tragœdiam *Achillem* scripsit annis fermè ante Plautum ducentis quinquaginta. Quam Tragœdiam Ennius vertit Latinè, teste Festo. Æschylus ejusdem nominis scripsit Tragœdiam. Sunt qui putent Achillem Aristarchi dici, non quod scripserit Aristarchus, sed quod scriptam ab alio Poëta Fabulam emendarit Aristarchus. Sed alius fuit Aristarchus Criticus nobilis emendatione operum Homericorum, alius Poëta Tragicus. Neque alienum à fide fuerit ab Aristarcho Poëta scriptam fabulam, & ab Aristarcho Critico fuisse emendatam.

Commentari.] Alii legunt *imitari.*

2. *Principium capiam.*] In quo imitetur Aristarchum in suo Achille ipse hoc versu innuit; nempe in petendâ attentione spectatorum. Quousque autem imitetur nemo dixerit, nisi qui Achillem ipsam Aristarchi viderit.

3. *Silete & tacete.*] Σιγᾶν & σιωπᾶν, verba erant faciendæ in Fabulis audientiæ consecrata. Quid verò interfit inter *silere & tacere*, σιγᾶν & σιωπᾶν, non video, nisi in elementis.

4. *Jubet.*] Hoc verbo utitur & ludit, quia Chorago nomen *imperatoris* tribuit in eodem versu. Porrò *jubet* non est semper imperantis, sed interdum & optantis & rogantis. Sic passim invenias servum *salvere jubentem* dominum suum.

13. *Quam per vivis & colis.*] Id est, *per quam victum & vestitum, cultúmque corporis paras.*

Age nunc reside, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum'st ! edicta ut servetis mea.
Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ muttiant,
Neu dessignator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in Scenâ siet.
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo æquo nunc stent; vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel æs pro capite dent. si id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio:
Ne & hîc varientur virgis, & loris domi,
Si minus curassint, cùm veniant heri domum.

INTERPRETATIO.

Age nunc sede, ut accipias geminam mercedem. Est æquum ut pareatis meis decretis. Ne quod scortum turpe sedem occupet in proscœnio, neve lictor, aut virgæ audiantur, neve alıquis assignator locorum *obversetur oculis, neve ducat* advenientes *in suas sedes, interea dum Actor erit in Scenâ. Oportet eos qui dormierunt diu domi otiosi, stent nunc æquo animo, vel ut abstineant somno. Ne servi occupent subsellia, ut sit sedes liberis, vel numerent pecuniam pro loco. Si nequeunt agere id, abeant domum, fugiant infortunium quod utrinque imminet; ne proscindantur & hic, flagris, & domi, loris, si præverint nostrum edictum, quando in ædes heri venerint.*

ANNOTATIONES.

15. *Duplicem mercedem.*] Hic movet risum spectatoribus histrio qui proloquitur. Quia preconum genus sic venalem habet linguam & vocem, ut nec gratis clamet, nec sine mercede taceat.

16. *Bonum factum.*] Formula solennis, Edictis publicis præfigi solita, boni ominis causâ. Quasi dicas, *quod felix faustumque sit.* Neque id sine joco usurpat, transfertque à foro, in quo gravia omnia, ad Scenam Comicam, in quâ gravitati locus nullus, nisi ut & ipsa risum moveat.

Edicta ut servetis mea.] Quæ deinceps sequuntur edictorum formam quandam per jocum præferunt: idcircò usus est his verbis, *bonum factum.*

17. *Ne quis.*] Primum est edictorum scenicorum *Ne quod scortum exoletum sedeat spectator. Exoletum* est *scortum. Scortum vetus*, & ætate confectum atque adeò, quod amari desiit. *Exoletum* autem est ab *oleo*, quod est propriè *odorem* mittere. *Exoletum* igitur est, quasi quod odorem vetustate amisit, qualis est passus flos. *Scortum* autem exoletum est id in quo flos ætatis & juventutis non est amplius. Imò in quo est teter odor, qui hoc genus comitari solet. Scorta exoleta erant, & ludibrio & odio & contemptui.

In proscenio.] *Proscenium* est pars illa Theatri, in quâ sedent omnis generis spectatores.

18. *Lictor.*] Est secundum edictum scenicum ne lictores, qui fermè sibi omnia licere putant, propter autoritatem eorum quos antecedunt, audeant in proscenio, & turbas faciant.

Virgæ.] Id est, *fasces* lictorum, magistratibus præferri soliti.

19. *Dissignator.*] *Dissignator* idem est qui Martiali *locarius.* Sunt tamen qui *dissignatorem* hoc differre à *locario* putent, quod illius fuerit loca assignare honoratioribus; hujus, minus honoratis.

24. *Æs pro capite.*] Quod pro loco pendebatur appellabatur à Græcis *opterium*, id est, pretium pro spectaculo pendi solitum. A Latinis *locarium*; id est, pretium loci, quem occupabant in proscenio.

25. *Varientur.*] Id est, *lacerentur. Variantur* autem *virgis*, quorum est cutis, aut vibicibus livida, aut sanguine rubra,

Nutrices, pueros infanteis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ ſpectatum afferant,
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri pereant fame:
Nevé eſurientes hîc quaſi hœdi obvagiant.
Matronæ tacitæ ſpectent, tacitæ rideant,
Canorâ hîc voce ſuâ tinnire temperent.
Domum ſermones fabulandi conferant,
Ne & hîc viris ſint & domi moleſtiæ.
Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici injuriâ,
Néve ambitionis cauſsâ extrudantur foras,
Quò deteriores anteponantur bonis
Et hoc quoque etiam, quod pæne oblitus fui,
Dum ludi fiunt, in popinam pediſequi
Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt,
Nunc dum ſcribilitæ æſtuant, occurrite.
Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico,
Bonum hercle factum, pro ſe quiſque ut meminerit.
Ad ARGUMENTUM nunc viciſſatim volo
Remigrare, æquè ut mecum ſitis ignarures.
Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei rei ego ſum factus finitor.

INTERPRETATIO.

Ut nutrices curent domi pueros infantes, ne eos apportent ad ſpectandum, ne & ipſæ ſitiant, & pueri intereant fame; & ne eſurientes occlament hîc, velut hœdi. Matronæ cernant, ſummiſſe rideant, caveant ne ſuccclament ſuâ voce acutâ. Referant domum garriendi libidinem, ne ſint importunæ viris & hîc & domi. Et quod ſpectat ad eos qui curant fabulas, ne deferatur palma ulli artifici injuſte, neve exturbentur foras propter ambitionem, quâ pejores anteferuntur melioribus. Id etiam edico ut, quod ferme fui oblitus, irrumpatis in cauponam, ſervi à pedibus, nunc interea dum occaſio ſeſe offert, dum placentæ calent, impetum facite. Bonum factum ut quiſque recordetur ea quæ ſunt demandata pro auctoritate hiſtrionica. Jam revertor ad argumentum fabulæ, ut ſitis perinde ignari, atque ego. Definiam jam ejus plagas, terminos, vicinia: ego conſtitutus ſum jam menſor ejus rei.

ANNOTATIONES.

38. *Ambitionis cauſsâ.*] Ad derivandum præmium in hiſtriones minus bonos. De hâc ambitione alibi.

43. *Scribilitæ æſtuant.*] *Scribilita* & *ſcriblita* genus placentæ. Aliis *ſtriblitam* & *ſtribilitam* appellant: ſcriblita autem ducta videtur à *ſcribo*; forſitan, quia qui coquunt, quaſi ſcribunt dum igni imponunt ferro ſubjecto, aut quia nonnihil in ferro, in quo coquebatur, inſcriptum erat, & ſcriblitæ imprimebatur.

47. *Ignarures.*] Id eſt, *ignari*. Hoc autem dicit ad captandum riſum. Neque enim dicebat id ut ſpectatores eſſent *ignæri*, ſed ut eſſent *gnari*.

49. *Finitor.*] Nonius: *Finitores olim erant qui nunc agri menſores & agri metatores.* Quos nunc appellamus, *Arpenteurs*.

Sed nisi molestum est, nomen dare vobis volo
Comœdiai: sin odio est, dicam tamen:
Siquidem licebit per illos, quibus est in manu.
CARCHEDONIUS vocatur hæc Comœdia,
Latinè Plautus PATRUUS PULTIPHAGONIDES.
Nomen jam habetis. nunc rationes cæteras
Accipite: nam argumentum hoc hîc censebitur.
Locus argumento'st suum sibi proscenium.
Vos juratores estis: quæso, operam date.
Carthaginenses fratres patrueles duo
Fuêre, summo genere & summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi seni qui mortuus est, filius
Unicus qui fuerat, abditivus à patre,
Puer septuennis surripitur Carthagine,
Sexennio prius quidem, quàm moritur pater.
Quoniam periisse sibi videt gnatum unicum,
Conjicitur ipse in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem suum.
Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico.

INTERPRETATIO.

Nisi est grave vobis, notabo nomen fabulæ: sin est invisum, tamen proferam: nimirum, illi, in quorum potestate hoc situm est, concedent. Hæc Fabula appellatur Carchedonius. Latinè dicitur à Plauto Patruus Pultiphagonides. Tenetis jam nomen. Audite modò reliqua: nam hoc argumentum hic explicabitur. Locus argumenti, est hoc proscenium ipsum. Vos estis jurati arbitri *: rogo, audite. Fuerunt duo fratres patrueles Carthaginenses, illustri prosapiâ, & ampliſſimis opibus. Alter eorum vivit, alter est fato functus. Affirmo id certius, coram vobis, quia unguentarius, qui eum unxit mortuum, mihi affirmavit: filius unicus, illius senis, qui est mortuus, surripitur patri Carthagine, & absconditur cum esset puer septennis, sex annis antequam pater diem suum obiret. Pater, quia videt suum unicum filium deperditum esse, decidit in morbum propter ægritudinem. Scribit hæredem suum fratrem patruelem. Ipse commigravit ad Inferos sine viatico.*

ANNOTATIONES.

56. *Censebitur.*] Id est, judicium feretur de argumento.

58. *Juratores estis.*] Id est, *testes.* Sic dicti, quia ab iis non accipitur testimonium, nisi *juratis.*

63. *Pollinctor.*] Servius: *Pollinctores sunt dicti, quod mortuis os polline oblinant, ne livor appareat extincti.* Fulgentius: *Pollinctor, quasi polluctorum, id est, cadaverum unctor.* Turnebus: *Pollinctor, quasi pellis unctor.* Pollinctores enim ungebant mortuos ad arcendum odorem tetrum, qui erumpere solet è cadavere.

71. *Sine viatico.*] *Viaticum* est id quod viatores secum portant, aut ad victus parandos, aut ad arcenda viæ incommoda quævis. Veteres autem solebant sepulcris mortuorum imponere aurum & edulia, rati hæc esse animabus ad meliores sedes demigrantibus in viaticum, sine quo ægrè

Ille qui surripuit puerum, Calydonem avehit.
Vendit eum domino hîc diviti cuidam seni
Cupienti liberorum, osori mulierum.
Emit hospitalem is filium imprudens senex
Puerum illum, eúmque adoptat sibi pro filio:
Eúmque hæredem fecit, cùm ipse obiit diem.
Is illic adolescens habitat in illisce ædibus.
Revortor rursus denuò Carthaginem:
Si quid mandare voltis aut curarier,
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit.
Verùm qui dederit, magis majores egerit.
Sed illi patruo hujus, qui vivit senex,
Carthaginensi duæ fuêre filiæ;
Altera quinquennis, altera quadrimula.
Cum nutrice unà periêre. à Megaribus
Eas qui surripuit, in Anactorium devehit,
Venditque has omnis, & nutricem, & virgines,
Præsenti argento, homini, si leno est homo,
Quantum hominum terra sustinet, sacerrimo.
Vosmet nunc facite conjecturam cæterùm,
Quid id sit hominis cui Lyco nomen siet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,

Interpretatio.

Ille qui suffuratus est puerum, asportat Calydonem. Eum vendit cuidam domino opulento, qui optabat liberos, & oderat mulieres. Ille senex imprudens emit illum puerum, filium hospitis, & eum sibi adoptat pro suo filio, eumque scribit hæredem, quando ipse mortuus est. Ille adolescens manet in illo tecto. Repeto jam iterum Carthaginem: si vultis mandare aliquid, aut fieri, feceritis stultè, nisi numeraveritis pecuniam; sed qui numeraverit stultius fecerit. Verùm ille senex Carthaginensis qui superstes est, patruus hujus juvenis, habuit duas filias, alteram quinque, alteram quatuor annorum. Fuêre perditæ simul cum nutrice, in Megaribus. Qui eas suffuratus est, transtulit ad Anactorium, & has vendit omnes, & nutricem & virgines, numeratâ pecuniâ, homini sceleratissimo omnium quos terra fert, si tamen leno est homo. Cæterum facite jam vos ipsi conjecturam, qualis sit ille homo, qui Lycus vocetur. Ille commigravit huc ex Anactorio, ubi manserat prius.

Annotationes.

in orcum reciperentur. Quin & inserebant in os mortui duos obolos, & postea tres ad præmium Charontis Inferorum portitoris, quod & πόρθμειον Græcè, & *Naulum* Latinè dicebatur.

86. *Megaribus.*] *Megara* fuit urbis Carthaginensis regio, in quâ deambulabant Adelphasium & Anteraſtilis, Pœni filiæ duæ, quando raptæ sunt.

90. *Sacerrimo.*] Id est, imprimis execrabili. Videlicet *sacer* est verbum à sacris sumptum & numini devotis rebus, quæ destrui solebant quamprimum: sic rei & sceleroſi, quasi victimæ à legibus quieti publicæ consecratæ, sunt obruendi.

92. *Lyco.*] *Lycus* à Græco. Lupum significat, bestiam imprimis crudelem, fraudulentamque. Hìc Poëta rationem nominis Lenoni à se impositi reddit.

Huc commigravit in Calydonem haud diu,
Sui quæsti caussâ. is in illis habitat ædibus.
Earum hic adolescens alteram efflictim perit
Suam sibi cognatam imprudens, neque scit quæ ea
Sit; neque eam nnquam tetigit: ita eum leno macerat.
Neque quicquam cum eâ fecit etiamnum stupri,
Neque duxit unquam; neque ille voluit mittere.
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, postquam eas perdidit,
Marique terrâque usquequâque quæritat.
Ubi quámque in urbem est ingressus, illico
Omnes meretrices, ubi quisque habitant, invenit:
Dat aurum; ducit noctem: rogitat postibi
Unde sit, cujatis; captáne an surrepta sit,
Quo genere gnata, qui parentes fuerint.
Ita doctè atque astu filias quærit suas.
Et is omnis linguas scit: sed dissimulat sciens,
Se scire. Pœnus planè est; quid verbis opu'st?

Interpretatio.

in Calydonem non ita pridem, sui commercii causa. Idem manet in illis tectis. Est hic juvenis qui perdite amat alteram earum suam cognatam, ignarus eam esse suam consanguineam, neq; novit qua ea sit; neque eam unquam attigit: adeò leno eum discruciat. Neque commisit quidquam impudicè etiamnum cum ea, neque duxit unquam, neque ille voluit dimittere. Quoniam videt amari Adelphasium, vult circumvenire Agoraſtoclem aliquâ pecuniâ. Quidam miles vult mercari minorem, quam perdite amat, in concubinam. Sed Pœnus illarum pater, ex quo eas amisit, quærit semper terrâ & mari. Statimatque infert pedem in quandem urbem, illicò adit omnes meretrices, ubicumque manent. Dat pecuniam, ducit noctem; postea petit, unde sit, cujas sit; an sit capta, an surrepta, quo loco nata, qui fuerunt parentes. Sic investigat sapienter, & assuit filias suas. Idem tenet omnes linguas; sed ultrò fingit se ignorare. Est omnino Pœnus, quid plura?

Annotationes.

101. *Tangere vult bolo.*] *Bolus* est à Græco, significatque *jactum*. *Jactus* autem dicitur de re quavis, quæ *jacitur*. Sic dicitur de *jactu* talorum, de *jactu* retis in piscatoriâ, *jactu* hami escâ implicati ad captandos pisces. Sed *bolus* non dicitur de *jactu*, nisi in his rebus quæ sic jaciuntur, ut deinceps revocari possint, idque cum fructu, iisque ad quos fit, delusis. Hic Leno adolescenti amore perdito ostendit puellam, ut ejus cupiditate, quasi inescatus spolietur. *Tangere* est *circumvenire*.

113. *Pœnus planè est.*] *Pœni* ut plurimum callidi erant. Cicero: *Nos nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos superavimus.* Habebantur iidem mendaces, idem, *Pœni fraudulenti & mendaces.* Perfidi. Livius: *Perfidia plusquam Punica.* Hic verò perstringitur Pœnorum gens, quia flagrante etiamnum bello Punico secundo scribebat hanc fabulam Plautus, & exhibebat.

Is heri huc in portum navi venit vespere.
Pater harunc idem huic patruus adolescentulo est.
Jámne hoc tenetis? si tenetis, ducite.
Cave dirumpatis: quæso, sinite transigi.
Ehem! pæne oblitus sum reliquum dicere.
Ille qui adoptavit hunc pro filio sibi,
Is illi Pœno hujusce patri hospes fuit:
Is hodie huc veniet, reperiétque hîc filias;
Et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noscite.
Hic qui hodie veniet, reperiet suas filias,
Et hunc sui fratris filium. dehinc cæterum
Valete, adeste. ibo: alius nunc fieri volo.
Quod restat, restant alii, qui faciant palàm.
Valete, atque adjuvate, ut vos servet Salus.

INTERPRETATIO.

Ille hesternâ die ad vesperam, huc in portum navigavit. Idem est pater harum virginum, & patruus hujus juvenis. Tenetisne jam id? Si tenetis, ducite. Videte ne disrumpatis: obsecro, sinite peragi. Ehem! Fermè sum oblitus referre reliquam rei historiam. Ille qui sibi adoptavit hunc pro filio, fuit hospes Pœni, qui fuit hujus pater: ille veniet huc hodie, reperiétque hîc suas filias, & hunc filium sui fratris, sicut ego accepi. Ego pergam, sumam vestem comicam. Vos agnoscite æquo animo. Hic qui veniet hodie, inveniet suas filias, & hunc filium sui fratris. Dehinc caterum valete, adeste. Pergam: volo evadere nunc alius. Alii restant, qui patefaciant, id quod supereſt. Valete, atque opitulamini, ut Salus vos servet.

ANNOTATIONES.

116. *Ducite.*] Est aliquid tenere & ita trahere, ut minimè rumpatur. Ductum à puerili ludo, in quo Sparteum funem in diversa trahunt. Ludit autem in verbo *tenetis*, quod hoc loco significat *scitis*, & eo abutitur, quasi significet, *manu tenetis*.

123. *Ornabor.*] Recipit se histrio, qui proloquitur à Scena, in postscenium, ut vestes scenicas assumat.

128. *Valete.*] Non est vox dimittentis spectatores, sed eis fausta comprecantis.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

AGORASTOCLES cum Milphione deliberat de ulciscenda crudelitate Lyci, qui impedimento est & suis & Adelphasii amoribus. Milphio architectatur fraudem contra eundem Lycum.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

MILPHIO, ut hero amanti Agorastocli succurrat, excogitat fraudem adversus Lycum lenonem, suppositio Collybisco Agorastoclis villico, pro peregrino quodam, quem deinde ab lenone, cum ingenti mulcta, repetat.

AGORASTOCLES adolescens, MILPHIO servus.

AGORASTOCLES.

SÆpe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consilii,
Quas tu sapienter, doctè, & cordatè, & catè
Mihi reddidisti opiparas operâ tuâ.
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas grates gratias.
MI. Scitum'st, per tempus si obviam it, verbum vetus:

INTERPRETATIO.

AG. *Milphio, ego te jussi plerumque obire negotia complura implicata, difficilia, & in quibus opus esset industriâ, quæ facta sunt tua ope, ingenio, industriâ, constantiâ, & prudentiâ, felicia. Pro quibus meritis confiteor me tibi debere & libertatem, & magnas gratiarum actiones.* MI. *Si antiquum adagium afferatur tempestivè est festivum.*

ANNOTATIONES.

2. *Dubias.*] Id est, dubii eventus.

Egenas.] Id est, in quibus obeundis indiges alienâ ope, & cares.

Inopiosas.] Id est, in quibus obeundis inops es consilii; forsitan *egenas* consilii intelligendum est, ut *inopiosas*, seu *inopes consilii*, quasi dicas *egenas inopésque consilii*. Neque enim obest, quod parum ab invicem distent duæ illæ voces. Hoc in hoc autore licentiâ Comicâ plerúmque fit, ut voces multæ conferantur in unum locum pro una.

3. *Sapienter.*] *Sapienter, doctè, cordatè, catè*, Voces sunt, quæ, si ratio habeatur ejus de quo dicuntur, id est, servi nequam, idem fermè significant.

4. *Opiparas.*] *Opiparas* videtur alludere ad *opem*, quam sibi tulit Milphio, & idcircò conjungere cum *operâ tuâ*. Quasi dicat sibi *opem paravisse*. Ut opponat *opiparas res egenis, inopibus.*

6. *Grates gratias.*] Promiscuè utitur Plautus utroque hoc vocabulo. Quare quo consilio ponat utrumque, non est facilè judicare. Sunt qui pro *gratias* ponunt *gratas*. Forsitan ex utroque conflandum est unum, quasi sit à *grates-gratia*, *grates-gratiarum*.

7. *Per tempus obviam it.*] Id est, *si tempestivè usurpetur.* Hoc loco notat servus sibi esse promissam à domino libertatem, jam à longo tempore; itaque vo-

Nam tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,
Gerræ germanæ, atque edepol liræ liræ.
Nunc mihi blandidicus es; heri in tergo meo
Tris facilè corios contrivisti bubulos.
AG. At amans per amorem si quid feci, Milphio,
Ignoscere id te mihi æquum est. *MI.* haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo. sine te verberem,
Item ut tu mihi fecisti, ob nullam noxiam:
Post id locorum tu mihi amanti ignoscito.
AG. Si tibi lubido est aut voluptati, sino,
Suspende, vinci, verbera, auctor sum, sino.
MI. Si auctoritatem posteà defugeris,
Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.
AG. Egóne istuc ausim facere præsertim tibi?
Quin si feriri video te, extemplò dolet.
MI. Mihi quidem hercle. *AG.* imò mihi. *MI.* istuc mavelim.
Sed quid nunc tibi vis? *AG.* cur ego apud te mentiar?
Amo immodestè. *MI.* meæ istuc scapulæ sentiunt.

INTERPRETATIO.

Nam per ædem Pollucis habeo tuas assentationes pro meris nugis, quod aiunt, merisque deliramentis. Nunc me compellas blandè: hesternâ die comminuisti facilè tres pelles bubulas, in meo tergo. AG. *Sed, Milphio, si egi quippiam amoris impatientia, est par te mihi id condonare.* MI. *Nihil est æquius. Ego jam intereo amore. Patere ut te verberibus excipiam, sicut tu me excepisti ob nullam culpam: posteà tu mihi condona amanti.* AG. *Patior si tibi libet, aut placet, suspende, constringe, cede loris, suadeo, feram.* MI. *Si postea negaveris* me fecisse *tuo jussu, ego pendebo, quando ero solutus.* AG. *Egóne audeam id committere præsertim in te? Quin si conspicio te plecti, statim redundat in me dolor.* MI. *Non in te profectò, sed in me.* AG. *Imò in me.* MI. *Vellem ita esset. Sed quid vis* dicere *nunc?* AG. *Non est quod dissimulem tecum. Amo perdite.* MI. *Mei humeri sentiunt istud.*

ANNOTATIONES.

cat id *verbum vetus*, id est, promissum vetus. Et quia trito ferebatur adagio *verbum vetus* esse scitum, si tempestivè usurpetur, servus innuit domino, non tempestivè usurpari *verbum vetus*, id est, vetus libertatis promissum, tum quum opera indiget.

9. *Gerræ.*] *Gerræ* sunt crates vimineæ pellucidæ. Translatum ad significandam orationem futilem, in quâ nihil sit admodum solidi. *Gerræ germanæ* dicuntur, *veræ gerræ.*

9. *Liræ liræ.*] *Liræ* est à Græco λῆροι λῆροι, quod idem est ac, *nugæ nugæque*: nonnulli putant à liræ esse *delirare*, in quo *de* auget. Quare autem *liræ* repetatur, difficilè est dicere, nisi ad animi affectum significandum, quo fit etiam, ut sit Ellipsis verbi.

13. *Haud vidi magis.*] Vox est Milphionis elevantis excusationem heri. Quasi dicat, *haud vidi magis æquum.* Quia dixit herus, *ignoscere id te mihi æquum est.* Respondet per ironiam, *haud vidi magis. Cela est fort raisonnable.*

22. *Extemplò dolet.*] Id dicit Agorastocles Milphioni, ut ostendat domini in servum amorem. Respondet servus non *tibi dolet*, sed *mihi dolet.* Agorastocles inculcat idem, *imò, Milphio, non tibi dolet, sed mihi.* Respondet Milphio illuc mavelim, id est, *mallem tibi dolere quam mihi.*

AG. At ego hanc vicinam dico Adelphasium meam,
Lenonis hujus meretricem majusculam.
MI. Jampridem equidem istuc ex te audivi. *AG.* differor
Cupidine ejus. sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutum'st lutulentius.
MI. Vin' tu illi nequam dare nunc? *AG.* cupio. *MI.* en! me dato.
AG. Abi dierectus. *MI.* dic mihi verò seriò:
Vin dare malum illi? *AG.* cupio. *MI.* hem! eundem me dato:
Utrumque faxo habebit, & nequam & malum.
AG. Jocare. *MI.* vin' tu illam hodie sine damno & dispendio
Tuo, tuam libertam facere? *AG.* cupio, Milphio.
MI. Ego faciam ut facias. sunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippi. *AG.* sexcenti quoque.
MI. Satis sunt trecenti. *AG.* quid iis facturus? *MI.* tace.
Totum lenonem tibi cum totâ familiâ
Dabo hodie dono. *AG.* quid facturus? *MI.* jam scies.
Tuus Collybiscus nunc in urbe'st villicus,
Eum hic non novit leno. satin' intellegis?
AG. Intellego hercle: sed quò evadas nescio.
MI. Non scis? *AG.* non hercle. *MI.* at ego jam faxo scies.

INTERPRETATIO.

AG. *Sed ego dico hanc vicinam meam Adelphasium adultiorem meretricem, quæ pertinet ad hunc lenonem.* MI. *Profectò ego jamdudum accepi istud ex te.* AG. *Discrucior ejus cupiditate; sed cœnum non est magis cœnum isto lenone Lyco ejus domino.* MI. *Visne tu illi infligere malum?* AG. *Volo.* MI. *Ecce! dato me illi.* AG. *Apage furcifer.* MI. *Dic mihi verò seriò: visne illi impingere malum?* AG. *Opto.* MI. *Hem! dato me eundem ei. Efficiam ut habeat utrumque, & nequam & malum.* AG. *Jocaris.* MI. *Visne tu illam efficere hodie, tuam libertam, citra tuum sumptum & detrimentum?* AG. *Volo, Milphio.* MI. *Dabo operam ut id assequaris. Habes apud te trecentos nummos aureos Philippeos.* AG. *Imò sexcentos.* MI. *Trecenti sufficiunt.* AG. *Quid ages?* MI. *Tace. Tibi tradam hodie lenonem totum, cum universâ familiâ.* AG. *Quid ages?* MI. *Intelliges modò. Tuus villicus Collybiscus est nunc in urbe; hic leno non eum novit. Audisne recte?* AG. *Per Herculem audio: sed ignoro quo id evadat.* MI. *Nescis?* AG. *Nescio per Herculem.* MI. *Sed ego dabo operam ut intelligas.*

ANNOTATIONES.

27. *Lenonis hujus meretricem.*] Id est, Meretrix quæ pertinet ad lenonem. Meretrix autem dicitur Adelphasium, non quod non esset virgo; sed quod hoc nomine, seu potius hoc convitio notarentur, qui ad ejusmodi homines pertinerent, seu apud eos commorarentur.

31. *Me dato.*] Rogaret Milphio, *visne dare nequam lenoni.* Reponit se cupere admodum Agorastocles. Subjicit Milphio *me dato*, quia videlicet sum *nequam*. Volebat autem dari *nequam* lenoni Agorastocles, id est, *incommodum*, non *nequam hominem*: inde captat risum Milphio.

41. *Quid facturus.*] Suspicio est duas voces *qui id* in unam coaluisse ignorantiâ, seu incuriâ librarii, & positum *quid*,

Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat:
Dicatque se peregrinum esse ex alio oppido,
Se amare velle, atque obsequi animo suo.
Locum sibi velle liberum præberier,
Ubi nequam faciat clàm, ne quis sit arbiter.
Leno ad se accipiet auri cupidus illicò:
Celabit hominem & aurum. *AG.* consilium placet.
MI. Rogato, servos venerit ne ad eum tuus.
Ille me censebit quæri. continuò tibi
Negabit. quid tu dubitas, quin extemplò
Dupli tibi auri & hominis fur leno siet?
Neque id unde efficiat, habet. ubi in jus venerit,
Addicet Prætor familiam totam tibi.
Ita decipiemus foveà lenonem Lycum.
AG. Placet consilium. *MI.* imò etiam, ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude'st.
AG. Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Aphrodisia hodie sunt. *MI.* scio hoc. *AG.* oculos volo
Meos delectare munditiis meretriciis.
MI. Hoc primùm agamus, quod consilium cepimus.

INTERPRETATIO.

Ei danda est pecunia, ut deferat ad lenonem: dicátque sese venisse ex alia urbe, se velle amare & obsequi suæ voluptati. Velle sibi dari locum liberum, in quo agat, quod volet clàm, ne sit ullus testis. Leno cupidus pecuniæ accipiet illicò hominem ad se: eum celabit & pecuniam. AG. *Consilium est lepidum.* MI. *Pete ab eo, utrum tuus servus venerit ad eum: ille arbitrabitur me peti à te, dicet exemplò, me non venisse. Quid tu dubitas, quin statim leno damnetur furti duplicis, auri videlicet, & hominis? Neque habet unde sese expediat. Ubi venerit in jus, Prætor addicet tibi totam familiam. Ita impellemus Lycum lenonem in foveam.* AG. *Rectè consulis.* MI. *Imò etiam, quando magis acuravero, tum potiori jure dices; hoc est etiamnum impolitum.* AG. *Vado ad templum Veneris, nisi vis aliquid, Milphio. Sunt hodie Aphrodisia.* MI. *Hoc teneo.* AG. *Volo oblectare meos oculos cultu meretricum.* MI. *Operam demus anteà huic consilio, quod instituimus.*

ANNOTATIONES.

50. *Ne quis sit arbiter.*] Nimirum libido secessum quærit & latebras. Quo apparet impressam esse divinitùs communi naturæ legem, quæ ne Ethnicâ quidem ignorantiâ, obliterari potuit.

57. *Neque id unde efficiat habet.*] Servi corruptor alieni aut receptator, si negaret repetenti domino, duplò mulctabatur, tanquam Plagiarius. Deinde & si quis deprehensus fuisset habere domi alienum servum, sive ille negaret, sive non negaret, edicto Prætoris etiam duplò mulctabatur. Hinc tota pendet fraus Milphionis, Et hanc Lyco fodit foveam.

59. *Decipiemus foveâ.*] Alludit ad Lyci nomen, quod, ut supradictum est, lupum significat. Quia lupi fermè capiuntur in foueis, quæ ipsis fodiuntur.

60. *Ubi expolivero.*] Id est, fraudem alia, atque alia ratione expoliam, & indeclinabiliorem Lyco reddam.

Abeamus intrò, ut Collibyscum villicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
AG. Quanquam Cupido in corde versatur, tamen
Tibi auscultabo. *MI.* faciam ut facto gaudeas.
Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam potest.
Itáque hic scelestus est homo leno Lycus,
Cui jam infortunii intenta ballista est probè,
Quam ego haud multo pòst mittam è ballistario.
Sed Adelphasium eccam exit, atque Anteraștilis.
Hæc est prior, quæ meum herum dementem facit.
Sed evocabo. heus! i foràs, Agorastocles,
Si vis videre ludos jucundissimos.
AG. Quid istuc tumulti'st, Milphio? *MI.* hem! amores tuos
Si vis spectare. *AG.* ô multa tibi di dent bona,
Cùm mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum.

INTERPRETATIO.

Abeamus intrò, ut instituamus Collybiscum villicum ad instruendum hunc dolum. AG. *Tametsi animus teneatur cupiditate, tamen tibi morem geram.* MI. *Dabo operam, ut hæc fallacia voluptatem afferat. Ille habet labem amoris in pectore inustam, quæ nullo modo potest abstergi, sine magno detrimento. Itaque Lycus leno scelestus est, in quem telum lathale est jam intentum, quod vibrabo modò in eum è ballistario. Sed ecce Adelphasium exit, & Anteraștilis. Est illa prior, quæ reddit meum herum insanum. Sed evocabo. Heus! Veni foràs, Agorastocles, si vis videre suavissimos ludos.* AG. *Quis est ille tumultus, Milphio?* MI. *Hem! Si libet cernere tuos amores.* AG. *Dii tibi imperiant multa bona, quando mihi ostendisti hoc spectaculum tam festivum.*

ANNOTATIONES.

74. *E ballistario.*] *Balista* tormentum erat bellicum & interdum *tragulam*, vel *sagittam* significabat. *Balistarium* autem erat locus, unde *Balistæ* mittebantur.

76. *Hæc est prior.*] Id est, Adelphasium.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

EUNTIBUS ad fanum Veneris Adelphasio & Anteraștili, unâ pidissequâ comite, it obviam Agorastocles cum Milphione servo. Adelphasium exprobrat Agorastocli, quòd non semel juraverit se esse eam liberaturum, nec steterit promissis. Agorastocles sese purgat, quantum in se est.

ADELPHASIVM, ANTERASTILIS meretrices duæ. MILPHIO servus. AGARASTOCLES adolescens. ANCILLA.

ADELPHASIVM.

NEGOTII sibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem, hæc duo comparato:
Nam nullæ magis res duæ plus negotii
Habent, fortè si occeperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.
Atque hæc ut loquor, nunc modò docta dico.
Nam nos usque ab aurorâ ad hoc quod diei est,
Ex industriâ ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & unà
Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo, operam dederunt:
Aggerundáque aquâ sunt viri duo defessi.
Apagesis, negotii quantum in muliere unâ est!
Sed verò duæ, sat scio, maximo uni
Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt.

INTERPRETATIO.

AD. *Qui sibi proposuerit sibi quærere multa negotia, quærat has duas res, navem & mulierem. Nam non sunt duæ res in quibus sit plus negotiorum, si aggrediaris eas adornare. Nam nunquam satis adornantur, nunquam illis sufficit ulla copia ornamentorum. Atque id quando dico, nunc dico experta mox. Nam à prima luce, ad hanc horam, nos ambæ data opera nullum tempus intermisimus in lavando, aut fricando, aut tergendo, aut ornando, poliendo, expoliendo, pingendo, fingendo: & simul duæ ancillæ, quæ sunt datæ utrique nostrum, incubuerunt nobis lauandis, eluendis: & duo viri sunt defatigati in comportanda aqua. Apage! Quot sunt molestiæ in unâ muliere? Sed duæ, sine dubio, possunt exhibere plus æquo negotii, uni maximo populo cuivis.*

ANNOTATIONES.

7. *Nunc modò docta dico.*] Id est, experientiâ domesticâ docta & propriâ.

11. *Pingi, fingi.*] Metaphora à picturâ & statuariâ, aut figulari.

14. *Aggerundâ aquâ.*] Festus: *Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi assectæ: iis enim tanquam amorum internunciis solebant uti mulieres.* Juvenalis: *Veniet conductus aquarius.* *Aquarioli* dicti προπροδιδάσκοι. *Aquaculat*, id est, *lenocinatur.* Dicebantur & *aquarii*, *Bacariones* à *Bacarione* vasis genere longiore manubrio, quo utebantur ad jactandam in lavantes aquam. Est pelvis noster, à pelluendo. Alii trullam appellant.

17. *Potis sunt.*] Alii *potes sunt*, id est, *sunt potes*, *sum potis*, *es potis*, *sit potis*, & *potissit*, uno ex duobus facto. Unde *possum*, quasi *pos sum*; ut etiamnum dicimus, *impos*, *compos*.

Quæ noctes diesque omni in ætate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Postremò MODUS MULIEBRIS nullus est,
Neque unquam lavando & fricando scimus
Facere* nam quæ lavata est, nisi
Perculta est, meo quidem animo, quasi illauta est.
AN. Miror equidem, soror, te istæc sic fabulari,
Quæ tam callida & docta sis & faceta.
Nam cùm sedulò munditer nos habemus,
Vix ægrèque amatorculos invenimus.
AD. Ita est. verùm hoc unum tamen cogitato:
MODUS OMNIBUS in rebus, soror, optimum est habitu.
NIMIÀ OMNIA nimium exhibent negotium hominibus ex se.
AN. Soror cogita, amabo, item nos perhiberi,
Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore, & sine suavitate:
Nisi multâ aquâ usque & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis: item nos sumus
Ejus seminis mulieres. sunt insulsæ
Admodum atque invenustæ sine munditiâ & sumptu.
MI. Coqua est hæc quidem, Agorastocles, ut ego opinor:
Scit muriatica ut maceret. *AG.* quid molestus?

INTERPRETATIO.

Nimirum in omni vitâ noctu diúque ornantur semper, lavantur, terguntur, poliuntur. Denique mulier nullum modum sibi præscribit, neq; unquam facimus modũ lavandi & fricandi. Nam ea quæ est lauta, nisi sit exculta, meo quidem judicio, est quasi illauta. AN. *Miror equidem soror hæc à te dici, utpotè quæ es adeò cauta & erudita & festiva. Nam quando nos exornavimus diligenter, vix ac ne vix quidẽ reperimus amatores.* AD. *Ita est. Verum tamen cogita hoc unum. Esse optimum tenere modum in omnibus rebus. Omnia nimia faceſſunt ex ſeſe nimium negotii hominibus.* AN. *Memento, quæſo, soror, nos, æſtimari etiam ſicut piſces muriâ conditos, ſine ullo guſtu, & ſine ſuavitate: niſi merſi fuerint largâ aquâ diu & ſemper,* grave *olent, ſunt ſalſa,* ita *ut eos nolis contingere: nos mulieres ſumus hujus generis. Sunt valde ſtolidæ, atque inelegantes, ſine exquiſito cultu & ſumptu.* MI. *Hæc quidem eſt coqua, Agoraſtocles, ut ego exiſtimo: novit quomodo mergantur* piſces *muriâ.* AG. *Quare moleſtus es?*

ANNOTATIONES.

22. *Scimus facere.*] Id est, *modum.*

23. *Illauta.*] Aliis *illuta:* unde *odor illutibilis.* Apuleius: *Illutibarbus*, id est, *illautâ & ſordidâ barbâ.*

27. *Amatorculos.*] Id est, non admodum fructuosos.

32. *Muriatica.*] *Muria* piscium salsorum, & condimentis incoctorum liquor. *Muria* est præsertim Thynnorum, *garum.* Muria est ex scombris profluens: *muria* pauperum erat; *garum* divitum. *Muria* etiam significat aquam salsam, in quâ quidvis immergitur, ut contra putredinem conservetur, qualis est cucumis, portulaca, saxifragus, & alia quæ servantur incorrupta.

36. *Ejus seminis.*] Id est, *ejuſmodi, ejus generis.*

37. *Invenustæ.*] Invenustus pro eo, qui parum in amore fœlix est, sumitur.

40 *AD.*

AD. Soror parce amabo! sat est istuc alios dicere nobis,
Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur.
AN. Quiesco. *AD.* ergo amo te. sed hoc nunc responde mihi.
Sunt hîc omnia quæ ad deûm pacem oportet adesse?
AN. Omnia accuravi. *AG.* diem pulcrum & celebrem & venustatis plenum!
Dignum Veneri pol, cui sunt Aphrodisia hodie!
MI. Ecquid gratiæ, cùm huc foras te evocavi? num jam
Me decet cado donari vini veteris? dic dari.
Nihil respondes? lingua huic excidit, ut ego opinor. quid, hic, malùm,
Astans obstipuisti? *AG.* sine amem! ne *me* obturba, ac tace.
MI. Taceo. *AG.* si tacuisses, jam istuc Taceo non natum foret.
AN. Eamus mea soror. *AD.* eho! amabo, quid illò nunc properas? *AN.* rogas?
Quia herus nos apud ædem Veneris mantat. *AD.* maneat pol, mane.
Turba est nunc apud aram. an te ibi vis inter istas versarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,

Interpretatio.

AD. *Soror, ignosce, quæso; sufficit alios nobis id exprobrare, ne pervulgemus etiam nosmet nostra probra.* AN. *Nihil addam.* AD. *Hoc magis te diligo. At jam id mihi aperi. Suntne hîc universa quæ esse decet ad Deos placandos?* AN. *Comparavi universa.* AD. *O festivum diem & solennem, & plenum amœnitatis! Dignum Venere, per Pollucem, cujus celebrantur hodie Aphrodisia!* MI. *Quas gratias, mihi rependes, quia huc te vocavi? Nonne oportet me affici cado vini veteris? Dic mihi tradi. Nihil reponis? Vox huic præclusa est, sicut ego arbitror. Quare, malum, attonitus hic hæsisti?* AG. *Patere me amori operam dare! Ne mihi obstrepas, ac sile.* MI. *Sileo.* AG. *Si non loquutus esses, illud Sileo non jam natum esset.* AN. *Pergamus, mea soror.* AD. *Eho! quæso, quid acceleras nunc illuc?* AN. *Postulas? Quia herus nos exspectat apud fanum Veneris.* AD. *Sta, per Pollucem, sta; est jam turba ad aram. Libétne conspici illic inter ista prostibula, amicas pistorum, reliquias pistrinorum,*

Annotationes.

45. *Aphrodisia.*] A nomine Græco, ἀφρὸς, *spuma. Aphrodisia*, festum Veneris. *Aphrodisium jusjurandum*, pro inani jurejurando. *Aphrodisia opera*, pro lascivis & amatoriis.

47. *Cado vini.*] Moris erat apud antiquos, ut vinum læta nunciantibus propinarent. Itaque Milphio cadum vini petit ab Agorastocle, quia eum evocavit, ut videret amicam.

49. *Astans obstipuisti.*] Alii *obticuisti*, quasi dicat, *obstupuisti*, & *pra stupore tacuisti.*

54. *Prosedas.*] A *prosedendo* in meretriis, vel fornicibus. Isidorus: *prostibula meretrices dicuntur quòd ante stabulum stant, quæstus diurni atque nocturni gratiâ.* Horatius: *Nullam nisi olenti in fornice stantem.* Tertullianus: *Lupanar est consistorium libidinum publicarum.* Erant & *sellaria* meretrices, quæ *sedentes* expectabant amatores. Erant etiam, quæ vocabantur *Alicaria*. Festus: *Alicaria meretrices appellabantur in Campania, solita ante pistrina Alicariorum versari quæstus gratiâ.* Idem: *Alica dicitur pistrinum, quòd alit corpus.*

BIBLIOTECA UNIVERS... GRAN...

Miseras, schœno delibutas, servulicolas sordidas?
Quæ tibi olant stabulum statumque; sellam & sessibulum merum:
Quas adeò haud quisquam unquam liber tetigit, neque duxit domum:
Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.
MI. I in malam crucem! tun' audes etiam servos spernere?
Propudium, quasi bella sit, quasi eámpse reges ductitent;
Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat:
Qojus ego *vel* nebulæ cyatho septem noctes non emam.
AG. Dii immortales omnipotentes, quid est apud vos pulcrius?
Quid habetis, mage quî immortales vos credam esse, quàm ego siem?
Qui hæc tanta oculis bona concipio! nam Venus non est Venus.
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitiá.
Milphio, heus! Milphio, ubi es? *MI.* assum apud te eccum!
AG. ego elixus sis volo.
MI. Enim verò, here, facis delicias. *AG.* de te quidem hæc didici omnia.
MI. Etiámne ut ames eam, quam nunquam tetigeris? nihil illic quidem est.

Interpretatio.

infœlices, infectas luto, sordidas amicas mancipiorum? Quæ oleant stabulum & stationem, sellam & lupanar verum: ad quas nullus unquam liber accessit, neque duxit domum: meretrices diobolares mancipiorum sordidorum. MI. *I in malam crucem! Tu audes etiam contemnere servos? Propudium, quasi sit formosa, quasi reges eam depereant: monstrum mulieris! quæ cum tam parva sit, jactat tam magnifica verba; cujus ego non emam septem noctes, vel cyatho nebulæ.* AG. *Dii immortales omnipotentes! quid est formosius apud vos? Quid est vobis, quo putem vos esse magis immortales, quàm ego sim? Qui haurio oculis tanta bona! Nam Venus non est Venus. Venerabor equidem hanc Venerem, ut deinceps me amet propitia. Milphio, heus! Milphio, ubi es?* MI. *Assum apud te, ecce.* AG. *Ego volo sis elixus.* MI. *Profectò, here, jocaris.* AG. *Profectò id me docuisti.* MI. *Didicistine etiam ut hanc depereas, quam numquam tetigeris? Profectò nihil est id.*

Annotationes.

55. *Schœno delibutas servulicolas.*] Antiqui dicebant *schœnum*, pro *scœnum*; *stœlum*, pro *cœlum*; *scœna*, pro *cœna*. *Obscœnus*, quasi *cœno* inquinatus. Servulicolæ autem dicuntur, quæ sese ipsis servis dedunt.

58. *Scorta diobolaria.*] Quæ sese pro duobus obolis prostituebant.

62. *Qojus ego vel nebulæ Cyatho.*] *Nebulam* pro re levi, & nullius momenti ponebant. Unde & *nebulones*. Persius: *Grande locuturi nebulas Helicone leguntò*, id est, nugas & inania figmenta, qualium est fœcundum Poëtarum cerebrum.

67. *Ego elixus sis volo.*] Ludit in voce *assum*, jamjam dicta à Milphione, quæ mox verbum est, & significat *adsum*, mox nomen, & significat *assam rem*.

68. *Delicias facis.*] Id est, *jocaris*. Verniliter subjicit responsionem Agorastocles, & id à Milphione didicisse profitetur. Quasi dicat non est heri serviles adhibere jocos; sed id ex te didici.

AG. Deòs quoque edepol & amo & metuo, quibus ego tamen abſtineo manûs.
AN. Heu! ecaſtor, cùm ornatum aſpicio noſtrûm ambarum, pœnitet
Exornatæ ut ſimus. *AD.* imò verò ſanè commodè.
Nam pro herili & noſtro quæſtu ſatis bene ornatæ ſumus.
„ Non enim POTEST QUÆSTUS conſiſtere, ſi eum ſumptus ſuperat, ſoror.
Eò illud ſatiu'ſt ſatis quod ſatis eſt, habitus plus quàm ſat eſt.
AG. Ita me dî ament, ut illa me amet malim, quàm dî, Milphio.
Nam illa mulier lapidem ſilicem ſubigere, ut ſe amet, poteſt.
MI. Pol id quidem haud mentire. nam tu es lapide ſilice ſtultior,
Qui hanc ames. *AG.* at vide ſis, cùm illâ nunquam limavi caput.
MI. Curram igitur aliquò ad piſcinam, aut lacum; limum petam.
AG. Quid eo opu'ſt? *MI.* ego dicam: ut illi & tibi limem caput.
AG. I in malam rem! *MI.* ibi ſum equidem. *AG.* pergis? *MI.* taceo. *AG.* at perpetuò volo.
MI. Enimverò, here, meo me laceſſis ludo, & delicias facis.
AN. Satis nunc lepidè ornatam credo, ſoror te tibi videri;
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium, ſi quam ornatam melius fortè conſpexeris.
AD. Invidia in me nunquam innata'ſt, neque malitia, mea ſoror.
„ BONO INGENIO ME eſſe ornatam, quàm auro multo mavolo.

INTERPRETATIO.

AG. *Per ædem Pollucis, & diligo & timeo etiam Deos, quos tamen non attingo.* AN. *Heu! per ædem Caſtoris, quando aſpicio noſtrum cultum, pudet quod ſumus ſic exultæ.* AD. *Imò verò profectò benè. Nam ſumus ſatis eleganter cultæ pro lucro heri & noſtro. Nam lucrum non poteſt ſibi conſtare, ſoror, ſi ſumptus id vincit. Illud ſatis, quod eſt ſatis, eſt ſatius, quando habetur, quàm quod eſt pluſquam ſatis.* AG. *Per Deos juro, me malle ab illa amari, quàm à Diis, Milphio. Nam illa mulier poteſt cogere rupem ad ſui amorem* MI. *Per Pollucem, non falleris: nam tu es hebetior ſaxo, qui hanc depereas.* AG. *Sed vide, ſi vis, nunquam limavi caput cùm illâ.* MI. *Pergam igitur aliquò, ad piſcinam, aut lacum, quæſitum limum.* AG. *Quare?* MI. *Ego aperiam; ut eo limem caput & tuum, & illius.* AG. *I in malam crucem!* MI. *Equidem ſum illic jam.* AG. *Adhuc loqueris?* MI. *Sileo.* AG. *Sed mando ſemper* taceas. MI. *Nimirum, here, me provocas meo ludo & jocaris.* AN. *Arbitror, ſoror, te exiſtimare, te ſatis ſcite eſſe cultam: ſed quando comparabuntur tecum aliæ mulieres, tunc dolebis, ſi forſitan videris aliquam concinnius excultam.* AD. *Invidiam nunquam animo concepi, neque nequitiam, mea ſoror; malui me ornari bonâ indole, quàm auro.*

ANNOTATIONES.

79. *Limavi caput.*] *Limare*, ſeu *collimare* caput eſt *conjungere, conterere.*

81. *Ut illi limem caput.*] Id eſt, *limo*, ſeu *cœno inquinem*, ſumpto jocandi argumento à *limando*, quaſi ſit à *limo, as.*

82. *At perpetuò volo.*] Id eſt, *ut ſileas perpetuò*, quod eſt hominis mortui: unde Milphio reponit domino; *laceſſis me ludo meo*, id eſt, *verniliter cum verna jocaris.*

„AURUM IN FORTUNA invenitur, naturâ ingenium bonum.
„BONAM EGO QUAM beatam me esse nimio dici mavolo.
„MERETRICEM PUDOREM gerere magis decet, quàm purpuram:
Magisque meretricem pudorem, quàm aurum gerere condecet.
„PULCRUM ORNATUM turpes mores pejus cœno collinunt.
„LEPIDI MORES turpem ornatum facilè factis comprobant.
AG. Eho tu! vin tu facinus facere lepidum & festivum? *MI.* volo.
AG. Potésne mihi auscultare? *MI.* possum. *AC.* abi domum, ac suspende te.
MI. Quamobrem? *AG.* quia jam nunquam audibis verba tot tam suavia.
Quid tibi opu'st vixisse? auscultа mihi modò, ac suspende te.
MI. Siquidem tu es mecum futurus pro uvâ passâ pensilis.
AG. At ego amo hanc. *MI.* at ego esse & bibere. *AD.* eho tu! quid ais? *AN.* quid rogas?
AD. Viden' tu', pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi? [dexteram.
AN. Imò etiam in medio oculo paullum sordi'st. *AD.* cedò sis
AG. Ut tu quidem hujus oculos illotis manibus tractes ac teras?
AN. Nimia nos socordia hodie tenuit. *AD.* quâ de re, obsecro?
AN. Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram. *AD.* ah, non facto est opus:
Quæ habent nocturna ora, noctu sacrificatum ire occupant:

INTERPRETATIO.

Reperitur aurum in fortunâ secundâ, indoles in naturâ: ego malo haberi bona, quàm fortunata. Præstat mulierem præferre verecundiam, quàm purpuram: præstat mulierem fulgere pudore, quàm auro. Mores obscœni inquinant magis quàm lutum elegantem cultum. Mores sciti emendant facilè factis insitum cultum. AG. *Heus tu! Visne tu exhibere aliquid scitum & elegans?* MI. *Volo.* AG. *Potesne mihi præbere aurem?* MI. *Possum.* AG. *Proficiscere domum, ac te suspende.* MI. *Quare?* AG. *Quia numquam audies deinceps tot dicta tam jucunda. Quid opus est tibi vitâ? Præbe mihi aurem modò, ac te suspende.* MI. Ibo *si tu pendebis mecum, sicut uva passa.* AG. *Sed ego hanc amo.* MI. *At ego* amo *edere & bibere.* AD. *Heus tu! quid ais?* AN. *Quid petis?* AD. *Aspice; oculi qui* mox *sordebant, jam splendent?* AN. *Imò est adhuc parum sordis in medio oculo.* AD. *Da, si placet, manum.* AG. *Ut tu attrectes ac atteras hujus oculos manibus sordidis?* AN. *Nimis pigra fuimus hodie.* AD. *Quare amabo?* AN. *Quia non venimus multò antequam illuxisset ad fanum Veneris, ut accenderemus primæ ignem ad aram.* AD. *Ah! non est opus facere: qui habent vultum nocte obvelandum, accelerant ire ad sacrificandum noctu:*

ANNOTATIONES.

90. *Quam beatam.*] Beatos olim vocabant, qui abundarent opibus.

99. *Pro uvâ passâ.*] Alludit ad uvas, quæ suspenduntur vertente autumno, ut passæ fiant, & usui sint in reliquum annum. Inde *passi* senes dicuntur *sicci* & *exangues.*

107. *Nocturna ora.*] *Nocturna ora*, & *nocturni oculi*, sunt deformes noctuque non interdiu ostendendi, quique mali sint ominis, ut noctuæ.

Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulò
Sacrificare. nam vigilante Venere si veniant eæ,
Ita sunt turpes, credo ecastor Venerem ipsam è fano fugent.
AG. Milphio. *MI.* edepol Milphionem miserum! quid nunc vis tibi?
AG. Obsecro hercle; ut mulsa loquitur! *MI.* nihil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.
AG. Ecquid amare videor? *MI.* damnum, quod Mercurius minimè amat.
AG. Namque edepol LUCRUM AMARE nullum amatorem addecet.
AN. Eamus, mea germana. *AD.* age sis ut iubet. sequere hâc.
AN. sequor. [salva sis.
AG. Eunt hæ. quid si adeamus? *MI.* adeas. *AG.* primùm, prima
Et secunda tu secundo salve in pretio: tertia
Salve extra pretium. *ANC.* tum pol ego & OLEUM ET OPERAM PERDIDI.
AG. Quò te agis. *AD.* egone? in ædem Veneris. *AG.* quid eò?
AD. ut Venerem propitiem.
AG. Eho! an irata est? propitia hercle est. vel ego pro illâ spondeo.
AD. Quid tu agis? quid mihi molestus, obsecro? *AG.* ah! tam sæviter.
AD. Mitte amabo. *AG.* quid festinas? turba nunc illî est. *AD.* scio:
Sunt illî aliæ, quas spectare ego, & me spectari volo.

INTERPRETATIO.

Festinant diligenter sacrificare, antequam Venus excitetur à somno. Nam si eæ accedant Venere excitatâ, sunt adeò deformes, ut, puto Ecastor, erumpere cogant è templo ipsam Venerem. AG. *Milphio.* MI. *Per ædem Pollucis Milphionem infœlicem! Quid tibi vis?* AG. *Quæso per Herculem, ut loquitur lepida puella!* MI. *Nihil loquitur, nisi laterculos* pistorios, *sesamum, triticum, papaver, & nuces frictas.* AG. *Quid arbitraris me amare?* MI. *Detrimentum, quod Mercurius non amat.* AG. *Per ædem Pollucis nullum oportet amatorem amare quæstum.* AN. *Eamus, mea soror.* AD. *Age, si vis, ut placet. Sequere hâc.* AN. *Sequor.* AG. *Hæ pergunt. Quid si ad eas accedamus?* MI. *Accede.* AG. *Primùm, salve prima, & tu altera, salva sis secundo gradu: salve tertia sine gradu.* ANC. *Per Pollucem ego perdidi oleum & operam.* AG. *Quò pergis.* AD. *Egone? In fanum Veneris.* AG. *Cur illò?* AD. *Ut placem Venerem.* AG. *Eho! Estne irata? Per Herculem favet: vel ego vadem me præsto pro illâ.* AD. *Quid molitis tu? Quare me molestiâ afficis?* AG. *Ah! tam crudeliter.* AD. *Sine quæso.* AG. *Quare acceleras? Est nunc illic turba.* AD. *Non ignoro: sunt aliæ illic, quas libet cernere, & à quibus me cerni cupio.*

ANNOTATIONES.

112. *Laterculos.*] *Laterculus* genus pistorii operis, à figurâ lateris sic dictus.

113. *Sesamum.*] Est & aliud placentæ dulciariæ genus è sesamo & melle. Sesamum inter frumenta numeratur à Plinio.

Frictas.] Tostas.

114. *Damnum, quod Mercurius.*] Siquidem Mercurius non damni, sed lucri Deus.

118. *Tertia.*] Pedisequa est extra pretium; id est, cum Adelphasio, quæ prima salutatur, & Anteastili quæ secunda, nullomodo est venustate comparanda.

119. *Oleum & operam.*] Quia pedisequa dederat operam, ut non minus venusta videretur quam heræ duæ.

AG. Quî lubet ſpectare turpes, pulcram ſpectandam dare?
AD. Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius. Eò conveniunt mercatores: ibi ego me oſtendi volo.
„ *AG.* INVENDIBILI MERCE oportet ultrò emptorem adducere,
„ PROBA MERX FACILE emptorem reperit, tametſi in abſtruſo ſita eſt.
Quid agis tu? quando illi apud me mecum caput & corpus copulas?
AD. Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiſerit.
AG. Sunt mihi intus neſcio quot nummi aurei lymphatici.
AD. Deferto ad me, faxo actutum conſtiterit lymphaticum.
MI. Bellula hercle! *AG.* i dierectè in maximam malam crucem.
MI. Quàm magis aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ.
AD. Segrega ſermonem! tædet. *AG.* age ſuſtolle hoc amiculum.
AD. Pura ſum: comperce, amabo, me attrectare, Agoraſtocles.
AG. Quid agam nunc? *MI.* ſi ſapias, curam hanc facere compendi potes.
AG. Quid ego nunc te curem? quid agis, Milphio? *MI.* eccè odium meum.

INTERPRETATIO.

AG. *Quomodo libet contemplari deformes, & exhibere formoſam deformibus conſpiciendam?* AD. *Quia hodie eſt mercatus puellarum apud delubrum Veneris. Mercatores eò ſeſe conferunt: libet me ibi exhiberi.* AG. *Oportet adducere ultrò emptorem, quando merx difficile vendi poteſt. Bona merx invenit facile emptorem, quamvis poſita ſit in occulto. Quid facis tu? Quando conjungeris mecum in meis ædibus?* AD. *Eo die quo Pluto dimittet mortuos ab Inferis.* AG. *Habeo domi aliquot nummos lymphaticos.* AD. *Affer mihi; dabo operam, ut ſtatim vagari deſinant lymphatici.* MI. *Lepida per Herculem!* AG. *I furcifer in maximam malam crucem.* MI. *Quò plus contemplor, hòc fucatior eſt, & magis nugæ puræ.* AD. *Ne mihi loquaris! tædet* me tui ſermonis. AG. *Age, remove hunc amictum.* AD. *Sum pura: noli, quæſo, me contingere procacius Agoraſtocles.* AG. *Quid faciam nunc?* MI. *Si ſapis, potes minus habere ſollicitudinis.* AG. *Quare ſollicitus es de meis rebus? Quid facis, Milphio?* MI. *Adeſt homo mihi inviſus.*

ANNOTATIONES.

132. *Nummi Lymphatici.*] Id eſt, qui ſe in crumenâ continere non poſſunt, hominis præſertim prodigi. Porrò *Lymphare*, idem eſt ac *oblucinare*, & utrumque ἐνθυσιάζειν; id eſt, *furore corripi: oblucinare* enim dicebant, eos qui in *lucis* lubenter verſarentur, in quibus deorum præſentiâ agitari putabantur. Unde & *Lymphati* dicebantur νυμφόληπτοι. Quaſi ii quibus Nymphæ conſpectæ eſſent.

133. *Conſiterit lymphaticum.*] Quaſi dicat Adelphaſium: *Da mihi nummos Lymphaticos; eos reducam ad meliorem mentem. Faciam ut conſiſtant in meâ crumenâ.*

135. *Eſt Nimbata.*] *Nimbus* erat faſcia frontalis. Nam frons parva inter formæ decora reputabatur. Idcirco ut minores frontes apparerent, utebantur puellæ faſciolâ quadam prætenui, quâ præcingebant frontem. Unde Arnobius: *Imminuerem frontes nimbis.*

137. *Pura ſum.*] Moris erat, ut qui ſeſe ad ſacra accingerent, magnopere cavarent ne quid committerent, quo Diis eſſe poſſent ingrati. Sic arcet à ſe Agoraſtoclem, ne contingat, & hoc contextu fiat imparata rebus ſacris Adelphaſium. Idcirco & antequam irent ad templum, lavare ſe ſolebant.

139. *Quid curem.*] Inuſitate dictum pro *quid curas? Quaſi ſit: quare curas me? Sumis de me curam? Tibi curæ procream, de me?*

Quid me vis? *AG.* cur mihi hæc irata eſt? *MI.* cur hæc irata eſt tibi?
Cur ego id curem? namque iſthæc magis tua eſt curatio.
AG. Jam hercle tu periſti, niſi illam mihi tam tranquillam facis,
Quàm mare eſt olim, cùm ibi alcedo pullos educit ſuos.
MI. Quid faciam? *AG.* exora, blandire, expalpa. *MI.* faciam ſedulò.
Sed vide ſis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas poſtea.
AG. Non faciam. *AD.* nos eamus nunc. etiam morare? male facis.
Bene promittis multa. ex multis omnia incaſſum cadunt.
Liberare juraviſti me haud ſemel, ſed centies.
Dum te exſpecto, neque uſquam aliam mihi paravi copiam:
Neque iſtuc uſquam apparet: ita nunc ſervio nihilo minus.
I ſoror. abſcede tu à me. *AG.* perii, eho! quid agis, Milphio?
MI. Mea voluptas! meæ delitiæ! mea vita! mea amœnitas!
Meus ocellus! meum labellum! mea ſalus! meum ſavium!
Meum mel! meum cor! mea coloſtra! meus molliculus caſeus!
AG. Méne ego illæc patiar præſente dici? diſcrucior miſer.
Niſi ego illum jubeo quadrigis curſim ad carnificem rapi.
MI. Noli amabo ſuccenſere hero meo cauſsâ meâ.
AD. Ego faxo: ſine! *MI.* irata es. nimium pro te dabit.
Atque te faciet ut ſis cives Attica atque libera.
AD. Quin abire ſinis? quid vis tibi? Qui bene volunt, bene vis item.

Interpretatio.

Quid me vis? AG. *Quare illa mihi eſt infenſa?* MI. *Quare hæc eſt infenſa tibi? Quid curo? Eſt magis tuum curare id.* AG. *Per Herculem tu perditus es, niſi mihi reddis illam tam placatam, quàm mare eſt, quando alcedo educit ibi ſuos pullos.* MI. *Quid agam?* AG. *Comprecare, adulare, demulce.* MI. *Agam ſedulò; ſed cave, ſi placet, ne tu hunc oratorem cædas poſtea pugnis.* AG. *Non agam.* AD. *Eamus nunc nos. Adhuc retardas? Male agis. Polliceris bene multa. Omnia recidunt in nihilum. Juraviſti non ſemel, ſed centies. me à te manumittendam. Interea dum opperior, mihi non quæſivi aliunde aliud auxilium: neque* quod pollicitus es *præſtas: itaque nihilominus ſerva ſum. Eamus, ô ſoror. Abſiſte tu à me.* AG. *Interii, eho! Quid facis, Milphio?* MI. *Mea voluptas! meæ delitiæ! mea vita! mea amanitas! meus oculus! meum labellum! meæ ſalus! meum ſavium! meum mel! meum cor! mea coloſtra! meus molliculus caſeus!* AG. *Egône feram proferri illa me ſpectante? Differor infœlix. Niſi ego impero illum trahi quadrigis citiſſime ad tortorem.* MI. *Ne iraſcaris, quæſo, meo hero propter me.* AD. *Ego faciam: linque!* MI. *Iraſceris. Numerabit pro te* pecuniam *lubentiſſimè. Et dabit operam ut tu ſis civis Attica & libera.* AD. *Quin linquis abire? Quid tibi vis? Es benevolus erga benevolos.*

Annotationes.

143. *Alcedo.*] Varro: *Hæc avis Græcè dicitur ἀλκυών, à noſtris alcedo.* Plinius: *Ante brumam ſeptem diebus, totidémque poſtea, ſternitur mare alcyonum fœturâ. Unde nomen hi dies traxêre: reliquum tempus hyemat.*

147. *Ex multis omnia incaſſum cadunt.*] Quaſi dicat, *multa promittis, & illa multa, quæ promittis, minimè impleſ, ſed omnia incaſſum ruunt.*

154. *Coloſtra.*] *Coloſtra* ſive *Coloſtrum*, lac novum in mammis.

160. *Bene vis item.*] Id eſt, *Omnes ſolent bene velle iis, qui bene volunt.*

MI. Si antè quidem mentitus est, nunc jam dehinc erit verax tibi.
AD. Abscede hinc sis, sycophanta. *MI.* pareo. at scin' quomodo?
Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium.
Jam hercule ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam.
Atque hic me ne verberet (illud faciet, nisi te propitio)
Malè formido: novi ego hujus mores morosi malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, sine te exorarier.
AG. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiæ
Exturbo oculos atque dentes. hem voluptatem tibi!
Hem mel! hem cor! hem labellum! hem salutem! hem savium!
MI. Impias, here, te! oratorem verberas. *AG.* jam istoc magis.
Et jam ocellum addam, & labellum, & linguam. *MI.* ecquid facies modi?
AG. Siccine ego te orare jussi? *MI.* quomodo ergo orem? *AG.* rogas?
Sic enim diceres, sceleste: Hujus voluptas, te obsecro:
Hujus mel, hujus cor, hujus labellum, hujus lingua, hujus savium,
Hujus colostra, hujus salus amæna, hujus festivitas,
Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, mastigia,
Hujus cor, hujus studium, hujus savium, mastigia.
Omnia illa quæ dicebas tua esse, ea memorares mea.
MI. Obsecro hercle te, voluptas hujus, atque odium meum!
Hujus amica mammeata, mea inimica & malevola!

INTERPRETATIO.

MI. *Profectò sic te fefellit antea, 'deinceps non te decipiet.* AD. *Abi hinc, sycophanta.* MI. *Abeo: at scisne qua conditione? Sine ut te obtester; sine te teneam auriculis; sine ut tibi impertiam osculum. Per Herculem ego illum reddam lachrymantem, nisi te reddo placatam, & valde pertimesco, ne hic me verberet, faciétque id nisi te placo. Ego novi malos mores hujus morosi hominis. Quapropter, quaso, mea voluptas, patere te exorari.* AG. *Ego dispeream, nisi ego excussero oculos atque dentes illi furcifero. Hem tibi voluptatem! hem mel! hem cor! hem labellum! hem salutem! hem savium!* MI. *Te incestas, here! pulsas legatum.* AG. *Addam & hoc, Et ocellum, & labellum, & linguam.* MI. *Finémne facies?* AG. *Siccine ego te mandavi orare?* MI. *Quomodo igitur orem!* AG. *Petis? Sic loquaris, improbe: hujus voluptas, te rogo: hujus mel, hujus cor, hujus labellum, hujus lingua, hujus savium, hujus salus amœna, hujus festivitas, hujus colostra, hujus dulciculus caseus, mastigia, hujus cor, hujus studium, hujus savium, mastigia. Omnia illa quæ dicebas esse tua, ut diceres ea esse mea.* MI. *Rogo te, per Herculem, hujus voluptas, atque meum odium! Amica hujus mammeata, mea inimica & malevola!*

ANNOTATIONES.

163. *Prendam auriculis.*] Veteres, eorum quos osculabantur, auriculas ambas apprehendebant.

171. *Impias te.*] Id est, *scelere te contaminas, qui oratorem, id est, legatum, contra jus gentium verberas. Impiare se,* est peccare contra religionem numinis, & indignum se reddere aditu templorum, nisi expiatione præmissâ. Porrò legati qui & *oratores*, semper habiti sunt inviolabiles.

181. *Mammeata.*] Id est, *mammosa*, Nonius.

Oculus

Oculus hujus, lippitudo mea! mel hujus, fel meum!
Ut tu huic irata ne sis: aut si id fieri non potest.
AD. Capias restim, ac te suspendas cum hero & vostrâ familiâ.
MI. Nam mihi jam video propter te victitandum sorbilo,
Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito,
Propter amorem vestrum. *AD.* amabo? men' prohibere postulas,
Ne te verberet, magis quàm ne mendax me advorsum fiet?
AN. Aliquid huic responde amabo commodè; ne incommodus
Nobis sit. nam detinet nos de nostro negotio.
AD. Verùm. etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agorastocles.
Non sum irata. *AG.* non es? *AD.* non sum. *AG.* da ergo, ut credam, savium.
AD. Mox dabo, cùm ab re divinâ rediero. *AG.* i ergo strenuè.
AD. Sequere me, soror. *AG.* atque audin' etiam? Veneri dicito
Multam meis verbis salutem. *AD.* dicam. *AG.* atque hoc audi.
AD. quid est?
AG. Paucis verbis rem divinam facito. atque audin'? respice.
Respexit. idem pol Venerem credo facturam tibi.

INTERPRETATIO.

hujus oculus, mea lippitudo! hujus mel, meum fel! ut tu ne succenseas huic: aut si id non potest fieri. AD. *Capias laqueum, ac te suspendas, cum hero & vestrâ familiâ.* MI. *Nam animadverto jam mihi vitam trahendam in suspiriis, tui causâ. itaque jam fero scapulas, quasi ostreatas vibicibus, vestri amoris gratiâ.* AD. *Rogásne, ut prohibeam, ne te pulset, potius quàm ne sit infidus erga me?* AN. *Repone huic nonnihil, quaso, amice, ne nobis sit molestus; nam nos impedit, ne obeamus nostra negotia.* AD. *Bene mones. Tibi condonabo hanc culpam unam adhuc Agorastocles. Non succenseo.* AG. *Non succenses?* AD. *Non succenseo.* AG. *Da ergo osculum ut credam.* AD. *Dabo modò, quando revertar à sacrificio.* AG. *I ergo celeriter.* AD. *Sequere me, soror.* AG. *Audi adhuc hoc verbum. Dic Veneri multam salutem, meis verbis.* AD. *Dicam.* AG. *Audi & hoc.* AD. *Quid est? Perfice rem divinam paucis verbis: audi adhuc: respice. Respexit. Per Pollucem credo Venerem tibi idem esse facturam.*

ANNOTATIONES.

185. *Victandum sorbilo.*] *Sorbilus* est mollior cibus pueris, ægrotisque dari solitus. Vel hoc loco intelligitur gemitus, quia qui gemunt, animam crebrò resorbent.

186. *Ostreatum tergum ulceribus.*] Sumpta ab *ostreis* metaphora. Quia vulnus incrustatum, quodam modo *ostrei* asperitatem colorémque repræsentat.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

AGORASTOCLES trecentos nummos Philippeos dat Milphioni servo, ad vocandum in fraudem Lycum, operâ villici, quem,

detractis servi vestibus, sicut liberum exornat, & obtrudit incauto Lenoni.

AGORASTOCLES adolescens, MILPHIO servus.

AGORASTOCLES.

QVID nunc mihi es auctor, Milphio? *MI.* ut me verberes,
Atque auctionem facias: nam impunissimè
Tibi quidem hercle vendere hasce ædis licet.
AG. Quid jam? *MI.* majorem partem in ore habitas meo.
AG. Supersede istis verbis. *MI.* quid nunc vis tibi?
AG. Trecentos Philippos Collybisco villico
Dedi dudum, priusquam me evocasti foras.
Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram,
Perque hanc sororem lævam, perque oculos tuos,
Perque meos amores, perque Adelphasium meam,
Perque tuam libertatem. *MI.* hem! nunc nihil obsecras.
AG. Mi Milphidice, mea commoditas, mea salus,
Fac quod facturum te esse promisisti mihi,
Ut ego hunc lenonem perdam. *MI.* perfacile id quidem est.

INTERPRETATIO.

AG. *Quod consilium mihi das nunc, Milphio?* MI. *Ut me excipias flagris, atque auctionem indices. Nam proculdubiò tibi licet vendere hancce domum impune.* AG. *Quare?* MI. *Quia versaris, maxima parte temporis, in meo ore.* AG. *Prætermitte istam orationem.* MI. *Quid tibi vis nunc?* AG. *Numeravi jampridem trecentos Philippos Collybisco villico, antequam me vocares foràs. Nunc te quæso, Milphio, per hanc dexteram, per hanc ejus sororem manum sinistram, per tuos oculos, per meos amores, per meam Adelphasium, & per tuam libertatem.* MI. *Hem! per nihil rogas nunc.* AG. *Mi Milphidice, homo commodissime, homo salutaris, age quod mihi pollicitus es te esse acturum, ut ego perdam hunc lenonem.* MI. *Profectò id est pronum.*

ANNOTATIONES.

2. *Auctionem facias.*] Captat jocum ex voce *auctor*, quâ rogavit Agorastocles *quid auctor esset*, respondet; auctionem faciat.

4. *Majorem partem habitas in ore meo.*] Id est, semper te in ore habeo, adeò assiduè coactus sum hactenus frequenter usurpare nomen tuum, aut ad deprecanda verbera, aut ad te admonendum officii, aut ad te deffendendum adversus tuos adversarios, aut ad te collaudandum. Cicero: *Qui familiaritatis licentiâ suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus ejus impulsu vestro collocaverunt.*

9. *Sororem lævam.*] Veteres omnia paria, & præsertim bina *fratres* & *sorores* appellare solebant. Solinus: *Exsurgit montibus septem, qui à similitudine fratres appellati.* Tertullianus: *Corpus & anima sorores substantiæ.* Author Moreti: *Interdum fessa succedit læva sorori, alternâque vices:* hic *de duabus manibus.*

11. *Nunc nihil obsecras.*] Obtestabatur Agorastocles Milphionem per libertatem: respondet, *nihil obsecras*; quasi dicat non sum liber.

I, adduce teſteis tecum : ego intus interim
Jam & ornamentis meis & ſycophantiis
Tuum exornabo villicum : propera atque abi.
AG. Fugio. *MI.* meum eſt iſtuc magis officium, quàm tuum.
AG. Egóne ? egóne, ſi iſtuc lepide effexis ! *MI.* i modo.
AG. Ut non ego te hodie ! *MI.* abi modò. *AG.* emittam manu !
MI. I modò. *AG.* non hercle meream. ah ! *MI.* vah, abi modò.
AG. Quantum Acherunte'ſt mortuorum. *MI.* etiámne abis ?
AG. Neque quantum aquæ eſt in mari. *MI.* abiturúsne es ?
AG. Neque nubis quantum. *MI.* pergin pergere ?
AG. Neque ſtellæ in cælo. *MI.* pergin aures tundere ?
AG. Neque hoc, neque illuc, neque : enim verò ſeriò.
Neque hercle verò. quid opus eſt verbis ? quippini !
Quòd uno verbo dicere hîc quidvis licet,
Neque hercle verò ſeriò. ſcin quomodo ?
Ita me dii amabunt ! vin bonâ dicam fide ?
Quod hîc inter nos liceat. ita me Juppiter !
Scin quàm ? vide tu. credin, quod ego fabuler ?
MI. Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
„ Nam iſti quidem Hercle orationi Oedipo

Interpretatio.

I, adduc tecum teſtes ; interea inſtruam jam domi tuum villicum meis ornamentis & ſycophantiis : accelera, atque proficiſcere. AG. *Fugio.* MI. *Id mihi magis incumbit hodie, quàm tibi.* AG. *Egóne? egóne, ſi perfeceris probe id !* MI. *Proficiſcere.* AG. *Ut ego te non hodie !* MI. *Proficiſcere.* AG. *Emittam manu.* MI. *Proficiſcere.* AG. *Per Herculem non meream. Ah !* MI. *Vah, abi modò.* AG. *Quotquot ſunt mortui in Inferis.* MI. *Proficiſcerisne ?* AG. *Neque quotquot ſunt fluctus in mari.* MI. *Proficiſcerisne ?* AG. *Neque quotquot ſunt nubes.* MI. *Proficiſcerisne ?* AG. *Neque aſtra in Cœlo.* MI. *Proſequerisne obtundere aures?* AG. *Neque hoc, neque illud, neque : nam dico ſeriò. Neque per Herculem. Quid eſt opus verbis ? Cur non ! Licet dicere hîc quidlibet uno verbo, per Herculem verò ſeriò. Scisne quâ ratione ? Ita Dii me amabunt ! visne dicam bonâ fide ? Quod liceat hîc dicere inter nos. Ita me Jupiter ! Scisne quàm ? Vide tu. Credisne quod ego dico?* MI. *Si non poſſum impetrare à te, ut excedas, hinc ego exceſſero ipſe. Nam eſt opus iſti quidem ſermoni*

Annotationes.

21. *Non hercle meream.*] Repete altius & conjunge partes orationis reſponſionibus interturbatas ; deinde ſupple Ellipſes. Egóne, ut non te manu emittam hodie, ſi effeceris illud quod pollicitus es, & ludificato lenone Adelphaſium mihi tradideris ? Non certè meream tot aureis Philippis, aut etiam Theſauris, quot ſunt in Inferis mortui, quot in mari fluctus, nubes & ſtellæ in Cœlo

26. *Neque hoc.*] Ab hoc verſu ad 33. ſunt tenebræ datâ operâ à Poëta in orationem Agoraſtoclis inductæ.

34. *Opus eſt orationi Oedipo.*] Oedipus Laïi Thebanorum Regis, & Jocaſtæ filius, unus fuit, qui Sphyngis enigma ſolvere potuit. Quod ejuſmodi erat, *quodnam animal mane pedibus quatuor ſeu quadrupes, meridie bibes, veſpere tripes incederet ;* idque eſt interpretatus de homine, qui puer non minùs manibus quàm pedibus nititur ; adultior duobus pedibus inſiſtit ; ſenex baculo indiget. Dicit autem Milphio orationem heri ſui Agora-

Opus conjectore est, qui sphyngi interpres fuit.
AG. Illic hinc iratus abiit. nunc mihi cautio est,
Ne meâmet culpâ meo amori objexim moram.
Ibo atque arcessam testeis : quando amor jubet
Meo obedientem *me* esse servo liberum.

INTERPRETATIO.

conjectore Oedipo, qui fuit interpres Sphyngis. AG. *Ille excessit hinc iratus. Mihi cavendum est nunc, ne meâmet culpâ afferam moram meis amoribus. Ibo atque accersam testes ; quoniam amor vult esse obsequentem suo servo liberum.*

ANNOTATIO.

stoclis indigere Oedipo interprete propter insignem obscuritatem, quæ est à versu 26. ad 33. Porrò hæc obscuritas consultò inducta est orationi amatoris, ut ostendat amorem in ipsam rationem impetum facere, eamque de sede dejicere.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

LYcus è Templo sacríque revertitur, territus adversis auspiciis ; itaque Anthemonidem, cum eo, de emenda Anteraștile, agere volentem, sic rejicit, ut ne audire quidem velit, ne si cum eo agat, hoc toto die res illi male vertat.

LYCUS leno, ANTHEMONIDES miles.

LYCUS.

DI illum infelicent omnes, qui post hunc diem
Leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam :
Quive ullum thuris granum sacrificaverit.
Nam ego hodie infelix dîs meis iratissimis
Sex immolavi agnos : nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi.

INTERPRETATIO.

LY. *Omnes Dii illum lenonem reddant infelicem, qui deinceps sacrificaverit ullam victimam Veneri, & qui ei incenderit ullam micam thuris. Nam ego infortunatus mactavi hodie sex agnos meis Diis iniquissimis : nec tamen potui assequi, ut Venus mihi faveret.*

ANNOTATIO.

5. *Sex immolavi agnos.*] Alii, *sex agonas.* Isidorus : *Agones victimæ, agonia hostiæ.*

Quoniam litare nequeo, abii illinc illico
Iratus: vetui exta proficarier:
Neque ea aspicere volui. quoniam non bona
Aruspex dixit, deum esse indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri pulchrè adii manum.
Quando id quod sat erat, satis habere noluit,
Ego pausam feci: sic ago. sic me decet.
Ego faxo posthac dî deæque cæteri
Contentiores mage erunt, atque avidi minùs,
Cùm scibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condignè aruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum damnúmque, & deos esse iratos mihi.
Quid ei divini aut humani æquum est credere?
Mina mihi argenti dono postillà data est.
Sed quæso! ubinam illic restitit miles modò,
Qui hanc mihi donavit? quem ego vocavi ad prandium.
Sed eccum incedit! *AN.* ita ut occepi dicere,
Lenulle, de illâc pugnâ pentethronicâ,
Quâ sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidi meis.

Interpretatio.

Quoniam non possum litare, me propipui hinc iratus: prohibui dividi exta: neque volui ea intueri. Quia Aruspex monuit ea non esse fausta, arbitratus sum Deam esse iratam. Hâc ratione reliqui inanem avaram Venerem. Quia non fuit contenta accipere id quod sufficiebat, ego intermisi munera *: sic facio; sic decet facere. Ego assequar deinceps, ut alii Dii & Deæ sint contenti minore sumptu, atque minus cupidi, quando audient lenonem inanem reliquisse Venerem. Aruspex & vere homo nihili, dicebat mihi denunciari, in omnibus extis, malum & detrimentum, & Deos mihi esse infensos. Quid est æquum ei credere in divinis & humanis? Mihi dono data est postea mina argenti. Sed obsecro! Ubinam ille miles, qui mihi illam donavit, hæsit modò? Quem ego invitavi ad prandium. Sed ecce venit!* AN. *Ut cœpi dicere, Lenulle, de illo certamine pentethronico, quo interfeci sexaginta millia hominum alatorum, meis manibus, uno die.*

Annotationes.

7. *Litare.*] Macrobius: *Facto sacrificio numen placare. Sacrificare* est offerre Sacrum & veniam poscere. *Litare* est propitiare, & votum impetrare.

8. *Proficarier.*] Nonius: *Prosecta exta quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta.* Festus: *Proficium quod prosectum porricitur.* Nimirum exta cocta solebant *prosecare*: unde *prosecta* dicebantur. Ac partem adolebant, partem consecrabant, sacerdotibúsque dabant, partem sibi apponebant.

10. *Deum esse indignam credidi.*] Alii *indignatam. Deus*, utriusque generis apud antiquos. Ut apud Græcos, Θεὸς.

11. *Adii manum.*] *Adire manum*, alicui dicitur is, qui cuipiam tanquam daturus ostentet, sed accipere gestienti, & manum tendenti, non dat.

25. *Lenulle.*] Lenoncule.

Pentethronica pugna.] Vox fictitia à vano & glorioso milite, nihil significans, nisi tumorem inanem dicentis.

LY. Eh ! volaticorum hominum ? *AN.* ita dico quidem.
LY. An obsecro usquam sunt homines volatici ?
AN. Fuêre. verùm ego interfeci. *LY.* quomodo
Potuisti ? *AN.* dicam. viscum legioni dedi,
Fundasque : eo præsternebant folia farferi.
LY. Cui rei ? *AN.* ne ad fundas viscus adhæresceret.
LY. Perge ! optimè hercle perjuras. quid postea ?
AN. In fundas visci indebant grandiculos globos,
Eo illos volantes jussi funditarier.
Quid multa verba ? quemque visco offenderant,
Tam crebri ad terram accidebant quàm pira.
Ut quisque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinnâ suâ sibi, quasi turturem.
LY. Si hercle istuc unquam factum est, tum me Juppiter
Faciat, ut semper sacrificem, nec unquam litem.
AN. An mihi hæc non credis ? *LY.* credo, ut mihi est æquum credier.
Age eamus intrò, dum exta referuntur. *AN.* volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. *LY.* nihil moror.
AN. Auscultа. *LY.* non hercle. *AN.* *imò* jam elidam caput,
Nisi auscultas, aut is *hinc* in malam crucem.
LY. Malam crucem ibo potius. *AN.* certúmne est tibi ?
LY. Certum. *AN.* tum tu igitur die bono Aphrodisiis
Addice tuam mihi meretricem minusculam.
LY. Ita res divina mihi fuit : res ferias
Omnes extollo ex hoc die in alium diem.

INTERPRETATIO.

LY. *Ehem ! hominum alatorum ?* AN. *Ita dico quidem.* LY. *An, amabo, sunt alicubi homines volatici ?* AN. *Fuerunt : sed ego occidi.* LY. *Quâ ratione potuisti ?* AN. *Aperiam. Dedi viscum legioni & fundas : ei visco substravi folia farferi.* LY. *Quare ?* AN. *Ne viscus adhæreret fundis.* LY. *Prosequere ! Profectò perjuras optimè. Quid deinde ?* AN. *Ponebant in fundis magnos globos visci ; mandavi eos vibrari in volantes : quid opus est verbis ? Quemcumque attigerant viseo, præcipitabant ad terram, tam crebros, quam pyra : ut quisque conciderat, eum interficiebam illicò per cerebrum, adacta suâ ipsâ pinnâ, quasi turturem.* LY. *Profectò si istud est unquam gestum, tum Jupiter concedat, ut semper sacrificem, nec unquam litem.* AN. *An non credis esse vera ?* LY. *Credo, sicut est par haberi fidem à me. Age ingrediamur, intereadum referuntur exta.* AN. *Libet tibi narrare adhuc unum certamen.* LY. *Non curo tuas pugnas.* AN. *Audi.* LY. *Profectò non audiam.* AN. *Tibi comminuam jam caput nisi audias, aut is in malam crucem.* LY *Ibo potius in malam crucem.* AN. *Constituistine ?* LY. *Constitui.* AN. *Tum tu ergo festo Aphrodisiorum bono die mihi dimitte tuam minusculam meretricem.* LY. *Sic res divina mihi obeunda fuit : transfero res omnes gravet, ex hoc die, in alium diem.*

ANNOTATIONES.

32. *Farferi.*] Festus : *Farferum virgulti genus.*
49. *Die bono.*] Festo.

Profectò festos habeam decretum est mihi.
Nunc hinc eamus intrò. sequere hâc me. *AN.* sequor.
In hunc diem jam tuus sum mercenarius.

INTERPRETATIO.

Sanè mihi constitutum est, ut habeam festos. Nunc hinc ingrediamur; sequere me hàc. AN. Sequor. Sum jam tuus mercenarius in hunc diem.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

MILPHIO dat Collybisco villico, Agorastoclis hominis liberi, vestes; ut adeat Lycum lenonem, à quo deinde repetatur per Agorastoclem herum, tanquam surreptitius.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

VOCAT ad se Agorastocles homines quorum testimonio adjuvet fraudem à Milphione in Lycum conflatam.

AGORASTOCLES adolescens, ADVOCATI.

AGORASTOCLES.

„ ITA me dî ament, TARDO AMICO nihil est quicquam iniquius,
„ Præsertim homini AMANTI; qui quicquid agit, properat omnia.
Sicut ego hos duco advocatos homines spissigradissimos,
Tardiores quàm corbitæ sunt in tranquillo mari.

INTERPRETATIO.

AG. *Dii ita me ament, est nihil molestius amico negligente, præsertim homini qui amat; qui præceps est in omnibus, quæ molitur. Ejusmodi sunt hi advocati, quos adduco, homines tardissimi, segniores corbitis in mari sereno.*

ANNOTATIONES.

3. *Spissi gradissimos.*] Nonius: *Spissum nonnumquam significat tardum. Spissigradissimus*, in Plautinâ officinâ fabricata vox. Id est, spicissimi, seu tardissimi gradus homines.

4. *Corbitæ.*] Naves onerariæ tardæ & grandes.

Atque equidem hercle deditâ operâ amicos fugitavi ſenes.
Sciebam ætate tardiores. metui meo amori moram.
Nequiquam hos procos mihi elegi loripedis, tardiſſimos.
Quin ſi ituri eſtis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iſte quidem gradus ſuccretu'ſt cribro pollinario,
Niſi cum pedicis condidiciſtis ſic hoc graſſari gradu.
AD. Heus tu! quanquam nos videmur tibi plebei & pauperes:
Si nec-rectè dicis nobis, dives de ſummo loco,
Divitem audacter ſolemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxii ſumus iſtuc quid tu ames aut oderis:
Cùm argentum pro capite dedimus, noſtrum dedimus, non tuum.
Liberos nos eſſe oportet: nos te nihili pendimus.
Ne tuo nos amori ſervos tuos eſſe addictos cenſeas.
„ Liberos homines per urbem modico magis par eſt gradu
„ Ire. ſervuli eſſe duco feſtinantem currere.
Præſertim, in re populi placidâ atque interfectis hoſtibus,
Non decet tumultuari. ſed ſi properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxiſſe oportuit.
Ne tu opinêre; haud quiſquam hodie noſtrum curret per vias.
Neque nos populus pro cerritis inſectabit lapidibus.

Interpretatio.

Et quidem declinaveram conſultò ab amicis, qui ſenes erat. Intelligebam enim ſegniores ob ætatem. Timui moras in meo amore. Incaſſum delegi hos amatores lëtiſſimos: ſunt ſimiles iis, quorum pedes loro ſunt inſerti. Si eſtis ambulaturi hodie, ambulate ſanè; aut ite in malam crucẽ. Itáne verò oportet amicos ſeſe movere, quando eſt danda opera amanti? Nam profectò iſte inceſſus percolatus eſt cribro pollinario, niſi fortè *didiciſtis, ſic ambulare, hoc gradu cum pedicis.* AD. *Heus tu! tametſi arbitraris nos eſſe plebeios & inopes: ſi maledicis nobis,* quia es *locuples natus, & nobili genere,* ſcito *nos conſueviſſe mactare infortunio locupletes audaces. Neque nos tibi obnoxii ſumus, ut curemus, quid tu ames aut oderis: quando pecuniam pendimus pro nobis, pendimus noſtram, non tuam. Oportet nos eſſe liberos: nos te nihili facimus. Ne putes nos tuos ſervos eſſe addictos tuo amori. Decet liberos homines ire per urbem, paſſulente.* Equidem *puto eſſe ſervi currere & feſtinare. Non decet tumultuari, præſertim in republicâ placidâ, atque hoſtibus ſuperatis. Sed, ſi volebas magis accelerare, oportebat te nos conduxiſſe pridie huc advocatos. Ne tu arbitrere; nemo noſtrum curret hodie per vicos: neque plebs nos proſequetur lapidibus pro inſtinctis furore.*

Annotationes.

7. *Procos.*] Id eſt, juvenes, qui eâ ætate ſunt, ut ducere poſſint uxores, atque adeò integrâ, non annis graves.

10. *Gradus ſuccretus cribro pollinario.*] Cribrum ſeu incerniculum eſt, quo farinam quam vulgò florem appellant, ſecernunt à furfure Panifices. Ridicula comparatio tenuis gradus, & minimè ſpiſſi cum farina tenui.

AG. At

AG. At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervum cursu, vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi, & testes ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.
AD. An verò non justa caussa est, quò curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno, quantum velis usque affatim?
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis.
Sed tamen quomodocunque, quanquam sumus pauperculi,
Est domi, quod edimus: ne nos tam contemptim conteras.
Quicquid est pauxillulum illuc nostrum, id omne intus est:
Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat.
Tuâ caussâ nemo nostrorum est suos rupturus ramices.
AG. Nimis iracundi estis! equidem hæc vobis dixi per jocum.
AD. Per jocum itidem dictum habeto, quæ nos tibi respondimus.
AG. Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date:
Attrepidate saltem! nam vos approperare haud postulo.
AD. Si quid tu placidè otioséque agere vis, operam damus:
Si properas; cursores meliu'st te advocatos ducere.
AG. Scitis, rem narravi vobis, quod vestrâ operâ mihi opus fiet,
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei paratæ ut sint insidiæ de auro & de servo meo.

Interpretatio.

AG. *Sed si ad cœnam vos invitassem, superaretis cervum celeritate, & calonem velocitate. Nunc quia dixi me vos ducere, ut sitis advocati & testes, podagrâ tenemini, ac cochleâ estis tardiores.* AD. *An verò non meritò curratur velociter, ubi potes, manduces de alieno, quantum, libeat, usque ad satietatem? Quod tu restituas numquam invitus domino, apud quem sumpseris. Attamen est nonnihil domi, quo vivamus, tametsi simus inopes: ne nos pessundes tanto contemptu. Quidquid est illud exiguum, quod habemus, illud est omne penes nos. Neque nos mendicamus à quoquam, neque quisquam à nobis rogat: nemo nostrum est rupturus suos ramices tuâ gratiâ.* AG. *Estis valdè iracundi! profectò vobis dixi hæc per jocum.* AD. *Puta itidem dicta per jocum, quæ nos tibi reposuimus.* AG. *Quæso hercle date mihi hanc operam velocem, non tardam: movete vos saltem! nam haud peto à vobis, ut acceleratis.* AD. *Si tu vis agere aliquid tranquille & quietè, adjuvabimus: si acceleras, est satius te conducere cursores patronos.* AG. *Nostis, in quo mihi opus sit vestro auxilio; vobis exposui rem, de hoc lenone qui ludificatur tandiu me amantem, ut ei sint structæ insidiæ de auro & de meo servo.*

Annotationes.

26. *Ad prandium in ædem ducere.*] Olim in templis convivabantur, pòst oblata sacrificia, imò ex rebus quæ Diis jamjam fuerant oblatæ. In Trinummo, *quid tu si in ædem ad cœnam veneris.*

27. *Clavatorem.*] Alii *grallatorem*: *grallator* à *gradu* magno dictus. *Clavator* à *clavâ*, id est, graviori baculo; unde calones militum dicti, qui ejusmodi baculos gerebant, qui à militibus fermè eligebantur, velocissimi, ad perferenda, quò esset opus mandata, & ad consequendas copias. Porrò *gradus militares* dicebantur, quasi trito adagio pro celeribus gradibus.

40. *Celocem.*] Velox navigium.

AD. Omnia istæc scimus jam nos, si hi spectatores sciant.
Horum hîc nunc caussa hæc agitur spectatorum Fabula:
Hos te satius est docere, ut, quando agat, quid agant, sciant.
Nos tu ne curassis. scimus rem omnem: quippe omnes simul
Didicimus tecum unà, ut respondere possimus tibi.
AG. Ita profectò est. sed agite igitur, ut sciam vos scire rem
Expeditè, & mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.
AD. Itáne tentas an sciamus? non meminisse nos ratus,
Quomodo trecentos Philippos Collybisco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuum,
Isque se ut assimularet peregrinum esse, aliunde ex alio oppido.
Ubi is tetulerit; tu eò quæsitum servum adventes tuum
Cum pecuniâ. *AG.* meministis memoriter: servastis me.
AD. Ille negabit. Milphionem quæri censebit tuum:
Id duplicabit omne furtum. leno addicetur tibi.
Ad eam rem nos esse testis vis tibi. *AG.* tenetis rem.
AD. Vix quidem hercle, ita pauxilla est, digitulis primoribus.
AG. Hoc citò & cursim est agendum. propera jam quantum potest.
AD. Bene vale igitur! te advocatos melius celeris ducere:
Tardi sumus nos. *AG.* optimè itis, pessumè hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
AD. At edepol nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in solum.
AG. Eja! haud vostrum est iracundos esse, quod dixi joco.

INTERPRETATIO.

AD. *Nos scimus jam ista omnia, si hi spectatores sciant. Hæc Fabula luditur hîc nunc, propter istos spectatores. Est melius te eos docere, ut sciant quid fiat, quando ludent. Tu ne sis sollicitus: nos tenemus omnem rem. Quippe omnes instructi sumus tecum, ut possimus tibi reponere.* AG. *Sanè res ita se habet; sed agite, ut videam utrum teneatis rem expeditè, & mihi repetite quæ vobis dixi modò.* AD. *Itáne verò exploras utrum teneamus? Arbitratus nos non recordari, quomodo numeraveris trecentos Philippos Collybisco, quos deferet huc ad lenonem tuum inimicum, & ut assimularet se venire ex aliâ urbe: ubi is retulerit, tu venias eò quæsitum tuum servum, cum pecuniâ.* AG. *Recordaris optimè: me servastis.* AD. *Ille negabit. Putabit quæri tuum Milphionem: is duplum furtum reddet. Leno tibi addicetur judicio. Vis nos esse testes in eâ re.* AG. *Comprehenditis rem.* AD. *Vix, per Herculem, tenemus extremis digitis, adeò parva est.* AG. *Est faciendum hoc celeriter & cursim: accelera jam quantum in te erit.* AD. *Itaque bene vale!* memento *conducere advocatos velociores: nos sumus tardi.* AG. *Itis optimè profectò, maledicisque pessimè. Quin etiam optarim, ut vobis deciderit fœmina in talos.* AD. *At per eadem Pollucis nos velimus, ut tibi lingua in lumbos & oculi in terram* decidant. AG. *Eia! haud est vestrum succensere, propter ea quæ dixi joco.*

ANNOTATIONES.

63. *Primoribus digitulis.*] Id est, summis & extremis digitis.
66. *Optimè itis.*] Id est, *dicitis.*

70 *AD.* Nec tuum quidem est, amicis per jocum injustè loqui.
AG. Mittite istæc: quid velim, vos scitis. *AD.* callemus probè:
Lenonem perjurum ut perdas, id studes. *AG.* tenetis rem.
Ecce opportunè egrediuntur Milphio unà & villicus.
Basilicè exornatus incedit & fabrè ad fallaciam.

INTERPRETATIO.

AD. *Neque tuum est maledicere amicis per jocum.* AG. *Omitte hæc: vos tenetis, quid velim.* AD. *Tenemus optimè: expetis perdere lenonem perjurum.* AG. *Tenetis rem.* | *Ecce adveniunt tempestivè Milphio unà & villicus. Hic ambulat regiè exornatus & appositè ad fraudem.*

ANNOTATIO.

74. *Basilicè exornatus.*] Quia Milphio prodit cum veste hominis præpotentis ac divitis.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

MILPHIO adducit Collybiscum ad Advocatos ab Agorastocle testes, ornatum magnificâ veste, & ad fallendum Lycum falsoque testimonio obruendum eos instituit.

MILPHIO servus, COLLYBISCVS villicus, AGORASTOCLES adolescens, ADVOCATI.

MILPHIO.

JAM tenes præcepta in corde. *CO.* pulcrè. *MI.* vide sis calleas.
CO. Quid opu'st verbis? callum aprugnum callere æquè non sinam.
MI. Fac modò ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.

INTERPRETATIO.

MI. *Nunc complecteris animo quæ tibi præcepi.* CO. *Optimè.* MI. *Da operam, si juvat, ut calleas.* CO. *Quid est opus verbis? Non patiar perinde callere callum apri.* MI. *Da operam modò ut verba comprehensa habeas animo ad hanc fraudē.*

ANNOTATIO.

2. *Callum aprugnum.*] Jocus in verbum *calleo*: quod significat *scire, animo complecti. Callus* verò, vel *Callum*, significat duritiem cutis, quæ, aut sub pedibus incessu, aut genibus geniculatione, aut in manibus tractatione instrumētorum quorumvis contrahitur. Ex illo nomine fit calleo. Id est, *callo indurui*; unde fit translatio à corpore ad animum: & *callere* dicitur, qui labore diuturno & assiduo aliquid didicit, & ita animo infixit, ut *callus* esse quidem videatur animi. *Callum* autem *aprugnum* dicitur in apro, quod solidius est.

CO. Quin edepol condoctior sum, quàm Tragœdi aut Comici.
MI. Probus homo es. *AG.* adeam propius. assunt testes. *MI.* tot quidem
Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam istorum nullus nefastu' st; comitiales sunt meri:
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quàm Prætorem sæpius.
Hodie juris coctiores non sunt, qui lites creant,
Quàm sunt hi: qui si nihil est litium, lites serunt.
AD. Di te perdant. *MI.* vos quidem hercle, cum eo! quiqui tamen,
Et benè & benignè facitis; qom hero amanti operam datis.
Sed isti jam sciunt, negotii quid sit? *AG.* omnem rem ordine.
MI. Tum vos animum advortite igitur. hunc vos lenonem Lycum
Novistis. *AD.* facilè. *CO.* at ego pol eum, quâ sit facie, nescio.
Eum volo mihi demonstretis hominem. *AD.* nos curabimus.
Satis præceptum. *AG.* hic trecentos nummos numeratos habet.
AD. Ergo nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,
Ut sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.

INTERPRETATIO.

CO. *Quin sum instructior Tragicis aut Comicis* MI. *Es vir frugi.* AG. *Accedam propius; adsunt testes.* MI. *Profectò nequivisti conducere homines magis aptos huic rei; nam est nemo horum nefastus; sunt meri comitiales. In* comitio *manent: eos videas ibi frequentius quàm Prætorem. Ii qui movent omnibus lites, nunc non sunt magis versati in jure, quàm sunt hi: si non habent lites, proseminant.* AD. *Dii te perdant.* MI. *Vos* perdant *cum* lenone! *Tamen, quicumque sitis, agitis & bene & humaniter quando juvatis meum herum amantem. Sed hi norunt jam, quid sit rei?* AG. Tenent *omnia ordine.* MI. *Itaque animadvertite vos: novistis hunc lenonem Lycum.* AD. *Noscimus.* CO. *Sed ego ignoro, quo vultu sit. Volo ut mihi illum ostendatis.* AD. *Nos curam geremus* hujus rei. *Satis dictum.* AG. *Hic habet trecentos nummos præsentes.* AD. *Igitur oportet nos conspicari hoc aurum, Agorastocles, ut videamus, quid offeramus mox pro testimonio.*

ANNOTATIONES.

7. *Nullus nefastu' est.*] Varro: *Dies Fasti, per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quòd tùm esset populus constitutus ad suffragium ferendum. Contrarii horum vocantur Dies Nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem.* Jurisdictio autem universa Prætoris, his tribus continetur, *do, dico, addico. Do* actionem: *Dico*, jus: *Addico*, aliquid meâ sententiâ. Ovidius:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.
Fastus erit per quem lege licebit agi.

Hi testes dicuntur non esse nefasti, quia quotidie versabantur in foro, ut invenirent pro quo falsum testimonium dicerent mercede pactâ: erant enim dies, quibus nefas erat Comitia vocare, qui dicebantur, *Nefasti.*

Comitiales.] Homines, qui quotidie in foro versabantur, venalémque operam habebant, & fidem in testimoniis, *Comitiales* dicebantur. In Trinummo: *Ego Sycophantam jam conduco de foro.*

9. *Juris coctiores.*] Comice, pro *juris doctiores. Juris coctiores* est qui callet, quid sit jus, seu jusculum in culinâ, non jus civile in foro. Dicitur tamen metaphoricè, *incoctus in aliquâ arte.* Id est, *doctus & minimè tyro.* Horatius: *Recoctus scriba.*

AG. Agite, inſpicite: aurum eſt. *CO.* profectò! ſpectatores, Comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbariâ boves.
Verùm ad hanc rem agundam Philippum eſt. *AD.* ita nos aſſimulabimus.
CO. Sed ita aſſimulatote, quaſi ego ſim peregrinus. *AD.* ſcilicet.
Et quidem quaſi tu nobiſcum adveniens hodie oraveris;
Liberum ut commonſtraremus tibi locum & voluptarium,
Ubi ames, potes, pergræcêre. *MI.* heu! edepol mortales malos!
AG. Ego enim docui. *MI.* quis te porrò? *CO.* agite, intrò abite, Agoraſtocles:
Ne hîc vos mecum conſpicetur leno: neu fallaciæ
Præpedimentum objiciatur. *MI.* hic homo ſapienter ſagit.
Facite, quod jubet. *AG.* abeamus. ſed vos! ſatis dictum'ſt? *CO.* abi.
AG. Abeo. quæſo, dii immortales. *CO.* quin abis? *AG.* abeo.
MI. ſapis.
CO. St! tace. *AD.* quid eſt? *CO.* fores hæ fecerunt magnum flagitium modò.
AD. Quid id eſt flagitii? *CO.* crepuerunt clarè. *AD.* di te perduint.
Ponè nos recede. *CO.* fiat. *AD.* nos priores ibimus.
CO. Faciunt, ſcurræ quod conſuêrunt: ponè ſeſe homines locant.

INTERPRETATIO.

AG. *Agite, contemplemini: adeſt aurum.* CO. *Sine dubio, ſpectatores, aurum Comicum! Boves evadant in barbariâ pingues comeſto hoc auro. Sed eſt Philippeum ad agendam hanc rem.* AD. *Sic nos fingemus.* CO. *Sed fingite ſic, quaſi ego ſim advena.* AD. *Fingemus; & quidem quaſi tu adveniens nos rogaveris, ut tibi commonſtremus locum liberum, & voluptarium, ubi ames, bibas pergræcêre.* MI. *Heu! per ædem Pollucis, nequam homines!* AG. *Nam ego docui.* MI. *Quis te præterea?* CO. *Agite, introite, Agoraſtocles: ne leno vos videat hic mecum: neu ſit obex fraudi.* MI. *Hic homo ſapit in primis. Agite id, quod mandat.* AG. *Demigremus. Sed vos! Satis eſt monitum?* CO. *Abi.* AG. *Abeo. Obſecro, Dii immortales.* CO. *Quin abis?* AG. *Abeo.* MI. *Sapis.* CO. *Sile! St.* AD. *Quid eſt?* CO. *Hæc limina commiſerunt mox ingens ſcelus.* AD. *Quod eſt id ſcelus?* CO. *Miſerunt crepitum clarè.* AD. *Dii te perdant. Secede poſt nos.* CO. *Eſto.* AD. *Nos præibimus.* CO. *Faciunt Advocati, quod ſoliti ſunt ſcurræ: jubent homines ire poſt ſe.*

ANNOTATIONES.

20. *Comicum aurum.*] *Lupini.* Nam in Comœdiâ pro nummis *lupini* numerabantur: ſic & pueri luſitantes utebantur *lupinis*, pro *nummis*. Horatius:

Nec tamen ignorat, quod diſtent æra lupinis.

Id eſt, vir bonus novit, quid interſit inter nummos & lupinos.

21. *In barbariâ.*] Id eſt, in Italiâ ponitur aurum comicum. Id eſt, lupini bobus.

24. *Nobiſcum oraveris.*] Nos oraveris.

35. *Ponè ſeſe homines locant.*] Iſidorus: *Scurra vocatur, qui eſcæ causâ quemlibet conſectatur. Umbræ* etiam appellantur, metaphora ducta ab *umbrâ*, quæ ſemper corpus comitatur.

AD. Ilic homo est qui egreditur leno. *CO.* bonus est · nam similis malo est.
Jam nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul.

INTERPRETATIO.

AD. *Ille homo qui prodit, est leno.* CO. *Est probus : nam est similis improbo. Ego illi jam exprimam procul sanguinem proderunti.*

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

FALSI testes, ab Agorastocle conducti, Collybiscum militari habitu indutum, deducunt ad Lycum Lenonem ; narrant esse hominem, qui in loco ab omnibus arbitris sejuncto, genio indulgere vult. Rogat homines Leno lucri avidus, ut suadeant homini, ejusmodi esse sibi locum, & ad se quàm primùm venire hortentur.

LYCVS leno, ADVOCATI, COLLYBISCVS villicus.

LYCVS.

JAM istuc ego revortar, Miles : convivas volo
Reperire nobis commodos, qui unà sient :
Interibi attulerint exta : atque eâdem mulieres
Jam ab re divinâ credo apparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt ? ecquid nam afferunt ?
Et ille chlamydatus quis nam est, qui sequitur procul ?
AD. Ætoli cives te salutamus, Lyce :
Quanquam hanc salutem ferimus inviti tibi.
Et quanquam bene volumus leviter lenonibus.
LY. Fortunati omnes sitis, quod certè scio
Nec fore, nec Fortunam id situram fieri.
„ *AD.* ISTIC EST THESAURUS stultis in linguâ situs,

INTERPRETATIO.

LY. *EGo huc redibo statim, ô Miles : volo invenire convivas urbanos, qui comedant nobiscum : interea afferant exta : & eodem tempore, ut arbitror, mulieres revertentur domum à templo. Sed quare tot homines huc contendunt ? Quid apportant novi ? Quis est ille chlamyde involutus, qui sequitur procul ?* AD. Sumus *cives Ætoli* qui *tibi dicimus salutem, Lyce, tametsi tibi dicimus hanc salutem iniquo animo. Et quamquam non ita bene sumus affecti adversus lenones.* LY. *Vobis opto felicitatem cunctis, quamquam non ignoro, nec fore* fortunatos, *nec Fortunam passuram id contingere.* AD. *Insani habent hunc Thesaurum positum in linguâ.*

„Ut quæstui habeant male loqui melioribus.
„*LY.* VIAM QUI nescit, quâ deveniat ad mare,
„Eum oportet amnem quærere comitem sibi.
Ego malè loquendi vobis nescivi viam:
Nunc vos mihi amnes estis: vos certum est sequi.
Si benedicetis, vostrâ ripâ vos sequar.
Si maledicetis, vostro gradiar limite.
„*AD.* MALO BENEFACERE, tantundem est periculum,
„Quantum bono malefacere. *LY.* quî verò? *AD.* scies.
„MALO SI QUID benefacias, in beneficium interit.
„Bono si quid malefacias; ætatem expetit.
LY. Facetè dictum. sed quid istuc ad me attinet?
AD. Quia nos honoris tui caussâ huc ad te venimus.
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.
LY. Si quid boni apportatis, habeo gratiam.
AD. Boni de nostro tibi nec ferimus, nec damus,
Neque pollicemur, neque adeo volumus datum.
LY. Credo hercle vobis; ita vestra est benignitas.
Sed quid nunc vultis? *AD.* hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratus est. *CO.* capiti vestro istuc quidem.
AD. Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus.

INTERPRETATIO.

ut quæstui habeant maledicere melioribus. LY. *Qui ignorat viam, quà perveniat ad mare, oportet, ut quærat amnem sibi comitem. Ego ignoravi viam maledicendi vobis: vos mihi commonstratis nunc: est deliberatum vos comitari: si benedicitis, vos sequar vestrâ viâ: si maledicitis, insistam vestris vestigiis.* AD. *Est tantum periculum rectè facere improbo, quantum malefacere probo.* LY. *Quomodo?* AD. *Dicam. Si afficias improbum aliquo beneficio, hoc beneficium perit. Si afficias probum aliquo incommodo, dolor est sempiternus.* LY. *Festivè dictum; sed quid illud ad me spectat?* AD. *Quia nos venimus huc ad te, tui honoris gratiâ, quamquam non ita sumus bene affecti erga lenones.* LY. *Si affertis aliquid boni, vobis devinctus sum.* A D. *Nec tibi afferimus quidquam boni de nostro, nec impertimus, nec promittimus, neque adeò volumus dari.* LY. *Per Herculem vobis fidem habeo, adeò magna est vestra urbanitas. Sed quid jam optatis?* AD. *Mars est infestus illi homini quem vides cum chlamyde.* CO. *Imò verò, Advocati, id cadat in vestrum caput.* AD. *Adducimus huc, Lyce, hominem ad te spoliandum.*

ANNOTATIONES.

23. *Ætatem expetit.*] Id est, *per ætatem durat.* Id est, diu: *ætatem* hic & alibi passim in Plauto advenialiter ponitur, pro spatio temporis longo. Nimirum gravior est injuriâ, quâ læditur aliquis quo justior est, qui eâ afficitur. Sed alia est disciplina Christianorum, quibus præceptum est amare, beneficiis afficere si possint; si aliter non possint, precibus saltem ad deum fusis juvare eos, à quibus vexantur.

33. *Ad te diripiendum.*] Id ex pronuntiatione & scripturâ aliud aliudque significat: quod consultò factum à poëta; nam hominem adducebant, *ad diripiendum lenonem.* Advocati: leno intelligit hominem adduci, ut à se spolietur. *Ad te ad-*

CO. Cum prædâ hic hodie incedet venator domum.
Canes compellunt in plagas lepidè Lycum.
LY. Quis hic est? *AD.* nescimus nos istum quidem, qui siet.
Nisi dudum à mani ut ad portum processimus,
Atque istuc é navi exeuntem onerariâ
Videmus. adiit ad nos extemplò exiens,
Salutat: respondemus. *CO.* mortales malos!
Ut ingrediuntur doctè in sycophantiam!
LY. Quid deinde? *AD.* sermonem nobiscum ibi copulat.
Ait se peregrinum esse hujus ignarum oppidi.
Locum sibi velle liberum præberier:
Ubi nequam faciat. nos hominem ad te adduximus.
Tu, si te dii amant, agere tuam rem occasio est.
LY. Itâne ille est cupiens? *AD.* aurum habet! *LY.* præda hæc mea est.
AD. Potare, amare volt. *LY.* locum lepidum dabo.
AD. At enim hîc clam furtim esse vult, ne qui sciant,
Néve arbiter sit. nam hic latro in Spartâ fuit,
Ut quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde nunc aufugit; quoniam capitur oppidum.
CO. Nimis lepidè de latrone; de Spartâ optumè.
LY. Di deæque vobis multa bona dent, cùm mihi
Et bene præcipitis, & bonam prædam datis.
AD. Imò ut ipse nobis dixit, quò accures magis;

INTERPRETATIO.

CO. *Hic venator repetet hodie domum cum præda: canes urgent strenuè Lycum in retia.* LY. *Quis est hic?* AD. *Nos ignoramus, quis sit. Nisi quod quando ivimus manè ad portum, conspicimus prodeuntem è navi onerariâ, Statimatque egressus est, venit ad nos; salutat: respondemus.* CO. *Homines nequam! Ut ingrediuntur sapienter in fallaciam!* LY. *Quid deinde?* AD. *Hic confert sermonem nobiscum. Dicit se esse advenam, ignarum, hujus urbis. Velle sibi dari locum liberum, in quo indulgeat cupiditati. Nos ad te adduximus hominem. Tu, si Dii te ament, facies tuam rem.* LY. *Teneturne ille hoc desiderio?* AD. *Habet pecuniam.* LY. *Hæc est mea præda.* AD. *Optat pergratari, amori servire.* LY. *Parabo locum festivum.* AD. *Sed optat versari hîc furtim, ne quis sciat, neve sit arbiter. Nam hic fuit miles in Spartano agro, ut ipse nobis dixit, apud Regem Attalum. Hinc avasit; quia urbs est expugnata.* CO. *Nimis festivè de latrone; de Spartano agro optimè.* LY. *Dii deæque vos cumulent multis bonis, quoniam mihi datis tam bona monita, & datis amplum quæstum.* AD. *Imò, ut ipse nobis aperuit, ut accipias lautius,*

ANNOTATIONES.

ducimus hominem à quo diripiaris: sic intelligunt Advocati. *Ad te adducimus hominem quem diripias*: sic intelligit Leno. *Ad te diripiendum adducimus*, in utramque partem rapi potest.

50. *Latro in Spartâ.*] Id est, *miles.*

53. *Nimis lepide de latrone.*] Hæc secum dicit Collybiscus, probatque dictum Advocatorum, quia ad depredandum lenonem adest, quod latronis est.

Trecento-

Trecentos nummos Philippos portat præsidii.
LY. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero.
AD. Quin hic quidem tuus est. *LY.* obsecro hercle hortamini,
Ut devortatur ad me in hospitium optumum.
AD. Neque nos hortari, neque dehortari decet
Hominem peregrinum : tuam rem tu ages, si sapis.
Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus:
Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.
LY. Jámne itis ? *CO.* quid ! quod vobis mandavi, hospites ?
AD. Cum illoc te melius tuam rem adolescens loqui:
Illic est ad istas res probus, quas quæritas.
CO. Videre equidem vos vellem, cum huic aurum darem.
AD. Illinc procul nos istuc inspectabimus.
CO. Bonam dedistis mihi operam. *LY.* it ad me lucrum.
CO. Illud quidem, quorsum asinus cædit calcibus.
LY. Blandè hominem compellabo. hospes hospitem
Salutat ! salvum te advenire gaudeo.
CO. Multa tibi di dent bona, cum me salvum esse vis.
LY. Hospitium te ajunt quæritare. *CO.* quærito.
LY. Ita illi dixerunt, qui hinc à me abierunt modò,
Te quæritare à muscis. *CO.* minimè gentium.
LY. Quid ita ? *CO.* quia à muscis si mihi hospitium quærerem,
Adveniens huc irem in carcerem rectâ viâ.

INTERPRETATIO.

affert trecentos Philippeos, quasi ad suum præsidium. LY. *Sum Dives, si ego vindicavero hodie illum hominem ad me.* AD. *Profectò tenes hominem.* LY. *Quæso, per Herculem, suadete homini, ut veniat ad me, in commodum hospitium.* AD. *Neque oportet nos impellere hominem advenam, neque deterrere : tu consules tuæ rei, si sapis. Nos tibi adduximus palumbem usque ad plagas : nunc melius est te illum irretire, si libet irretire.* LY. *Abitisne jam?* CO. *Quid ! quod vos rogavi, hospites?* AD. *Est satius, adolescens, te disserere de tuâ re cum illo : ille est peritus in his rebus quas quæritas.* CO. *Equidem optarem vos esse testes, quando huic dabo aurum.* AD. *Nos inspiciemus illud à longè illinc.* CO. *Me adjuvisti benignè.* LY. *Id lucri mihi evenit.* CO. *Quare ille asinus pulsat terram calcibus?* LY. *Adoriar comiter hominem. Hospes salutem dicit hospiti! lætor te advenire salvum.* CO. *Dii tibi impertiant multa bona, quando jubes me esse salvum.* LY. *Dicunt te quærere hospitium.* CO. *Quæro.* LY. *Sic dixerunt illi, qui abierunt hinc à me modò, te quærere liberum etiam à muscis.* CO. *Minimè gentium.* LY. *Cur?* CO. *Quia si quærerem hospitium immune à muscis, accedens huc, irem rectâ viâ in carcerem.*

ANNOTATIONES.

58. *Rex sum.*] Id est, *Fœlix & glorioſus.* Ausonius: *Qui faciat rectè, non qui dominatus erit rex.* Hoc loco Leno significat se divitem futurum, si spoliaverit militem.

63. *Palumbem ad aream.*] Nimirum, ad capiendos palumbes sternitur area frumento; & deinde, cum ad pastum advolant, rete involvuntur.

77. *A muscis.*] Scilicet, *locum liberum.* Id est, in quem ne musca quidem involet, aut intercluſum parasitis, qui olim muscæ vocabantur.

Ego id quæro hospitium, ubi ego curer mollius
Quam regi Antiocho oculi curari solent.
LY. Edepol næ tibi possum illum festivum dare,
Siquidem potes esse pati *te*, in lepido loco,
In lecto lepidè strato, * * *
* * * *CO.* is leno viam.
LY. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo
Vetustate vino edentulo ætatem irriges:
Ibi te replebo usque unguentûm echeumatis.
Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinantur quæ ego dixi omnia.
CO. Quid ita? *LY.* quia aurum poscunt præsentarium.
CO. Quin hercle accipere tu non mavis, quàm ego dare.
LY. Quin sequere me intrò. *CO.* duc me ergo intrò, addictum tenes.
AD. Quid si evocemus huc foràs Agorastoclem,
Ut ipse testis sit sibi certissimus?
Heus tu! qui furem captas, egredere ocius,
Ut túte inspectes aurum lenoni dare.

INTERPRETATIO.

Ego quæro hospitium, in quo meipse curem suavius, quàm solent curari oculi regis Antiochi. LY. *Per eadem Pollucis possum tibi præbere* hospitium *festivum, si potes versari in loco amœno, in lecto molliter composito,* * * * * * * CO. *Ingrederis viam leno.* LY. *Ubi tu proluas mentem Leucadio, Lesbio, vino Thasio, Coo edentulo præ vetustate. Te perfundam unguentis copiosis. Quid multa verba? Efficiam ut balneator faciat unguentariam ibi, ubi tu laveris. Sed hæc omnia, quæ ego dixi, te depradabuntur.* CO. *Quare?* LY. *Quia flagitant pecuniam præsentem.* CO. *Quin, per Herculem, tu non es cupidior accipere, quàm ego dare.* LY. *Quin sequere me intrò.* CO. *Introduc me igitur, habes devinctum.* AD. *Quid si evocemus huc Agorastoclem, ut ipse sit sibi testis certissimus? Heus tu! egredere ocius qui aucuparis furem, ut tu videas dari aurum lenoni.*

ANNOTATIONES.

81. *Quam regi Antiocho.*] Apuleius: *Inter regum Persarum ministros aures regiæ, & imperatoris oculi quidam homines vocabantur.* Putaverim de Antiochi oculis esse sermonem. Quia si mollius cæteræ partes corporis Regii curantur quàm alia quævis, tum oculi vel mollissimè.

87. *Vino edentulo.*] Id est, *vinum sine dentibus.* Id est, *vetus*, in quo acidi minimum.

88. *Echeumatis.*] *Effusionibus.*

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

AGORASTOCLES occultè inducitur in scenam, ut & ipse testis sit cum Advocatis numeratæ Lyco pecuniæ à Collybisco.

AGORASTOCLES adolescens, LYCUS leno, ADVOCATI, COLLYBISCUS villicus.

AGORASTOCLES.

QUID est? quid vultis, testes? *AD.* Specta ad dexteram.
Tuus servus aurum ipsi lenoni datat.
CO. Age, accipe hoc sis: hîc sunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura: properè hosce absumi volo.
LY. Edepol feciſti prodigum promum tibi.
Age eamus intrò. *CO.* te sequor. *LY.* age, age! ambula.
Ibique reliqua alia fabulabimur.
CO. Eâdem narrabo tibi res Spartiaticas.
LY. Quin sequere me ergò. *CO.* abduc intrò. addictum tenes.
AG. Quid nunc mihi auctores estis? *AD.* ut frugi sies.
AG. Quid si animus esse non sinit? *AD.* esto, ut sinit.
AG. Vidistis, leno cùm aurum accepit? *AD.* vidimus.
AG. Eum vos esse meum servum scitis? *AD.* scivimus.
AG. Rem adversus populi sæpe-leges? *AD.* scivimus.
AG. Hem! istæc volo ergo vos commeminisse omnia,
Mox cùm ad Prætorem usus veniet. *AD.* meminerimus.
AG. Quid si recenti re ædis pultem? *AD.* censeo.

INTERPRETATIO.

AG. *Quid est? quid optatis, testes?* AD. *Aspice ad dextram. Tuus servus numerat aurum ipsi lenoni.* CO. *Age, accipe hoc, si placet: sunt hic trecenti nummi aurei numerati, quos vocant, Philippeos. Curæ me his: opto hosce impendi velociter.* LY. *Per ædem Pollucis elegisti dispensatorem profusum. Age, ingrediamur.* CO. *Te sequor.* LY. *Age, age! ambula: fabulabimur ibi alia.* CO. *Uno tempore tibi referam res Spartanas.* LY. *Quin sequere me igitur.* CO. *Introduc: tenes hominem tibi deditum.* AG. *Quid vultis nunc agam?* AD. *Ut sis probus.* AG. *Quid si animus prohibet esse?* AD. *Esto, ut sinit.* AG. *Conspexistis, quando leno accepit aurum?* AD. *Conspeximus.* AG. *Vos non ignoratis eum esse meum servum?* AD. *Non ignoramus.* AG. *Rem hanc esse adversus leges?* AD. *Scimus.* AG. *Hem! rogo igitur vos recordari hæc omnia, quando opus erit modò apud Prætorem.* AD. *Recordabimur.* AG. *Quid si pulsem ad ostium re calente?* AD. *Sic sentio.*

ANNOTATIONES.

6. *Prodigum promum.*] Promus est qui debet habere penes se rationes expensi, condus qui accepti. Apud potentiores hæc duo munera distinguebant. Apud alios idem erat condus qui & promus; unde uno verbo dicebatur, *promuscondus.*

15. *Sæpe-leges.*] *Sæpe-lex, sæpe-legis, sæpe-leges*, uno verbo ex duobus facto. Id est, *Leges sæpe repetitæ* & resancitæ, ut dicitur *semperlenitas* alibi.

AG. Si pultem, non recludet. *AD.* panem frangito.
AG. Si exierit leno, censetis hominem interrogem,
Meus servus si ad eum venerit, nec ne? *AD.* quippini?
AG. Cum auri ducentis nummis Philippis. *AD.* quippini?
AG. Ibi extemplò leno errabit. *AD.* qua de re? *AG.* rogas?
Quia centum nummis minus dicetur. *AD.* bene putas.
AG. Alium censebit quæritari. *AD.* scilicet.
AG. Extemplò denegabit. *AD.* juratus quidem.
AG. Homo furti sese adstringit. *AD.* haud dubium id quidem est.
AG. Quantumquantum ad eum erit delatum. *AD.* quippini?
AG. Diespiter vos perduit. *AD.* te quippini?
AG. Ibo & pultabo januam hanc. *AG.* ita quippini?
AG. Tacendi tempus est: nam crepuerunt fores.
Forâs egredier video lenonem Lycum,
Adeste, quæso. *AD.* quippini? *quin* si voles.
Operire capita, ne nos leno noverit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices.

INTERPRETATIO.

AG. *Si pulsem, non aperiet.* AD. *Frange panem.* AG. *Si leno prodierit, vultis interrogem hominem, utrum meus servus venerit ad eum, nec ne?* AD. *Quidni?* AG. *Cum auri ducentis nummis Philippis.* AD. *Quidni?* AG. *Leno falletur tum extemplò.* AD. *De quâ re?* AG. *Petis? Quia dicam esse minus centum nummis.* AD. *Censes bene.* AG. *Existimabit quæri alium.* AD. *Maximè.* AG. *Inficiabitur statim.* AD. *Etiam interposito jurejurando.* AG. *Homo sese reum faciet furti.* AD. *Id quidem sine dubio.* AG. Se reum faciet furti propter *aurum, quantum quantum est, quod ad eum delatum est.* AD. *Quidni?* AG. *Jupiter vos perdat.* AD. *Quidni te* perdat etiam? AG. *Accedam & pulsabo hoc ostium.* AD. *Etiam quidni?* AG. *Est tempus silendi: nam fores crepuerunt; video egredi foràs lenonem Lycum, adeste, obsecro.* AD. *Quidni? si modo volueris. Contege capita, ne leno nos agnoscat, qui eum vocavimus in tantam calamitatem.*

ANNOTATIO.

19. *Panem frangito.*] Jocus captatus ex *pultem* pro *pulsem*. Agorastocles dicit; si *pultem*, non recludet: id est, *si pulsaverim*, respondent Advocati; *panem frangito*; quasi dicant: si *puls* desit, non deerit *panis*. Accipere enim sese fingunt *pultem*, tanquam à *puls* non à *pulto* seu *pulso*. Porrò crediderim panem hic accipiendum pro *pene*, & *penem* pro *pessulo*, scrioque dici; *Si pulsaveris & minimè aperiant, pessulum frange.*

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

EO ipso quo exultat Lycus admisso apud se Collybisco, & acceptis ab eo trecentis nummis Philippeis, adest Agorastocles, cum testibus: repetit servum suum Collybiscum à Lyco: negat Lycus eum

habere, aut quemquam servum. Et hocce responso Prætoriæ multæ sese reddit obnoxium, utpotè plagii reum.

LYCUS leno, AGORASTOCLES, ADVOCATI.

LYCUS.

SUSPENDANT omnes nunc jam se haruspices.
Quid ego illis post hac quod loquantur creduam?
Qui in re divinâ dudum dicebant, mihi
Malum damnúmque maximum portendier,
Is explicavi meam rem pòst illa lucro.
AG. Salvus sis leno. *LY.* dî te ament, Agorastocles.
AG. Magis me benignè nunc salutas, quàm antidhac.
LY. Tranquillitas evenit, quasi navi in mari:
„UTCUNQUE EST VENTUS, exin velum vortitur.
AG. Valeant apud te quas volo, atque haud te volo.
LY. Valent ut postulatum est, verùm non tibi.
AG. Mitte ad me, sodes, hodie Adelphasium tuam,
Die festo celebri nobilique Aphrodisiis.
LY. Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.
AG. Quid jam? *LY.* quia os nunc frigefactas, cùm rogas.
AG. Hoc agesis leno! servum esse audivi meum
Apud te. *LY.* apud me? nunquam factum reperies.
AG. Mentire. nam ad te venit, aurumque attulit.

INTERPRETATIO.

LY. *Jam universi haruspices sese laqueo induant. Quid dicent deinceps, in quo illis fidem habeam? Nempe vaticinabantur, in sacrificiis, mihi pronunciari mala, & maxima detrimenta. Ex eo tempore ipse amplificavi meas fortunas hoc quæstu.* AG. *Salve leno.* LY. *Dii te ament, Agorastocles.* AG. *Me salutas nunc urbanius solito.* LY. *Tranquillitas mihi contigit, quasi navi in mari: quàcumque flat ventus, eo velum converto.* AG. *Quæ sunt apud te sint salva, eas volo; te verò nolo.* LY. *Valent ut rogasti, sed non pro te; sed pro clamydato.* AG. *Mitte ad me, si placet, hodie tuam Adelphasium, die festo solemni & claro Aphrodisiorum.* LY. *Fuitne hodie calidum prandium? Dic mihi.* AG. *Quare?* LY. *Quia quando à me flagitas nunc id, refrigeras fauces.* AG. *Dic mihi, si placet, leno! Didici meum servum esse apud te.* LY. *Apud me? Nunquam invenies id.* AG. *Mentiris; nam venit ad te, & attulit aurum.*

ANNOTATIONES.

5. *Is explicavi.*] Iis auspiciis, licet sinistris, ut videbantur, amplificavi meas fortunas, hoc lucro quod mihi obtigit trecentorum Philippeorum.

9. *Utcumque est ventus.*] Id est, *A quácumque parte ventus flat*, ad eam velum convertitur: ita qualis est fortuna, talis est hominum animus, vultus, oratio.

11. *Verum non tibi.*] Id dicit Lycus; quia jam militi adventitio destinaverat Adelphasium.

15. *Os frigefactas.*] Id est, educto spiritu ostendis, quanto desiderio teneris Adelphasii.

Ita mihi renunciatum est, quibus credo satis.
LY. Malus es; captatum me advenis cum testibus.
Tuorum apud me nemo est, nec quicquam tui.
AG. Mementote illuc, Advocati! *AD.* meminimus.
LY. Ha ha he! jam teneo quid sit; perspexi modò.
Hi, qui illum dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur,
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc hunc inimicum quia esse sciverunt mihi,
Eum allegaverunt, suum qui servum diceret
Cum auro esse apud me. composita est fallacia,
Ut eo me privent, atque inter se dividant.
Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.
AG. Negásne apud te esse aurum, nec servum meum?
LY. Nego: & negando, si quid refert, ravio.
AD. Perîsti leno. nam iste est hujus villicus,
Quem tibi nos esse Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modò Philippos detulit.
Idque adeò in istoc aurum inest marsupio.
LY. Væ vostræ ætati! *AD.* id in mundo quidem tuæ est.
AG. Age omitte actutum, furcifer, marsupium:
Manifestò fur es mihi! quæso, hercle operam date,
Dum me videatis servum ab hoc abducere.
LY. Nunc pol ego perii certò, haud arbitrario.
Consultò hoc factum est, mihi ut insidiæ fierent.

INTERPRETATIO.

Ii quibus confido multum me hujus rei monuerunt. LY. *Es improbus; advenis cum testibus ad me circumveniendum. Nemo est tuorum apud me, nec quidquam quod ad te pertineat.* AG. *Recordemini horum, Advocati!* AD. *Recordamur.* LY. *Ha ha he! jam capio quid sit; animadverti jam. Ægrè est iis qui ad me adduxerunt modò illum advenam Spartianum, quia lucraturus sum trecentos Philippos. Nunc quia intellexerunt hunc esse meum inimicum, eum summiserunt, ut diceret, suum servum esse apud me. Composita est fallacia, ut me eo spolient, atque partiantur inter se. Volunt adimere agnum lupo, nugantur.* AG. *Negasne esse apud te aurum, & meum servum?* LY. *Nego: & nego usque ad ravim, si quid inde præsidii.* AD. *Perditus es leno. Nam iste est hujus villicus, quem nos tibi diximus esse Spartanum, qui tibi detulit modò ad te trecentos Philippos. Et id aurum est in hoc marsupio.* LY. *Væ vobis!* AD. *Sanè, id est certum tibi.* AG. *Age, dimitte statim, furcifer, marsupium: teneris furto manifestò. Obsecro, per Herculem animadvertite, dum me videatis ab hoc abducere servum.* LY. *Nunc per Pollucem ego interii, pro certo, & sine dubio. Hoc actum est de composito, ut mihi struerentur insidiæ.*

ANNOTATIONES.

22. *Mementote illuc Advocati.*] Sese comparat ad actionem adversus lenonem Agorastocles.

33. *Ravio.*] Id est, nego ad ravim usque.

38. *In mundo.*] Id est, væ tuæ ætati quod meæ imprecaris. Est tibi in promptu; tibi impendet.

42. *Perii certo haud arbitrario.*] Id est, non arbitror periisse me, sed certo scio.

Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priusquam hinc obtorto collo ad prætorem trahor?
Eheu! quàm ego habui ariolos aruspices,
Qui si quid boni promittunt, pro spisso evenit:
Id quod mali promittunt, præsentarium est.
Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo
Suspendere æquum censeant potissimùm.

INTERPRETATIO.

Sed quid ego cunctor convolare hinc in malam crucem, antequam hinc rapior, obtorto collo, ad Prætorem? Eheu! quàm ego habui haruspices certos: porrò, si quid boni pollicentur, evenit tardissimè: si portendunt aliquid mali, accidit in præsentiarum. Nunc pergam, ut consulam amicos, quo modo putent me suspendam potissimum.

ANNOTATIONES.

45. *Obtorto collo.*] Rapere obtorto collo, est veste ad collum comprehensâ ita teneri, ut si renitatur, qui ita tenetur, strangu-letur. *Obtortum collum*, id est, *tortum collum*, seu *vinculum* collo injectum torquere, & fauces premere.

47. *Pro spisso evenit.*] Id est, si quid pollicentur boni aruspices, tardè & serò venit.

ACTUS TERTIUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

AGORASTOCLES mandat Collybisco servo prodire ex ædibus Lyci, & testibus præsentibus adigit fateri esse se servum ipsius Agorastoclis.

AGORASTOCLES adolescens, COLLYBISCVS villicus, ADVOCATI.

AGORASTOCLES.

AGE tu progredere, ut testes videant te ire istinc foràs.
Estné hic servus meus? *CO.* sum mehercle verò, Agorastocles.
AG. Quid nunc, sceleste leno? *AD.* quîcum litigas,
Abscessit. *AG.* utinam hinc abierit malam crucem.
AD. Ita nos velle æquum est. *AG.* cras subscribam homini dicam.

INTERPRETATIO.

AG. *AGe tu prodi, ut testes te conspicant exeuntem ex ædibus. Estne hic meus servus?* CO. *Ego sum, Agorastocles.* AG. *Quid dicis jam, improbe leno?* AD. *Leno cum quo contendis, fugit.* AG. *Utinam eat in malam crucem.* AD. *Par est sic nos optare.* AG. *Cras vocabo ad Prætorem.*

ANNOTATIO.

5. *Subscribam homini dicam.*] *Dica* est causa, actio juris. *Subscribere litem* est vadimonium dicere, *in jus vocare*, vocare ad Prætorem.

CO. Nunquid me ? *AG.* abscedas, sumas ornatum tuum.
CO. Non sum nequiquam miles factus : paululum
Prædæ intus feci. dum lenonis familia
Dormitat ; extis sum satur factus probè.
Abscedam hinc intrò. *AG.* factum à vobis comiter.
Bonam dedistis, Advocati, operam mihi.
Cras manè, quæso, in comitio estote obviam.
Tu sequere me intrò. vos valete ! *AD.* & tu vale.
Injuriam illic insignitè postulat :
Nostro servire nos sibi censet cibo.
„ Verùm ITA SUNT ISTI NOSTRI divites :
„ Si quid benefacias, levior plumâ est gratia :
„ Si quid peccatum'st, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus nostras, sultis, nunc jam :
Quando id, quoi rei operam dedimus, impetravimus,
Ut perderemus corruptorem civium.

INTERPRETATIO.

CO. *Quid me vis amplius ?* AG. *Abi, sume tuas vestes.* CO. *Non sum factus miles incassum : nonnihil prædatus sum hìc. Dum domus lenonis dormit ; sum egregiè satur extis. Me recipiam in ædes.* AG. *Egistis humaniter adversum me. Mihi navavistis egregiam operam, Advocati. Estote præsto, vos obsecro, cras manè, in comitio. Tu sequere me ingredientem. Vos valete !* AD. *Et tu vale. Agorastocles facit profectò rem injustam. Existimat nos sibi servire nostris sumptibus. Verùm divites nostri* temporis *sunt ejusmodi ; si afficias aliquo beneficio, gratia levior est plumâ ; si admissa est aliqua culpa, exercent iras graves. Proficiscamur jam in nostras ædes, si placet ; quia sumus assecuti id, quod nobis proposueramus, ut perderemus corruptorem civium.*

ANNOTATIONES.

12. *Estote obviam.*] Id est, estote mihi præsto. Adeste causæ.
15. *Nostro cibo.*] Id est, nostro sumptu.
16. *Isti nostri divites.*] Id est, *divites nostri temporis.*
18. *Plumbeas iras gerunt.*] Graves & diuturnas. Tacitus : *Proclivius est injuriæ, quàm beneficio vicem exolvere ; quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur.* Seneca : *Ita naturâ comparatum est, ut altius injuriæ quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

SYNCERASTUS fraudibus Milphionis circumventus, ac præsertim heri exasperatus crudelitate, detegit ipsi Milphioni Adelphasium

phasium & Anteraſtilem eſſe liberas Hinc novum ſtruendarum Lyco inſidiarum apertum eſſe locum intelligit.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

MILPHIO fraudis in Lycum inſtructæ eventum expectat.

MILPHIO ſervus.

EXPECTO quo pacto meæ technæ proceſſuræ ſient.
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miſerum macerat.
Is me autem porrò verberat, incurſat pugnis, calcibus.
SERVIRE AMANTI, miſeria eſt; præſertim qui, quod amat, caret.
At at! è fano recipere video ſe Synceraſtum
Lenonis ſervum: quid habeat ſermonis, auſcultabo.

INTERPRETATIO.

MI. *OBſervo quo modo meæ fraudes ceſſuræ ſint. Volo perdere hunc lenonem, quia diſcruciat meum infelicem herũ. Is me pulſat, proſequitur pugnis, calcibus. Eſt luctuoſum ſervire amanti; præſertim qui caret eo, quod amat. At at! Video Synceraſtum ſervum lenonis, qui reverititur è templo: audiam quam orationem habeat.*

ANNOTATIONES.

3. *Incurſat pugnis.*] Metaphora ducta eſt ab iis, qui folle pugillario ludunt quem impugnant, & *incurſant pugnis*, & *calcibus*, ne terram attingat, aut ne conquieſcat, & ut in aëre ſit ſemper ſublimis.

4. *Qui quod amat caret.*] Supple *eo*, ut ſit, *eo quod amat caret.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SYNCERASTUS expoſtulat in crudelitatem heri: ejus expoſtulationes auſcultat ex occulto Milphio; deinde palàm eum aggreditur, & eò perducit, ut herum ſuum prodat detegatque Adelphaſium & Antheraſtilem eſſe liberas, emptáſque à Siculo prædone cum nutrice ſua Giddeneme, minis duodeviginti.

SYNCERASTVS, MILPHIO servi duo.

SYNCERASTVS.

SATIS spectatum est, deos atque homines ejus negligere gratiam,
Cui homini herus est consimilis, velut ego habeo nunc hujusmodi;
Neque perjurior, neque pejor alter usquam est gentium,
Quàm herus meus est: neque tam luteus, neque tam cœno collitus;
Ita me dî ament! velim lautumiis, vel in pistrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro *mea*,
Quàm apud lenonem hunc servitutem colere. quid illuc est genus!
Quæ illîc hominum corruptelæ fiunt! dî vostram fidem,
Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris.
Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitivum velis,
Verberatum, vinctum, addictum: qui habet quod det, *ut* homo est,
Omnia genera recipiuntur: itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ: bibitur, estur, quasi in popinâ, haud secus;
Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis.

INTERPRETATIO.

SY. *Est perspectum Deos & homines esse infestos ei, qui habet herum simílem ei, quem habeo. Est nullus usquam gentium, perfidior & nequior; neque tam spurcus, neque tam obscœnus. Ita me Dii ament! Libentius vitam ducerem, vel in lapidicinis, vel in pistrino, succinctis lumbis rigente ferro, quàm servirem apud hunc lenonem. Quodnam genus est illud* hominum! *quæ libidines perpetrantur in ejus ædibus! Vos testor, ô Dii! Conspicias in iis quodlibet genus hominum, quasi lapsus fueris ad Inferos. Vis equitem, peditem, libertinum, furem, fugitivum, verberatum, vinctum, damnatum: quivis qui habeat, quod det, quicumque tandem est, eo admittitur. Idcircò in omnibus ædibus tenebræ, latebræ: potant, edunt, tanquam in cauponâ. Conspicias in iis* amphoras, *litteris notatas, pice obsignatas: insunt nomina scripta litteris cubitalibus.*

ANNOTATIONES.

2. *Cui homini.*] Perturbata oratio, quæ sic redigi potest in ordinem. Constat Deos & homines, *negligere ejus gratiam.* Id est, *Non habere gratum, vel non amare eum, qui habet herum qualem ego habeo.*

5. *Lautumiis.*] Asconius: *Lautumiæ sunt loca lapidibus cæsis exsecta, in quæ noxii damnari solebant; ejusmodi erant lapidicinæ Syracusis in Siciliâ.*

14. *Epistolas.*] *Testas seu amphoras litteris inscriptas, epistolas fictiles appellat;* in rudente, *urnæ litteratæ.* Nimirum conditum in amphoris vinum in plures annos servabatur; &, ne ætatis vini oblivíscerentur, imponere solebant schedam; in quâ, & locus unde allatum fuisset vinum, & quo tempore conditum fuisset amphoris inscriberetur.

15. *Pice signatas.*] Obsignabantur amphoræ, ne aërem admitterent.

Nomina insunt cubitum longis litteris.] Petronius arbiter: *Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum*

Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.
MI. Omnia edepol mira ſunt, niſi herus hunc hæredem facit,
Nam is quidem illi ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem, & autem nimis eum auſculto libens.
SY. Hæc cùm hîc video fieri, crucior pretiis emptos maximis,
Apud nos expeculiatos ſervos fieri ſuis heris.
„ Sed ad poſtremum nihil apparet. MALE PARTUM, MALE DISPERIT.
MI. Proinde habet hic orationem, quaſi ipſe ſit frugi bonæ,
Qui ipſus hercle ignaviorem potis eſt facere Ignaviam.
SY. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vaſa, ubi hoſtiis
Herus nequivit propitiare Venerem ſuo feſto die.
MI. Lepidam Venerem! *SY.* nam meretrices noſtræ primis hoſtiis
Venerem placavêre extemplò. *MI.* ô lepidam Venerem denuò!
SY. Nunc domum ibo. *MI.* heus! Synceraſte. *SY.* Synceraſtum qui vocat?
MI. Tuus amicus. *SY.* haud amicè facis, qui cum onere offeras moram.
MI. At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi juſſeris.

INTERPRETATIO.

Habemus domi delectum mercatorum *vinariorum.* MI. *Per ædem Pollucis, mirum videatur, niſi herus ſcripſerit hunc hæredem; nam is quidem, ſicut dicit, perorat pro mortuo; & lubet convenire hominem, quamquam eum audio lubentiſſimè.* SY. *Quando conſpicor hæc fieri, in hoc loco, doleo, ſervos emptos cariſſimè, ſubduci ſuis heris apud nos. Sed demum nihil ſupereſt: male quæſita, male dilabuntur.* MI. *Hic loquitur perinde, atque ſi eſſet probus, qui, per Herculem, poteſt ipſe reddere Nequiquam ipſam nequiorem.* SY. *Tandem referam hæc vaſa in ædes à templo Veneris, in quo herus non potuit ſibi reddere propitiam Venerem ſuo die feſto.* MI. *Feſtivam Venerem!* SY. *Nam noſtræ meretrices placavêre ſtatim Venerē primis hoſtiis.* MI. *Feſtivam Venerem iterum!* SY. *Nunc tandem ibo.* MI. *Heus! Synceraſte.* SY. *Quis appellat Synceraſtum?* MI. *Tuus amicus.* SY. *Non facis amicè, qui objicis moram mihi onuſto.* MI. *Sed tibi auxiliabor idcircò quando mandaveris, ubicumque libebit.*

ANNOTATIONES.

hoc titulo: Phalernum opimianum annorum centum. Idem: *Scedium affixum ampullis, cui inſcripta ætas vini.* Ætas illa notabatur conſulibus Romanis, quibus condita erant vina in amphoris. Juvenalis.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Cetinis, cujus patriam titulumq; ſenectus
Delevit, multâ veteris fuligine teſtæ.

16. *Vinariorum delectum.*] Id eſt, habemus delectum domi vinariorum, hominum, qui vini curam gerant, ut habetur delectus militum.

18. *Verba facit emortuo.*] Id eſt, Lycus fecit hæredem Synceraſtum ſervum. Nam Synceraſtus facit ejus orationem funebrem. Nimirum eorum erat qui ſcripti fuerant hæredes laudatione publicâ proſequi mortuos. Hoc autem loco Milphio mortuum Lycum putat, ut quem mox de ſuo ſuſpendio deliberantem audiverit.

24. *Facere ignaviam.*] Qui ipſam Ignaviam reddere poſſit ignaviorem; id eſt, ignaviſſimus.

27. *Primis hoſtiis.*] Id eſt, *Præcidaneis*, quæ priores erant; & *ſuccidaneæ hoſtiæ*, quæ deinceps cædebantur, ſi nimirum bene ſucceſſiſſent *præcidaneæ*.

Habe rem pactam. *SY.* si futurum est, do tibi operam hanc,
MI. quomodo?
SY. Ut enim ubi mihi vapulandum est, túte corium sufferas.
MI. Apage! *SY.* nescio quid viri sis. *MI.* malus sum. *SY.* tibi sis!
MI. te volo.
SY. At onus urget. *MI.* at tu appone; & respice ad me *SY.* fecero:
Quanquam haud otium est. *MI.* salvos sis, Synceraste. *SY.* ô Milphio,
Di omnes deæque ament. *MI.* quémnam hominem? *SY.* nec te, nec me, Milphio:
Neque herum meum adeò. *MI.* quem ament igitur? *SY.* *alium quemlibet.*
Nam nostrorum nemo dignus est. *MI.* lepidè loquere. *SY.* me decet.
MI. Quid agis? *SY.* facio quod manifestò mœchi haud fermè solent.
MI. Quid id est? *SY.* refero vasa salva. *MI.* dîte & tuum herum perduint!
SY. Me non perdent, illum ut perdant. facere possim, si velim,
Meum herum ut perdant; ni mihi metuam, Milphio. *MI.* quid id est? cedò.
SY. Malus es. *MI.* malus sum. *SY.* malè mihi est. *MI.* memorádum! esse aliter decet.
Quid est, quod malè sit? cui domi est quod edis, quod ames affatim,
Neque triobulum ullum amicæ das; & ductas gratiis.
SY. Diespiter me sic amabit. *MI.* ut quidem edepol dignus es.
SY. Ut ego hanc familiam interire cupio! *MI.* adde operam, si cupis.
„ *SY.* SINE PENNIS volare haud facil'est. meæ alæ pennas non habent.

INTERPRETATIO.

habe hoc pro certo. SY. *Si feceris, te auscultabo.* MI. *Quo pacto?* SY. *Ut quando plectendus ero, subjicias tuum tergum.* MI. *Apage!* SY. *Nescio quid sis.* MI. *Sum improbus.* SY. *Sis pro te.* MI. *Te cupio.* SY. *At onus premit.* MI. *Depone id, & aspice me.* SY. *Aspiciam; quamvis non vacat.* MI. *Salve, Synceraste.* SY. *O Milphio, cuncti Dii & Deæ fortunent.* MI. *Quem hominem?* SY. *Neque te, neque me, Milphio; neque adeò meum herum.* MI. *Quem felicitent ergo?* SY. *Alium quemvis. Nam nullus ex nobis meretur.* MI. *Benè dicis.* SY. *Hoc me dignum est.* MI. *Quid facis?* SY. *Ago id quod mœchi deprehensi non solent fermè agere.* MI. *Quid est id?* SY. *Refero vasa salva.* MI. *Dii te infelicitent, & tuum herum!* SY. *Non me perdent, ut illum perdant. Possum efficere, si libet, ut perdant meum herum; nisi mihi metuam, Milphio.* MI. *Quid est? Eloquere.* SY. *Es nequam.* MI. *Sum nequam.* SY. *Malè habeo.* MI. *Dic igitur! Oportet tibi esse bene. Quare est tibi malè? Tibi est domi quod edas, quod ames abundè, neque das amicæ ullum triobolum, & amas gratis.* SY. *Ita me habet Jupiter.* MI. *Ut es meritus per ædem Pollucis.* SY. *Ut opto hanc familiam perire!* MI. *Enitere evertere, si cupis.* SY. *Non est facile volare sine pennis: meæ alæ non habent pennas.*

ANNOTATIO.

33. *Túte corium sufferas.*] Id est, *tuam cutem pro me flagris subjicias.*

MI. Nolito edepol develliſſe, jam his duobus menſibus
Volucres tibi erunt tuæ hirquinæ. *SY.* i in malam rem. *MI.* i tu atque herus.
SY. Verùm enim qui homo eum norit, citò homo pervorti poteſt.
MI. Quid jam? *SY.* quaſi tu tacere quicquam potis ſis. *MI.* rectius
Tacitus tibi reſiſtam, quàm quod dictum eſt malæ mulieri.
SY. Animum inducam facilè, ut tibi iſtuc credam, ni te noverim.
MI. Crede audacter meo periculo. *SY.* malè credam, & credam tamen.
MI. Scin tu herum tuum meo hero eſſe inimicum capitalem? *SY.* ſcio.
MI. Propter amorem. *SY.* omnem operam perdis. *MI.* quid jam? *SY.* quia doctum doces.
MI. Quid ergo dubitas, quin lubenter tuo hero meus quod poſſiet
Facere, faciat malè, ejus merito. tum autem ſi quid tu adjuvas,
Eò facilius poterit facere. *SY.* at ego hoc metuo, Milphio.
MI. Quid eſt, quod metuas? *SY.* dum hero inſidias parem, ne à te perdeam:
Si herus meus me eſſe locutum cuiquam mortali ſciat,
Continuò is me ex Synceraſto crurifragium fecerit.
MI. Nunquam edepol mortalis quiſquam fiet è me certior,
Niſi hero meo uni indicaſſo, atque ei quoque, ut ne enunciet
Id eſſe facinus ex te ortum. *SY.* malè credam, & credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. *MI.* Fidei non melius creditur,
Loquere, locus occaſióque eſt, liberè: hîc ſoli ſumus.

INTERPRETATIO.

MI. *Per ædem Pollucis noli vellere, tuis alis hircuinis, his duobus menſibus, erunt volucres.* SY. *I in malam crucem.* MI. *I tu, & herus.* SY. *Qui eum noverit, poteſt brevi tempore corrumpi.* MI. *Cur?* SY. *Quaſi tu poſſis diſſimulare quidquam.* MI. *Premam diutius ſilentio id quod mihi dixiſti, quàm mala mulier premat id quod illi eſt creditum.* SY. *Niſi te cognoſcerem, facilè adducerer, ut tibi fidem haberem.* MI. *Crede audacter meo periculo.* SY. *Confidam malè, & tamen confidam.* MI. *Sciſne tuum herum eſſe inimicum mei heri?* SY. *Scio.* MI. *Amoris causâ.* SY. *Ludis operam.* MI. *Quare?* SY. *Quia mones monitum.* MI. *Dubitásne igitur, quin meus herus, damno afficiat ultrò, ſi poſſit, tuum herum, ut dignus eſt? Si verò fueris auxilio, quid eſt facilius?* SY. *Sed ego unum timeo, Milphio.* MI. *Quid eſt, quod pertimeſcas?* SY. *Dum ſtruam inſidias hero, ne me perdas: ſi meus herus noverit me verba feciſſe cum quoquam homine, ſtatim is me reddet crurifragium ex Synceraſto.* MI. *Per ædem Pollucis nemo unquam ſciet niſi herus; eique indicabo, ut nemini dicat te eſſe autorem hujus facti.* SY. *Confidam malè, & confidam tamen. Sed ne cui dixeris.* MI. *Non confidas melius. Fidei. Dic ſecurè, eſt locus & occaſio: ſumus ſoli hic.*

ANNOTATIONES.

62. *Perdeam.*] Id eſt, *peream*, inſerto *d*.
64. *Crurifragium.*] Nomine mutato Synceraſti. Ut ſit *Crurifragius*, non *Synceraſtus*.

SY. Herus si tuus volet facerem frugem, meum herum perdet. *MI.* quî id potest ?
SY. Facilè. *MI.* fac ergo id facile noscam, ut ille possit noscere.
SY. Quia Adelphasium, quam herus deamat tuus, ingenua est. *MI.* quo modo ?
SY. Eodem, quo soror illius altera Anterastilis. *MI.* sed quî id credam ? *SY.* quia
Illas emit in Anactorio parvulas, duodeviginti minis
De prædone Siculo. *MI.* quanti ? *SY.* duodeviginti minis. *MI.* Duas illas ? *SY.* nutricem earum tertiam.
Et ille qui eas vendebat, dixit se furtivas vendere :
Ingenuas Carthagine ajebat esse. *MI.* dî vostram fidem !
Nimium lepidum memoras facinus : nam herus meus Agorastocles,
Ibidem gnatus inde surreptus ferè sexennis : post ibi
Qui eum surripuit, huc devexit, meóque hero eum hîc vendidit.
Is in divitias homo adoptavit hunc, cùm diem obiit suum.
SY. Omnia memoras. quò id facilius fiat, manu eas asserat
Suas populares, liberali caussâ. *MI.* tacitus tace modò.
SY. Profectò AD INCITAS LENONEM REDIGET, si eas abduxerit.

INTERPRETATIO.

SY. *Si tuus herus velit consulere suæ utilitati, perdet meum herum.* MI. *Quo pacto ?* SY. *Facilè.* MI. *Dic igitur, ut illi dicam.* SY. *Quia Adelphasium, quam tuus herus deperit, est ingenua.* MI. *Quo pacto ?* SY. *Eodem, quo Anterastilis altera ejus soror.* MI. *Verùm quomodo id credam ?* SY. *Quia illas emit in Anactorio, parvulas, octodecim minis à prædone Siculo.* MI. *Quanti ?* SY. *Octodecim minis.* MI. *Duas illas ?* SY. *Earum nutricem tertiam : & ille, qui eas vendidit, dixit se vendere, furto abductas : dicebat fuisse ingenuas Carthagine.* MI. *O Dii vos testor! Dicis rem nimis festivam : nam meus herus Agorastocles, natus ibidem, est inde abductus fermè sex annorum natus : postea, quidam suffuratus est, adduxit huc, & eum vendidit hic, meo hero. Hic eum adoptavit in familiam, quando excessit è vitâ.* SY. *Scis omnia. Ut præstet id facilius, eas manu mittit, tanquam suas cives, in judicio.* MI. *Sile jam-sile.* SY. *Sine dubio, si eas abduxerit, rediget lenonem ad extremas angustias.*

ANNOTATIONES.

70. *Facerem frugem.*] Id est, *Facerem bene*; ut *facere nequam*, id est, *facere male.*

84. *Liberali caussâ.*] Id est, *asserat eas in libertatem causâ liberali.* Id est, judicio seu actione de libertate. Unde *assertores* dicuntur, *vindices alienæ libertatis.* Dicitur & *liberali manû asserere. Assertor, vindex, vindicta, assertio.*

85. *Ad incitas.*] *Incitas* vno verbo est unius casus nomen, & accusativi pluralis, ut *inficias, suppetias. Ad incitas redactus*, idem est atque *ad extremas angustias redactus.* Apuleius dixit : *Ad extremas incitas.* Nimirum antiqui terminos extremos vocabant, *incitos* : itaque dicebant, *ad incitos*, pro *ad incitos terminos.* Id est, *ad extremos terminos : lineas* item *incitas* vocabant, *lineas extremas* : & *ad incitas* dicebant, pro *ad incitas lineas.* In ludo duodecim scriptorum, quando ad ultimam lineam compulsi erant calculi, neque ulterius compelli poterant, dicebatur is cujus erant calculi, *redactus ad incitas lineas*, id est, *extremas.* Calculi verò dicebantur *inciti.* Ludus ille vocabatur, *grammismus, grammas, scripta scriptorum, ludus latronum.*

MI. Quin prius disperibit faxo, quàm unam calcem civerit.
Ita paratum est. *SY.* ita dî faxint, ne apud Lenonem hunc serviam.
MI. Quin hercle collibertus meus faxo eris, si di volent.
SY. Ita dî faxint. nunquid aliud me morare, Milphio?
MI. Valeas, benéque ut tibi sit. *SY.* pol istuc tibi, & hero tuo, est in manu.
Vale! & hæc cura, clanculum ut sint dicta. *MI.* non dictum est. vale.
SY. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur! *MI.* lepidus, cùm mones:
Et hoc ita fiet. *SY.* proba materies data est, si probum adhibes fabrum.
MI. Potin' ut taceas? *SY.* taceo atque abeo. *MI.* mihi commoditatem creas.
Illic hinc abiit. di immortales meum herum servatum volunt,
Et hunc disperditum lenonem: tantum eum instat exitii.
Satíne, priusquam unum est injectum telum, tum instat alterum!
Ibo intrò, hæc ut meo hero memorem. nam huc si ante ædes sevocem,
Quæque audivistis modò, nunc si eadem hîc iterum, inscitia'st.
Hero uni potius intus ero odio, quàm hîc sim vobis omnibus.
Dî immortales, *quid malorum*, quanta advenit calamitas
Hodie ad hunc lenonem! sed ego nunc est cùm me moror.
Id negotium institutum est, non datur cessatio.

INTERPRETATIO.

MI. *Quin dabo operam ut prius dispereat, quàm moverit unum calculum. Res sunt ita constitutæ.* SY. *Dii præstent id, ne amplius apud lenonem serviam.* MI. *Quin per Herculem meus eris collibertus, si Diis placet.* SY. *Dii sic velint. Visne me aliud, Milphio?* MI. *Vale, bene tibi sit.* SY. *Per Pollucem illud est in tua potestate, & tui heri. Vale! & cura, ut hæc sint dicta clam.* MI. *Non dictum puta. Vale.* SY. *Sed id nihil, nisi fiat intereadum calet!* MI. *Es lepidus, quando admones: hoc fiet sic.* SY. *Est suppeditata optima materies, si adhibeas bonum opificem.* MI. *Tacebisne?* SY. *Sileo, atque abeo.* MI. *Mihi ostendis commoda. Ille abiit hinc: Dii immortales optant servare meum herum, & disperdere hunc lenonem: adeò est magnum exitium quod ei impendet. Antequam unum telum est vibratum, repente injicitur alterum! Introibo, ut narrem hæc meo hero; nam si rogem venire ante ades, & si repetam hìc eadem quæ audivisti, est amentia. Ero potius invisus meo hero intus, quàm hìc vobis omnibus. Dii immortales! quanta mala, quanta calamitas hodie incidit in hunc lenonem! sed jam me ipse retardo. Hæc res est incœpta, non est locus intermittendi.*

ANNOTATIONES.

86. *Unam calcem.*] Festus: *Calces per diminutionem vocantur calculi.*

92. *Dum calet.*] Id est, *dum res recens est*; translatio à ferro deducta, quod, *dum calet*, mulcendum est.

Nam & hoc nocte consulendum quod modò concreditum'st,
Et illud autem inserviendum'st consilium vernaculum.
Remora si sit, qui malam rem mihi det, meritò fecerit.
Nunc intrò ibo: dum herus adveniat à foro, opperiar domi.

INTERPRETATIO.

Nam & deliberandum est, hacnocte, de hoc quod credidit mox servus, & promovendum est illud consilium à nobis inventum. Si sit aliquis, qui mora injecta, mihi afferat aliquod damnum, rectè egerit. Jam ingrediar: expectabo domi usque eodum, herus revertatur à foro.

ANNOTATIO.

105. *Vernaculum.*] Domesticum illud, & à nobis natum consilium. Cicero: *Crimen domesticum ac vernaculum.* Idem: *Sapor vernaculus.* Idem: *Vernacula festivitas.* Varro: *Vernaculum ac dominatum.* Idem: *Vinum vernaculum, uva vernacula.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

HANNO-Pœnus seu Pœnulus, peragratis regionibus fermè omnibus, in quærendis filiabus suis Adelphasio & Anterastili, tandem venit Chalydonem, & rectà pergit ad ædes Anthidamantis, cujus tesseram hospitalem secum attulerat. Et hìc quidem Anthidamantem non invenit; erat enim mortuus: sed filium ejus adoptivum Agorastoclem, à quo recipitur, & statim agnoscit, & Agorastoclem nepotem suum, & filias duas Adelphasium & Anterastilem. Hîc Scena redundat lætitiâ.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ADVENTU suo Chalydonem Hanno-Pœnus seu Pœnulus Deos salutat urbis Tutores ac Præsides: implorat eorum auxilium in quærendis filiabus suis, Adelphasio & Anterastili, & pergit domum Anthidamantis hospitis sui. Hæc Scena est partim Punica, partim Latina.

HANNO-

HANNO-POENVS loquitur Punice.

YThalonim, vualonuth ſi chorathiſima comſyth,
Chym lachchunyth mumys thyalmyctibari imiſchi

INTERPRETATIO.

PRecer Deos & Deas hujus urbis præſides, ut quod in animo habeo, bene ſuccedat; & eorum voluntate res meæ rectè fluant.

ANNOTATIONES.

1. *Ythalonim.*] Joannes Philippus Pareus hos duos verſus characteribus Hebraïcis ſic ſcribit:

וֹת־עַל יוּנִין וְעֵלוֹ גוֹת סִיז קְרָאתִי
שְׁמָה קוֹמְשִׁירת
בִּים לָךְ בְּוֹנת מוֹמִים תְּעַלְמִק
טִבְרִי עִמְּסתִי

Joannes Seldenus in opere de Diis Syris ſic Hebraïcè primùm. Et verſibus duobus diſtinguit.

נא את עליונים ועליונורת
שקרא אתם מקום חזאת:

Quem ſic caracteribus Latinis ſubjicit:

Na ethelionim velionoth ſe qvara otham makom hazoth;

Sic vertit Latinè:

Obſecro ſuperos ſuperaſque
Quibus contigit locus iſte.

Samuel Petitus libro Miſcellaneorum ſecundo ſic Hebraïcè eoſdem verſus:

נֵט עֲלִיוֹנִים וְעֲלִיוֹנוֹת זְכוֹר אֶת־
אֵישֵׁי מָקוֹם זֹאת
חֵינִי לַקְחוּ וְתִמְמִי שְׁתִּי עַלְמוֹת
עִבְרְתִּי מִזְחִי

Sic Hebraïca Latinis characteribus:

Neth alonim, ualonoth, ſecor eth iſi macom ſoth:
Chyni lachchu, vultmimi. Sty almoth ibarti miſchi:

Sic Hebraïca Latinis vertit:

Inclinate & advertite, ô Dî Deaque, quorum ſub numine viri hujus civitatis ſunt.
Deprecationem & integritatem meam accipite. Duas filias generavi, robur meum:

Samuel Bochartus in alterâ parte ſui Phaleg capite ſecundo putat verſus ſexdecim, priores Scenæ hujus, eſſe partim Punicos partim Libycos: & Punicos quidem, quos cenſet eſſe decem priores, pro virili reſtituit; ſex verò poſteriores, quos Libycos eſſe exiſtimat, & hactenus incaſſum à quovis fuiſſe tentatos, & ipſe reſtituere deſperat, niſi quod ſuſpicatur idem verſibus ſex Libycis exprimi, quod & decem Punicis prioribus Scenæ, & undecim Latinis Plauti. Sic autem emendat ſcripturam horum verſuum duorum.

N'yth alonim valonuth ſicorath jiſmacôn ſith
Chy-mlachai jythmu mitſlia mittebariim iſchi

Characteribus Hebraïcis ſic exprimit.

נא את עליונום ועליונות שבורת
יסמכון זות:
בי מלכי יתמו: מצליח טרכ־
ריהם עסקי:

Hebræa Latinis characteribus ſic ſcribit:

Na eth eljonim veeljonoth ſechorath iiſmecun zoth
Chi melachai jitthemu; matſlia middabarehen iski,

Latinè ſic vertit:

Rogo Deos & Deas qui hanc regionem tuentur,
Ut conſilia mea compleantur; Proſperum ſit ex ductu eorum negotium meum.

Lipho canet hyth bymitthii ad ædin bynuthii.
Byrnarob ſyllo homalonin uby miſyrthoho
Bythlym mothym noctothii nelechanti daſchmachon
Yſſidele brim tyfel yth chylys chon, tem, liphul

INTERPRETATIO.

ad liberandum meum filium & filias meas è poteſtate prædonum. Dii (inquam hoc faciant) *per ſpiritum multum, qui eſt in illis & per providentiam ſuam. Amicus meus Antidamarchus conſueverat diverſari apud me: ſed ille additus eſt eorum cœtui, qui habitant in tenebris.*

ANNOTATIONES.

3. *Lipho.*] Joannes Philippus Pareus hos verſus quatuor characteribus Hebraïcis ſic ſcribit:

לִיפוֹ קָנַח אַח בְּנוֹתִי דָּאָ־דִין
בִּינִים אוֹתִי
בִּירָבְרוֹךְ שְׁלוֹ עוֹמְלוֹנִים וּבִי־
מְסַרְתְּוֹחוֹ
בְּתְלִים מוֹטִין נוֹקְתוֹתִיהִיוֹ לְכַנְתִּי
דָּשְׁמָכוֹן
עֲסַךְ לִיבְרִים טְפִלוֹת בְּלוּחַ יָבוֹן
חֵם לִיפוֹל

Sic Hebraïca Latinis vertit:
Fato impulſus feci ut irent ſingulis Deorum diebus feſtis ad hortos,
Cum gaudio multo, quod conturbavit Deus, & in die cantici fuit vacuitas:
Puellæ ſurreptæ abierunt: Quonam ibo thalamos omnes calcans?
Ubi eſt qui illas rapuit? ut tollam ineptitudines doloris mei, quas quaſi fructus producit mihi gignere & educare

Samuel Petitus libro Miſcellaneorum ſecundo ſic Hebraïcè eoſdem verſus:

לִיפְק אֲנִיתִי בִּימֵי תְּחוּ עַד עֲרֶן
בִּימֵי תָּחוּ
בִּרְנָח רַב שְׁלוֹ הוּם עֲלִיוֹנִים
וּבִימֵי שִׁיר תְּחוּ
בְּתוֹלִים עוֹטְנוֹת אָתוּ גַּלֵּךְ תָּא
דָּשׁ מָקוֹם
אֵי שׁוּד אֶלָּא בְּרוֹם תְּפִלוֹת חִילִי
שֶׁהִנְטַם לִי פְּעוֹל

Sic Hebraïca Latinis characteribus:
Liphoc anethy bymi Thu ad ædin, bymi Thu,
Byrna rob, ſyllo hom alonim, ubymi ſyr, tohu:
Bythym othynoth athu: nelech an, ta das
E ſod elle? brum tyfeloth chyly, ſchontem li, phol

Samuel Bochartus ſic emendat:

לפורקנת את בני את יד עדי
ובנותי:
נרוח רוב שלהם עליונים
ובמשורתהם:
בטרם מות חנות אותי הלך
אנטידמרכון:
איש שידע לי: ברם טפל את
חילי שבינתם לאפל:

Hebræa Latinis characteribus ſic ſcribit:
Lephurcanath eth beni eth jad adi vbenothai,
Berua rob ſellahem eljonim ubimeſuratehem,
Beterem moth anoth othi helech Antidamarchon,
Is ſejada li: Beram tippel eth chele ſechinatam leophel.

Latinè ſic vertit:
Ad liberationem filii mei è manu prædonis, & filiarum mearum.
Dii (inquam id præſtent) *per ſpiritum multum qui eſt in ipſis & per providentiam ſuam.*
Ante obitum diverſari apud me ſolebat Antidamarchus
Vir mihi familiaris: ſed is eorum cœtibus junctus eſt, quorum habitatio eſt in caligine,

Uth bynim ysdibut thinno cuth nu Agoraſtocles
Ythe manet ihy chyrſae lycoch ſith naſo
Byuni id chil luhili gubylim laſibit thim
Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth luſim

INTERPRETATIO.

Dicunt Agoraſtoclem filium ejus apud eum manere. Teſſera hoſpitalis eſt, tabula ſculpta, cujus ſculptura eſt; Deus meus: hanc fero. Mihi dictum eſt eum manere in hac regione. Ingreditur aliquis per hoſtium, ſciscitabor ab eo numquid noverit Agoraſtoclẽ.

ANNOTATIONES.

7. *Uth.*] Joannes Philippus Pareus hos verſus quatuor characteribus Hebraïcis ſic ſcribit.

וּתְבִנִים עֲזִדִיבוּר וְרִנוּ בוּתְנוּ

Agoraſtocles

עֲחִי מַנַח עֲהִי בְּרִסְהִי לִיבוֹאִי סִיתְנַאסוֹ

בִּינִי וּתְכִיל לוּחֲלִי נוּבְלִים לַסְבִּית־טִינִים

בּוֹר יֹאלִית עֲרָעִים נִין נוּעִים לִים מוֹנְכוֹת לְרִזִים

Samuel Petitus libro Miſcellaneorum ſecundo ſic Hebraïcè coſdem verſus:

אֶת־בְּנִים אִישׁ דִּבֵּר נְוֹת בַּה נְוֹת Agoraſtocles

וּתְמוֹנָה תְּהִי קוֹרְאָה שְׁאֵל וְחֵק זֹאת נְשֵׁא

בִּינְנוּ דְּחִי לִי יְהִי לִי נְבוּלִים לַשְׁבִּית תְּמִי

בַּדִּי אֶל אֶתְעָה רַע אֲנִין וְאַשְׁלִים מְנָחוֹת וְאִשִּׁים

Sic Hebraïca Latinis characteribus:

Eth banim, Ys diber noth co noth Agoraſtocles:

Vthemuna tehy chora, ſel acoch, ſoth noſe.

Bynnu. Dchi li ihi gebulim, laſbit thumi:

Bady al ethe ra, ennyn, vaſlym mincoth viſim

Sic Hebraïca Latinis vertit:

Liberos. Dixerunt hìc pro certo habitare Agaraſtoclem:

Eſt hoſpitalis teſſera, Saturni imago, (hanc fero)

Inter nos: Eſto aliquis finis itineris mei, quo tandem integritati meæ requies concedatur:

Ne ſolus, & miſer, afflictúſque errem huc illùc, quin potius in liberis meis innoveſcam, & rependam dona & oblationes

Samuel Bochartus ſic emendat:

את בן אמיע דבור תם נקוט נוח אנורסטוקלים:

חותם חנותי הוא ביוא ביור שאלי חוץ זאת נושא:

בינו עד בילו האלה נבולים לשבת תם:

בוא די עלי תרע אנא הנו׳אשאל אם מנכד לו שם:

Hebræa Latinis charecteribus ſic ſcribit:

Eth ben amis dibbur tham necot nave Agoraſtocles.

Othem anuthi hu chior ſeeli choc; zoth noſe.

Binni ed chi lo haelle gebulim laſebeth tham.

Bo di ale thera inna; Hinno, eſal im mancar lo ſem:

Latinè ſic vertit:

Filium ejus conſtans fama eſt ibi fixiſſe ſedem, Agoraſtoclem (nomine)

Sigillum hoſpitii mei eſt tabula ſculpta, cujus ſculptura eſt Deus meus: Id fero.

Indicavit mihi teſtis eum habitare in hu finibus.

Venit aliquis per portam hanc: Ecce eum: rogabo nunquid noverit nomen (Agoraſtoclis.)

Exanolim volanus ſuccuratim miſti atticum eſſe
Concubitum à bello cutius beant lalachant chona enus es
Hujec ſilec paneſſe athidamaſcon alem induberte felono buthume
Celtum comucro lueni, at enim avoſo uber bent hyach Ariſtoclem
Et te ſe aneche naſoctelia elicos alemus duberter mi comps veſpiti
Aodeanec lictor bodes juſſum limnimcolus

ANNOTATIONES.

חַט אַזְנָה קִינָה זֹאת אֵל יְעֵלַי
חוֹשָׁה לְאמוּן דִּבֵּר תֶּרְמִי חַי
וּפְסוּ אֶשְׁפּוֹתַי
הָא עוֹד אֶעֱנֵק לְקָטוֹר בּוֹ דַּשְׁי
אָסֵם לְמְנִים קוֹלֵס:

Sic Hebraïca Latinis characteribus:

Et alonim ualonoth : ſeccarati miſti attic, umaſſe,
Conco biti miabel lo cuti nibe ani : le laccu tchina, anus is.
Hoi ceſi, lec po, naſſe athid amas, cun . al emun diber Tefelon, ob, uthume:
Cel tum : com ucra : lu enu : et oni mau oſe : ubar banthy ach Ariſtoclem.
At, aſſena china ſot, el iaeli, coſa lumun diber termi, cai : upſu aſpoti:
E od eanec lictor bo deſi aſſam limnim coles.

Sic Hebraïca Latinis vertit:

Dis Deabuſque, quos invocavi conſultores, & adjutores mihi,
Ad luſtrandam domum meam à dolore, quo affectus ſum cum illos laudarem. Sed orationem non acceperunt; afflictiſſimuſque ſum & animum deſpondeo.
O ſpes mea, huc veni: & qui me cumque manet labor, perferre facito, animos ſume à veritate oraculi & reſponſorum Dei Tau, à divinationibus, & oſtentis, prodigiiſque:
Numero adimplere: erige te, & precare: Utinam exaudiant: faceſſat dolor à patre religioſo, & dignoſcam fratris filium Ariſtoclem.
Attente audi lamentationem iſtam, Deus mea potentia, feſtina ad veritatem verbi exaltationis meæ, ô Deus, & ceſſabunt ſterquilinia mea.
Ecce deinceps de meis facultatibus honorem habebo, ſacrificans far DIs omnibus, & laudans.

11. *Exanolim.*] Joannes Philippus Pareus hos verſus ſex characteribus Hebraïcis ſic ſcribit:

אָח עֲלִיוֹנִין עֲלוּנוֹת סוּפָרוֹחִים
מִישְׁתִי Atticum eſſe
קוֹתִים בֶּאֱנֵת Concubitum à bello
לַלַּכְנַת כָּנָה עֲנוּחֵם
הוּיק סִלֵּק מָנַסִּי אֲתִי דַּמַּסְקוֹח
עֲלֵם עַנְרוּבְרַחִי פְּלוּנוּ בְּתֶמִי
קֵלְתוֹם קוֹמוּקָרָה לֵעֲנִי At enim
חֲוֹו סוּבֵר עֲנָה־עִיח Ariſtoclem
עֲחֵסָאֲנֵךְ עֲסַקְטֵלִיעַ הֵלֶכוֹת עֲלֵ־
מוֹת דּוּבְרְטֵרְמִי קוֹמְפֵס וְסִפְטִי
קַרְדַּעֲנֵךְ lictor בּוֹרֵת juſſum לִי־
מְנִימְקוֹלוֹם

Samuel Petitus libro Miſcellaneornm ſecundo ſic Hebraïcè eoſdem verſus:

אֶת־עֲלְנוּם וְעֶלְיוֹנוֹת שְׁקָרָאתִי
מְעַשְּׁתִי עָתִיק וּמַעֲשֶׂה
חֲנְבוֹ בִיתִי מֵאֵבֶל לוֹ קוֹטְתִי נִפְא
אֲנִי לֹא לַקְחוּ תְּחַנָּאנוּשׁ אֵשׁ
הוֹי חֲסִילֵךְ פֶּה נַשֵּׂא עָתִיד עַמַּס
כֵּן עַל אֱמוֹן רִבֵּר תָּהוּ עֶלְיוֹן
אוֹב וְתוֹמֵה
קַל תּוֹם קוּם וּקְרָא וֹל עֲנוֹ אֶת
עֲוֹנִי מֵאֵב חוֹסֶח וּבַר בַּנְתִי
אֶח Ariſtoclem

Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt,
Ut, quod de meâ re huc veni, rite venerim.
Measque ut gnatas, & mei fratris filium,
Reperire me siritis: dii vostram fidem!
Quæ mihi surreptæ sunt, & fratris filium.
Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit;
Eum feciſſe ajunt, ſibi quod faciundum fuit.
Ejus filium hìc prædicant eſſe Agoraſtoclem:
Deum hoſpitalem ac teſſeram mecum fero:
In hiſce habitare monſtratu'ſt regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.

INTERPRETATIO.

Oro Deos & Deas qui huic urbi præſident, ut felix ſit adventus meus in hanc civitatem, in iis, quorum cauſa huc commigravi: ut annuatis ut inveniam meas filias & filium mei fratris: ô Dii vos obteſtor. Meas, inquam, filias, *quæ mihi ſunt ſurreptæ & filium mei fratris. Olim habui hìc hoſpitem Antidamantem. Dicunt eum egiſſe, quod fuit ſibi agendum. Aiunt ejus filium Agoraſtoclem hìc habitare: apporto mecum Deum hoſpitalem ac teſſeram: mihi indicatum eſt eum habitare in hiſce locis. Rogabo* (ubi maneat) *ab his qui egrediuntur ex illis ædibus, & huc* veniunt.

ANNOTATIONES.

17. *Deos deasque.*] Mos erat apud antiquos, ut quum aliquò advenirent, Deos tutelares loci salutarent.

Veneror.] *Veneror* hoc loco ſignificat *precor*; ſicut alibi *amo* & *amabo* ſignificat etiam *precor*. Hoc tamen differunt, quod *veneror*, ſignificet *religioſe precor*, & *amo* vel *amabo*, *amice precor*.

Qui hanc urbem colunt.] Erat apud antiquos ſemper in quavis urbe Deus aliquis, qui præcipuo quodam cultu afficiebatur, & is erat tutelaris. Hi erant quos adventu ſuo colebant advenæ. Apud Caledonios ejuſmodi erat Venus, ut patet ex pluribus fabulæ hujus locis.

19. *Meas gnatas.*] Adelphaſium & Anteraſtilem.

Mei fratris filium.] Agoraſtoclem Jachonis filium.

22. *Antidamas.*] Antidamas erat hoſpes Hannonis & Jachonis, ut eſt ſuprà dictum; & ipſe Antidamas emerat Jachonis filium Agoraſtoclem ſurreptitium, ignarus eſſe filium hoſpitis ſui. Et ipſe moriens Agoraſtoclem ſcripſerat heredem.

25. *Eum feciſſe ajunt.*] Hoc toto verſu eſt circumlocutio, quâ nihil aliud ſignificatur, quàm *mortuus eſt*. Nimirum veteres *mortis* nomen & recordationem, quantum in ſe erat, declinabant.

25. *Deum hoſpitalem ac teſſeram.*] Id eſt, *Deum hoſpitali teſſeræ inſculptum*. Petitus ex Hebræis Scenæ ſecundæ conjicit eſſe Saturnum.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

FILIUM Jachonis fratris Agaroſtoclem agnoſcit Hanno-Pœnus. Hìc incipit ſolutio Fabulæ.

AGORASTOCLES, MILPHIÓ, POENVS.

AGORASTOCLES.

AIN tu tibi dixe Synceraſtum, Milphio,
Has eſſe ingenua ambas ſurreptitias
Carthaginienſis? *MI.* ajo: &, ſi frugi eſſe vis,
Eas liberali jam aſſeres cauſsâ manu.
Nam tuum flagitium'ſt tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.
POE. Prò dî immortales, obſecro veſtram fidem!
Creta eſt profectò horum hominum oratio.
Quàm orationem hanc aures dulcem devorant!
Ut mihi abſterſerunt omnem ſorditudinem!
AG. Si ad eam rem teſtis habeam, faciam quod jubes.
MI. Quid tu mihi teſtis? quin tu inſiſtis fortiter?
Aliqua fortuna fuerit adjutrix tibi.
„ *AG.* INCIPERE MULTO EST, quàm impetrare, facilius.
MI. Sed quænam illæc avis eſt, quæ huc cum tunicis advenit?
Númnam it à balineis circumductus pallio?
Facies quidem edepol *Punica eſt.****
Servos quidem edepol veteres antiquoſque habet.
AG. Quî ſcis? *MI.* viden' homines ſarcinatos conſequi?
Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent.
AG. Quid jam? *MI.* quia incedunt cum annulatis auribus.

INTERPRETATIO.

AG. *Dicisne, Milphio, Synceraſtum tibi patefeciſſe has duas* virgines *Carthaginenſes eſſe ingenuas furto ablatas?* MI. *Dico: & ſi es probus, eas vindicabis, quia ſunt liberæ. Nam vitio vertetur ſi feras, te inſpectante, tuas cives ſub jugo eſſe, quæ fuerunt liberæ apud ſuos.* POE. *Proh Dii immortales obteſtor veſtram fidem! Sanè oratio horum hominum eſt aperta. Quàm avidè meæ aures hanc captant! Ut mihi eluerunt omnes moleſtias animi!* AG. *Si eſſent mihi teſtes hujus rei, agerem quod præcipis.* MI. *Quid teſtes* loqueris? *Quare non urges rem ſtrenuè? Aliqua fortuna tibi erit auxilio.* AG. *Eſt longè facilius incipere, quàm perficere.* MI. *Sed, quænam eſt illa avis quæ advolat huc cum tunicâ? Revertiturne à balneis, ſubducto per fraudem pallio? Per ædem Pollucis vultus ejus eſt Punicus. Habet profectò ſervos vetuſtos & annoſos.* AG. *Quare?* MI. *Videsne homines qui alligatis ſarcinis, eum conſequuntur? Et, ut exiſtimo, non habent digitos in manibus.* AG. *Quare?* MI. *Quia habent annulos in auribus.*

ANNOTATIONES.

8. *Creta.*] Ut cretâ emaculantur veſtes, ſic oratione Agoraſtoclis & Milphionis abſterguntur animi moleſtiæ in Pœno.

14. *Impetrare.*] Eſt ab *in* auxetico, & *patro, patras*, id eſt, *perficio*, quaſi dicas *perpetrare*: hic enim *impetrare* eſt oppoſitum *incipere*.

15. *Avis.*] Appellat *avem* Hannonem Pœnum, ob manicas tunicæ alarum inſtar utrinque pendentes.

Adibo hoſce, atque appellabo Punicè.
Si reſpondebunt, Punicè pergam loqui:
Si non; tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu? ecquid commeminiſti Punicè?
AG. Nihil edepol nam quî ſcire potui, dic mihi,
Qui illinc ſexennis perierim Carthagine?
POE. Prò dî immortales! plurimi ad hunc modum
Perîêre pueri liberi Carthagine.
MI. Quid ais tu? *AG.* quid vis? *MI.* vin' appellem hunc Punicè?
AG. An ſcis? *MI.* nullus me eſt hodie Pœnus Punior.
AG. Adi atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui ſit, cujatis, unde ſit: ne parſeris!
MI. Avó! cujates eſtis? aut quo ex oppido?
POE. Hanno muthumballe bechaedreanech.
AG. Quid ait? *MI.* Hannonem ſeſe ait Carthagine,
Carthaginienſem Muthumballis filium.
POE. Avó! *MI.* ſalutat. *POE.* donni! *MI.* doni vult tibi
Dare hinc neſcio quid. audin pollicerier?
AG. Saluta hunc rurſus Punicè verbis meis.
MI. Avó donni, hic mihi tibi inquit verbis ſuis.
POE. Me bar bocca. *MI.* iſtuc tibi ſit potius, quàm mihi!
AG. Quid ait? *MI.* miſeram eſſe prædicat buccam ſibi.
Fortaſſe medicos nos eſſe arbitrarier.

INTERPRETATIO.

Accedam ad eos, & alloquar Punicâ linguâ. Si repoſuerint, proſequar loqui Punicâ linguâ: ſi non repoſuerint, tum vertam ad horum mores orationem. Quid tu? nonne aliquid calles linguâ Punicâ? AG. *Nihil per ædem Pollucis. Nam, dic mihi, quomodo callerem, qui natus ſex annis raptus fuerim Carthagine?* POE. *Proh Dii immortales! Complures pueri liberi perierunt, hoc modo, Carthagine.* MI. *Quid dicis tu?* AG. *Quidvis?* MI. *Libetne appellem Punicâ linguâ?* AG. *Scisne* Punicam linguam? MI. *Eſt nullus hodie Pœnus magus Pœnus,* AG. *Accede atque roga, quid, velit, quare venerit, quis ſit, cujas ſit, unde ſit; ne peperceris* verbis! MI. *Havo! cujates eſtis, aut quo ex oppido?* POE. *Hanno muthumballe bechaedreanech.* AG. *Quid dicit?* MI. *Dicit à ſe eſſe Hannonem Carthaginenſem filium muthumballis.* POE. *Havo!* MI. *Salutat.* POE. *Donni!* MI. *Vult tibi dare dono neſcio quid: audisne polliceri?* AG. *Saluta hunc rurſus Punicè meis verbis.* MI. *Havo donni, hic mihi dicit tibi, havo donni, ſuis verbis.* POE *Me Bar bocca.* MI. *Malim hoc tibi contigiſſe, quàm mihi!* AG. *Quid ait?* MI. *Dicit ſe habere linguam miſeram: forſitan exiſtimat nos eſſe medicos.*

ANNOTATIONES.

34. *Avo!*] Pareus: חָוֹה *ſalve: ave.* Petitus: חוה אדני *Salve Domine mi.*

35. *Hanno.*] Pareus: הנו מוטומבלי Petitus: הצרי־ענך בקרעגך *Chadreanach. Cartaginenſis.*

38. *Donni.*] Pareus & Petitus: אֲדוֹנִי *Domine.*

42. *Me bar bocca.*] Pareus: מַבַּר Petitus: מה בר בבה בוקם *quam lachrymarum filius.*

AG. Si *ita* est, nega esse: nolo ego errare hospitem.
MI. Audi tu, rufen nuco istam. *AG.* sic volo
Profectò vera cuncta huic expedirier.
Roga, nunquid opus sit? *MI.* tu qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem, aut quid quæritis?
POE. Muphursa. *AG.* quid ait? *POE.* mivulechianna. *AG.* quid venit?
MI. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus.
POE. Laech lachananim limi nichot. *AG.* quid nunc ait?
MI. Ligulas canales ait se advexisse & nuces:
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.
AG. Mercator credo est. *POE.* Isam aruinam. *AG.* quid est?
POE. Palum erga dectha. *AG.* Milphio, quid nunc ait?

INTERPRETATIO.

AG. *Si id rogat, nega* nos *esse* medicos: *ego nolo hospitem in errore versari.* MI. *Audisne tu rufen nuco istam.* AG. *Sic libet huic explanari omnia vera; postula, an opus habeat quapiam re.* MI. *Tu, discincte, quare venistis in hanc urbem, aut quid quæritis?* POE. *Muphursa.* AG. *Quid dicit?* POE. *Mivulechianna.* AG. *Quid vult?* MI. *Non audis? Dicit se velle dare mures Africanos in pompam ludis ædilibus.* POE. *Laech lachananim limichot.* AG. *Quid fabulatur?* MI. *Dicit se advenisse ligulas canales & nuces: rogat jam, ut adjuves in eis divendendis.* AG. *Puto, est mercator.* POE. *Isam aruinam.* AG. *Quid est?* POE. *Palum erga dectha.* AG. *Milphio, quid dicit jam?*

ANNOTATIONES.

46. *Rufen.*] Pareus:

רוּפֵן מִכּוֹ

Petitus:

רוֹפֵא מַחוֹה יִסְתּוֹם

Rescribit: ---*rofe maco istom.* Id est, *Medicus abstergere clandet.*

50. *Muphursa.*] Punica versuum 50. 53. 56. & 57. continui sunt sermonis. Pareus:

טוּפוּרְסָה מִיפוּלְק חַאנָה
לַחֲנִים לְמִינְכֶם
אִיזְסֵם עֲרוּנִם
פַּלוּס אֶרְנָח דַּקְתָּה

Petitus:

מַפְרוּשָׁח מוּנִי לְכִין נָא
לְאֵךְ לַחֲנִנִי מְלוּנִי נַהוּתִ
אִשׁ אֶמֶר בִּן־חֶם

פְּלוּנִי עִיר נַד אֲחַת

Latinè ita sonant:

Hospitium tesseræ meæ, cujus imago Saturnus est: Quaso
Indica, ut miserearis mei, hospitium meum, & deduc.
Honoratus adolescens iste est
O *Sêîva: urbis columen unicum:*

51. *Mures Africanos.*] Alciatus: *Videtur mures Africanos Plautus appellasse, quos Plinius Niloticos, quandoque Ægyptios,* lib. 10. cap. 65. *Ægytiis muribus durus pilus sicut herinaceis, iidem bipedes ambulant, ceu Alpinus.*

54. *Ligulas canales.*] Servus nequam, ignarus linguæ Punicæ, quâ fabulatur cum Hannone-Pœno, interpretatur ejus orationem ex sono vocum uno; ut videre est ex vocibus Punicis, & earum interpretatione Milphiana.

MI. Palæ

MI. Palas vendundas sibi ait, & mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.
Ad messim credo missus hic quidem tuam.
AG. Quid istuc ad me? *MI.* certiorem te esse volui,
Ne quid clàm furtivè accepisse censeas.
POE. Muphonnium sucorahim. *MI.* hem! cave si feceris,
Quod hic te orat. *AG.* quid ait, aut quid orat? expedi.
MI. Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eò
Lapides imponi multos, ut sese neces.
POE. Gunebel balsamenieraſan. *AG.* narra quid est?
Quid ait? *MI.* non hercle nunc quidem quicquam scio.
POE. At ut scias nunc, de hinc Latine jam loquar.
Servum hercle te esse oportet & nequam & malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.
MI. At hercle te hominem & sycophantam, & subdolum,
Qui huc adveniſti nos captatum migdilybs,
Bisulcilingua, quasi proserpens bestia.
AG. Maledicta hinc aufer! linguam compescas face.
Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Meis consanguineis nolo te injustè loqui.
Carthagini ego sum natus, ut tu sis sciens.
POE. O mi popularis, salve! *AG.* & tu edepol, quisquis es.

INTERPRETATIO.

MI. *Dicit se habere trullas vendendas, & furcas, ut fodiat hortum, & ut metat frumentum. Puto venit huc ad tuam messem.* AG. *Quid id ad me attinet?* MI. *Volui te habere pro certo, ne existimes me accepisse aliquid furtim.* POE. *Muphonium sucorahim.* MI. *Hem! cave ne feceris id quod à te hic precatur.* AG *Quid dicit, aut quid rogat? aperi.* MI. *Ut mandes sese supponi sub cratiula, & sibi imponi multos lapides, ut sese neces.* POE. *Gunebel balsamenieraſan.* AG. *Expone quid est? Quid ait?* MI. *Nunc per Herculem nihil intelligo eorum quæ dicit.* POE. *Et ut intelligas nunc, deinceps loquar Latinè. Per Herculem oportet te esse servum, & nequam & improbum, qui illudas homini peregrino & advenæ.* MI. *Sed per herculem oportet te esse hominem sycophantam & versipellem, qui veniſti huc ad nos captãdos migdilybs, bisulcâlinguâ, quasi serpens.* AG. *Abstine hic maledictis! coërce linguam. Si sapis, tu cavebis maledicere huic. Nolo te convitiari meis affinibus. Ego sum natus Carthagini, ne tu ignores.* POE. *O mi civis, salve!* AG. *Tu quoque salvus sis, per ædem Pollucis, quisquis es.*

ANNOTATIONES.

58. *Palas.*] *Pala, pelle; Merga, fourche.*

63. *Muphonnium.*] Sic scribit Hebraïcè Pareus: מופוניים זבורהים. Sic Petitus: מפני הום שקיר אים. Characteribus Latinis sic scribit: *Mephaunium secoraim.* Sic Latinè vertit: *Qui removet calamitates eorum, qui ejus auxilium implorant.*

67. *Gunebel.*] Sic Pareus: גונבל גאון נבל בלסמן ערסן Sic Petitus: בעל־שמים ירסן Characteribus Latinis: *Gunnabal belsamen ieraſen.* Latinè sic vertit: *Petulantiam & superbiam hominis improbi & vilis* (Milphionem intellige) *compescat & refrænet Jupiter.*

Et si quid opus est, quæso, dic; atque impera,
Popularitatis caussâ. *POE.* habeo gratiam.
Verùm ego hîc hospitium habeo: Antidamæ filium
Quæro. commonstra, si novisti Agorastoclem.
Ecquem adolescentem tu hîc novisti Agorastoclem?
AG. Siquidem Antidamarchi quæris adoptatitium,
Ego sum ipsus, quem tu quæris. *POE.* hem! quid ego audio?
AG. Antidamæ gnatum me esse. *POE.* si ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam, attuli.
AG. Agedum huc ostende. est par probè: nam habeo domùm.
POE. O mi hospes, salve multum! nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo, hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.
AG. Ego hîc apud me hospitium tibi præbebitur.
Nam haud repudio hospitium, neque Carthaginem:
Inde sum oriundus. *POE.* di dent tibi omnes quæ velis!
Quid ais? quî potuit fieri, ut Carthagini
Gnatus sis, hîc autem habuisti Ætolum patrem?
AG. Surreptus sum illinc. hic me Antidamas hospes tuus
Emit, & is me sibi adoptavit filium.
POE. Demarcho item ipse fuit adoptatitius.
Sed mitto de illo, & ad te redeo. dic mihi,
Ecquid meministi tuûm parentum nomina?
AG. Patris atque matris memini. *POE.* memorádum mihi:
Si novi fortè, aut si sunt cognati mihi.

INTERPRETATIO.

Etsi quid est opus, obsecro, dic & manda, quia es popularis. POE. *Ago gratias. Sed habeo hic hospitium. Quæro filium Antidamæ. Indica mihi Agorastoclem, si novisti. Nonne tu novisti hic adolescentem Agorastoclem?* AG. *Si quæris filium adoptivum Antidamarchi, ego sum ipse quem tu quæris.* POE. *Hem! quid ego audio?* AG. *Me esse filium Antidamæ.* POE. *Si ita est, ecce tessera hospitalis, quam attuli, si placet, confer.* AG. *Agedum ostende huc. Respondet probè: nam habeo domi.* POE. *O mi hospes, salve multum! nam tuus pater, tuus pater, inquam, Antidamas fuit meus hospes: hanc habui tesseram hospitalem cum illo.* AG. *Igitur tibi erit hic apud me hospitium. Nam non recuso hospitium, neque Carthaginem: sum oriundus inde.* POE. *Cuncti Dii tibi præbeant qua exoptas! Quid dicis? Quomodo potuit fieri, ut sis natus Carthagini, habuisti autem hic patrem Ætolum?* AG. *Fui surreptus illinc. Antidamas tuus hospes me emit, hic, & me adoptavit filium.* POE. *Ipse fuit etiam adoptivus Demarchi: sed omitto dicere de illo, & revertor ad te. Dic mihi; recordarisne nomina tuorum parentum?* AG. *Recordor patris atque matris.* POE. *Dic dum mihi, ut videam, si fortè novi, aut si sunt mihi cogniti.*

ANNOTATIO.

91. *Pater tuus ergo.*] Hoc loco *ergo* est una ex illis vocibus, quæ usurpantur à Comicis personis, quarum esse debet sermo inacuratus; utpotè qui esse vulgi fingitur; atque adeò in quo voces esse solent alieno loco positæ. Hìc *ergo* significat *inquâ*,

AG. Ampsigura mater mihi fuit, Jachon pater.
POE. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!
AG. An mortui sunt? *POE.* factum; quod ægrè tuli.
Nam mihi sobrina Ampsigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus,
Et is me heredem fecit, cùm suum obiit diem.
Quo me privatum ægrè patior mortuo.
Sed si ita est, ut tu sis Jachonis filius,
Signum esse oportet in manu lævâ tibi,
Ludenti puero quod momordit simia.
Ostende, ut inspiciam. aperi. *AG.* vide. eccum adest.
Mi patrue, salve. *POE.* & tu salveto, Agorastocles.
Iterum mihi gnatus videor, quia te repperi.
MI. Pol istam rem vobis bene evenisse gaudeo.
Et te moneri numne vis? *POE.* sanè volo.
MI. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquum est habere hunc bona, quæ possedit, pater.
POE. Haud postulo aliter: restituentur omnia.
Suam rem sibi salvam sistam, si illò advenerit.
MI. Facito sis reddas, etsi hîc habitabit tamen.
POE. Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat.
MI. Festivum facinus venit mihi in mentem modò.
POE. Quid id est? *MI.* tuâ est opus operâ. *POE.* dic mihi quid lubet?
Profectò uteris, ut voles, operam meam.

INTERPRETATIO.

AG. *Ampsigura fuit mea mater, Jachon fuit meus pater.* POE. *Utinam tuus pater, & tua mater viverent!* AG. *Suntne mortui?* POE. *Sunt; & hoc magis ægrè tuli, quod Ampsigura tua mater fuit mea consobrina. Tuus pater meus frater erat patruelis; & is me scripsit hæredem, quando obiit suum diem. Fero molestè me destitutum eo mortuo. Sed si est sic, ut tu sis filius Jachonis, oportet te habere signum in manu lævâ, quam simia impressit morsu ludenti puero. Præbe ut inspiciam. Aperi.* AG. *Vide; acce adest. Mi patrue, salve.* POE. *Et tu salve, Agorastocles. Mihi videor natus iterum, quando te reperi.* MI. *Per Pollucem lætor illam rem vobis bene cessisse. Et te moneri nonne vis?* POE. *Maximè volo.* MI. *Oportet reddi filio fortunas paternas; est par hunc habere fortunas, quas pater possedit.* POE. *Non postulo aliter: restituentur universa ei; restituam ei fortunas incolumes, si eò pervenerit.* MI. *Fac si placet ut reddas, tametsi maneat hîc.* POE. *Quin iste habebit etiam mea, si quid mihi accidat humanitus.* MI. *Res jucunda mihi venit mox in animum.* POE. *Quid est hoc?* MI. *Est opus tuâ industriâ.* POE. *Dic mihi id quod volueris? Sanè uteris meâ operâ, ut placebit.*

ANNOTATIO.

125. *Si quid me fuat.*] Si obiero mortem. Cicero: *Si quid mihi humanitus accidisset.*

Quid est negotî? *MI.* potin' tu fieri subdolus?
POE. Inimico possum. amico insipientia est.
MI. Inimicus hercle est hujus. *POE.* male faxim lubens.
MI. Amat à lenone hic. *POE.* facere sapienter puto.
MI. Leno hîc habitat vicinus. *POE.* malè faxim lubens.
MI. Ei duæ puellæ sunt meretrices servulæ
Sorores: earum hic alteram effictim perit.
Neque eam incestavit unquam. *POE.* acerba amatio est.
MI. Nunc leno ludificatur. *POE.* suum' quæstum colit.
MI. Hic illi malam rem dare volt. *POE.* frugi, si id facit.
MI. Nunc hoc consilium capio, & hanc fabricam apparo,
Ut te allegemus: filias dicas tuas,
Surreptasque esse parvulas Carthagine,
Manuque liberali caussâ ambas asseras,
Quasi filiæ tuæ sint ambæ. intellegis?
POE. Intellego hercle. nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice unà surreptæ sunt parvulæ.
MI. Lepidè herclè assimulas! jam in principio id mihi placet.
POE. Pol magis, quàm vellem. *MI.* heu! hercle mortalem catum,
Malum, crudumque & callidum atque subdolum!
Ut afflet! quo illud gestu faciat facilius.
Me quoque dolis jam superat architectonem.
POE. Sed earum nutrix, quâ sit facie, mihi expedi.
MI. Staturâ haud magnâ, corpore aquilo. *POE.* ipsa ea'st.
MI. Specie venustâ, ore atque oculis pernigris.

INTERPRETATIO.

Quid est rei? MI. *Potesne tu fieri versipellis?* POE. *Possum fieri cum inimico: est amentia fieri cum amico.* MI. *Per Herculem est hujus hostis.* POE. *Malefaciam libenter.* MI. *Agoraστocles amat puellam, quæ est in potestate lenonis.* POE. *Existimo agere sapienter.* MI. *Leno manet hîc in vicinis.* POE. *Malo afficiam libens.* MI. *Habet duas puellas meretrices servas sorores: hic deperit ardenter alteram earum, neque eam unquam attigit.* POE. *Est amor durus.* MI. *Leno nunc eum irridet.* POE. *Servit suo quæstui.* MI. *Hic optat male afficere.* POE. *Rectè fecerit, si præstet id.* MI. *Intelligo jam id consilium, & instruo hanc machinationem. Ut te summittamus, dic eas esse tuas filias, & esse surreptas Carthagine parvulas; & eas vindices ambas, in judicio, in libertatem, quasi sint ambæ tuæ filiæ. Capisne?* POE. *Capio per Herculem. Nam mihi etiam sunt duæ filiæ, quæ sunt surreptæ parvulæ cum nutrice.* MI. *Per Herculem assimulas, festivè! Jam in principio id mihi placet.* POE. *Per Pollucem magis placet, quàm vellem.* MI. *Heu! per Herculem hominem callidum, malum, peritum, fraudulentum & vafrum! ut flet! quo id melius gerat. Jam me superat architectum fraudibus.* POE. *Sed memora mihi, quo vultu sit nutrix earum?* MI. *Statu non procero, corpore subnigro.* POE. *Est illa ipsa.* MI. *Specie venustâ, ore eximio, & oculis pernigris.*

ANNOTATIO.

152. *Corpore aquilo.*] Aquilus color est fuscus, & subniger ab aquâ nominatus.

POE. Formam quidem hercle verbis depinxti mihi.
MI. Vin eam videre? *POE.* filias mâlo meas.
Sed i, atque evoca illam: si eæ meæ sunt filiæ:
Si illarum est nutrix, me continuò novit.
MI. Heus! ecquis hîc est? nunciate, ut prodeat
Foràs Giddeneme: est qui illam conventam esse vult.

INTERPRETATIO.

POE. *Mihi adumbrasti per Herculem verbis formam.* MI. *Visne eam cernere?* POE. *Mâlo videre meas filias. Sed i, & illam voca;* ut discam *utrum sint meæ filiæ. Si est illarum nutrix, me agnoscet statim.* MI. *Heus! ecquis est hic? Nunciate, ut prodeat foras Giddeneme: est qui optat illam convenire.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

GIDDENEME Hannonem-Pœnum, seu Pœnulum agnoscit.

GIDDENEME nutrix, HANNO-Pœnus, MILPHIO servus, AGORASTOCLES, PVER.

GIDDENEME.

QUIS pultat? *MI.* qui te proximus est. *GI.* quid vis? *MI.* eho,
Novistin' tu illunc tunicatum hominem, qui siet?
GI. Nam quem ego aspicio! prò supreme Jupiter!
Herus meus hic quidem est, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginiensis. *MI.* ecce autem mala!
Præstigiator hic quidem Pœnus probus est,
Perduxit omnis ad suam sententiam.
GI. O mi here salve! Hanno, insperatissime
Mihi tuisque filiis, salve. atque eho!
Mirari noli, neque me contemplarier.

INTERPRETATIO.

GID. *Quis impellit ostium?* MI. *Qui tibi est finitimus.* GI. *Quid petis?* MI. *Eho, novistine quis sit ille, qui tunicâ indutus est?* GI. *Quem nam ego conspicor! Proh Jupiter summe! adest meus herus, Hanno Carthaginensis, pater mearum alumnarum.* MI. *Ecce verò mala! Hic quidem Pœnus est peritus circulator; traxit universos ad suam sententiam.* GI. *O mi here, sis salvus! sis salvus Hanno, mihi insperate tuisque filiabus. Atque eho! Noli admirari, neqi me considerare.*

ANNOTATIO.

9. Filiis.] Pro *filiabus.*

Cognoſtin' Giddenemen ancillam tuam?
POE. Novi. ſed ubi ſunt meæ gnatæ? id ſcire expeto.
GI. Apud ædem Veneris. *POE.* quid ibi faciunt? dic mihi.
GI. Aphrodiſia hodie Veneris eſt feſtus dies:
Oratum ierunt deam, ut ſibi eſſet propitia.
MI. Pol ſatis ſcio impetrarunt, quando hic hîc adeſt.
AG. Eho an hujus ſunt illæ filiæ? *GI.* ita, ut prædicas.
Tua pietas nobis planè auxilio fuit,
Cùm hùc adveniſti hodie in ipſo tempore.
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerèntque indignum genere quæſtum corpore.
PUER. Handones illi havon bene ſi illi in muſtine.
GI. Me ipſi & eneſte dum & alamna ceſtinum.
AG. Quid illi locuti ſunt inter ſe? dic mihi.
MI. Matrem ſalutat hic ſuam, hæc autem hunc filium.
POE. Tace atque parce muliebri ſupellectili.
AG. Quæ ea eſt ſupellex? *POE.* clarus clamor ſine modo.
Tu abduc hos intrò, & unà nutricem ſimul
Jube abire hanc ad te. *AG.* fac quod imperat.

INTERPRETATIO.

Cognoſcisne Giddenemen tuam ancillam? P OE. *Novi; ſed ubi ſunt meæ filiæ? Id volo ſcire.* GI. *In templo Veneris.* P OE. *Quid agunt ibi? loquere.* GI. *Eſt hìc feſtus dies Aphrodiſiorum: iverunt rogatum Deam, ut ſibi faveat.* MI. *Per Pollucem, exauditæ ſunt, quandoquidem, hic adeſt hîc.* AG. *Eho, anne ſunt illæ hujus filiæ?* GI. *Sunt, ſicut dicis. Tua pietas nobis fuit hodie ſalutaris, quum adveniſti huc, adeò tempeſtivè. Nam earum nomina mutata fuiſſent hodie, & feciſſent quæſtum tempore, indignum ſuo ſanguine.* PUER. *Handones illi havon bene ſi illi in muſtine.* GI. *Me ipſi & eneſte dum & alumna ceſtinum.* AG. *Quid illi fabulati ſunt ſimul? Dic mihi.* MI. *Hic ſalutat ſuam matrem; hæc autem ſuum filium.* P OE. *Tace, & parce peculio muliebri.* AG. *Quod eſt illud peculium?* P OE. *Clamor acutus admodum. Tu abduc hos in ædes, & unà manda hanc abire nutricem ad te.* AG. *Fac id quod mandat.*

ANNOTATIONES.

20. *Mutarentur nomina.*] Mulieres quæ ſtupri licentiam apud Ædiles profeſſæ meretricium inſtituerent quæſtum, nomen mutare conſueverant. Quod nomen, ſi reſipiſcerent, deponebant, ſuumque rurſum aſſumebant.

22. *Handones.*] Sic Pareus Hebraïcè:

PU. *Hannones illi!* חַנֹּה *bene ſi illi in* מוֹשְׁתִינִי

GI. *Me'pſi,* & עֲנֹשְׁתִי דוֹם & עַלְמָנָה בְּשַׁחִינִים

Sic Petitus:

חַו חוֹלְנִי שְׁאֵלִי GI. חַו אוֹן בְּנִי שְׁאֵלִי וּמַשְׁתִּינִי

אָה אִפְּסִי אֶת־אֲנֹשׁ אֶת־דוֹם
אֶת־אַלְמָנָה קְשָׁתִי נִינִי

PU. *Hau colni, ſuli.* GI. *Hau on beni ſuli, vmaſtini.*
Me? ipſi, & enes, & dum, & almana ceſati nini.

Latinè ſic reddit:

PU. *Salve quæ peperiſti me, exoptatiſſima.* GI. *Salve robur filii mei, ô exoptatiſſime, & mi putille.*
Quid eſt? Ceſſato cum omni ægritudine ſilentio, & ſolitudine, tu affligito meum filio meo.

MI. Sed quis illas tibi monſtrabit? *AG.* ego doctiſſimè.
MI. Abeo igitur. *AG.* facias modò, quàm memores, mavelim.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
MI. Lachanam vos! quos ego jam detrudam ad molas,
Inde porrò ad puteum, atque ad robuſtum codicem.
Ego faxo hoſpitium hoc leviter laudabitis.
AG. Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges;
Tuam mihi majorem filiam deſpondeas.
POE. Pactam rem habeto. *AG.* ſpondésne igitur? *POE.* ſpondeo.
AG. Mi patrue ſalve! nam nunc eſt planè meus.
Nunc demum ego cum illâ fabulabor liberè.
Nunc, patrue, ſi vis tuas videre filias,
Me ſequere. *POE.* jamdudum equidem cupio, & te ſequor.
AG. Quid ſi eamus illis obviam? *POE.* at ne inter vias
Præterbitamus metuo. magne Juppiter,
Reſtitue certas mihi ex incertis nunc opes.
AG. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed ecas video ipſas. *POE.* hæccine ſunt meæ filiæ!
Quantæ è quantillis jam ſunt factæ! *AG.* ſcin' quid eſt?
Græcæ ſunt hæ columnæ, ſuſtolli ſolent.
MI. Opinor hercle hodie quod ego dixi per jocum,
Id eventurum eſſe & ſeverum & ſerium,
Ut hæc inveniantur hodie eſſe hujus filiæ.
AG. Pol iſtud quidem jam certum eſt. tu iſtos, Milphio,
Abduce intrò: nos haſce hîc præſtolabimur.

INTERPRETATIO.

MI. *Sed quis tibi illas oſtendet?* AG. *Ego optimè.* MI. *Diſcedo igitur.* AG. *Malim te facere id, quàm dicere. Volo paretur cœna patruo advenienti.* MI. *Lachanam vos! quos ego jam conjiciam in piſtrinum, inde ad puteum, & ad robuſtos truncos: Ego dabo operam, ut non ita laudetis hoc hoſpitium.* AG. *Audisne, patrue? Rogo ut ſtes promiſſis, & mihi deſpondeas tuam filiam majorem natu.* POE. *Habe rem pactam.* AG. *Promittisne ergo?* POE. *Promitto.* AG. *Mi patrue, ſalve! Nam es nunc omnino meus. Nunc demum ego liberè loquar cum illa. Nunc, patrue, ſi vis cernere filias tuas, ſequere me.* POE. *Equidem jam pridem exopto, & te ſequor.* AG. *Quid ſi occurramus illis?* POE. *Sed vereor ne prætereamus inter vias. Magne Jupiter, redde mihi nunc fortunas certas ex incertis.* AG. *Equidem confido meos amores fore mecum; ſed ecce video illas.* POE. *Suntne hæ meæ filiæ? Quanta evaſerunt jam è parvis!* AG. *Scisne quid ſit? Hæ ſunt columnæ Græcæ, ſolent attoli.* MI. *Exiſtimo, per Herculem, id quod ego dixi hodie joco, eſſe eventurum, & ſevere & seriò, ut hæ reperiantur hodie eſſe ejus filiæ.* AG. *Per Pollucem illud eſt jam certum. Tu, Milphio, introduc illos: nos expectabimus hîc haſce.*

ANNOTATIONES.

33. *Lachanam.*] Sic Petitus Hebraïcè: לכו נעם ואין Sic characteribus Latinis: *Lechu nam vas.* Sic Latinè vertit: *Venite grati properè.*

49. *Suſtolli ſolent.*] Seſe attollunt geminæ virgines, ut columnæ eleganti artificio exciſæ.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

HANNO-Pœnus agnoscit amplectiturque filias suas duas Adelphasium & Anterastilem.

ANTERASTILIS, ADELPHASIVM, AGORASTOCLES, HANNO-POENVS.

ANTERASTILIS.

FUIT hodie operæ pretium ejus, qui amabilitati animum adjiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eò visere venit.
Deamavi ecastor illîc ego hodie lepissima munera meretricum,
Dignâ divâ venustissimâ Venere: neque contempsi ejus opus hodie,
Tanta tibi copia venustatum aderat, in suo quæque loco sita mundè.
Arabius murrhinusque omnis odor complebat. haud sordere visus est
Festus dies, Venus, nec tuum fanum: tantus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. certò enim, quod quidem ad nos duas
Attinuit, præpotentes, pulcræ, pacisque potentes, soror, fuimus:
Neque ab juventute ibi irridiculò habitæ: quod pol, soror, cæteris omnibus factum est.

INTERPRETATIO.

AN. *O Portuit eum, qui adhiberet animum amori, pascere oculos hodiernâ die, contemplari ornamenta templi. Magni estimavi, per eadem Castoris, munera quæ meretrices in eo obtulerunt dignâ Venere Deâ scitissimâ. Magni estimavi hodierna die ejus divitias, adeò magna erat tibi, ô Venus, copia venustatum, quæ erant posita suo quaque loco. Odor Arabicus & murrhinus complebat omnem locum; tuus dies festus, ô Venus, non mihi visus est esse despicatui, & tuum templum: tanta fuit frequentia clientarum, quæ venerunt ad Calydoniam venerem. Nam quod ad utramque nostrum attinet, soror, fuimus sine dubio formosæ, potentes, & præpotentes ad placandam Venerem: neque fuimus viris à juvenibus, quod accidit omnibus aliis.*

ANNOTATIONES.

2. *Oculis epulas dare.*] Id est, oblectare, pascere & explere festivo sermone.

4. *Opus.*] Id est, *opes.*

6. *Murrhinusque.*] *Myrrhata* potio ad pulvinaria deorum deferebatur, quando eorum festi celebrabantur dies.

9. *Præpotentes.*] Dotibus corporis & animi præpotentibus ad permovendos animos instructæ. Suprà amator rogat utrum sua amica visa sit *fortis*, id est, *potès*,

AD. Malim

AD. Malim istuc aliis ita videatur, quàm uti tu te soror, collaudes. *AN.* spero equidem.

AD. Et pol ego: cùm, ingeniis quibus sumus atque aliæ, cognosco.
Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse à culpâ castas.

POE. Juppiter, qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem ævum,

Quem penes spes vitæ sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem, quæso,
Rebus meis agundis: quibus annos multos carui, quasque è patriâ
Perdidi parvas, redde his libertatem: invictæ præmium ut esse sciam pietati.

AG. Omnia faciet Juppiter faxo. nam mihi est obnoxius, & me metuit.

POE. Tace quæso. *AG.* ne lacruma, patrue.

AN. Ut volupe'st homini, mea soror, si quod agit, cluet victoriâ!
Sicut hodie nos inter alias præstitimus pulcritudine.

AD. Stulta, soror, es magis, quàm volo. an verò pulcra vidêre, obsecro,
Si tibi illîc non os óblitum est fuligine?

AG. O Patrue, ô patrue mi patruissime!

POE. Quid est, fratris mei gnate! mi gnate, quid vis? expedi.

AG. At enim volo hoc agas. *POE.* at enim ago istuc. *AG.* patrue mi patruissime!

POE. Quid est? *AG.* est lepida & lauta: ut sapit!

Interpretatio.

AD. *Malim te collaudari ab aliis, quàm à te ipsâ, ô soror.* AN. *Spero.* AD. *Et quando ego agnosco, quo ingenio sumus, & quo sunt aliæ. Sumus natæ eo genere, quo nos oporteat esse immunes à culpâ.* POE. *Jupiter, qui amas homines & alis, per quem vivimus, & in cujus potestate est constituta spes vitæ omnium hominum; ostende hunc diem faustum obsecro, in obeundis meis rebus: restitue libertatem iis, quas amisi parvas in patriâ, & quibus privatus sum tot annis: ut intelligam esse mercedem pietati constanti.* AG. *Dabo operam ut Jupiter præstet omnia; nam mihi est addictus, & me formidat.* POE. *Tace obsecro.* AG. *Ne plora, patrue.* AN. *Quàm est jucundum homini, mea soror, si habeatur excellere, in iis quæ agit! Superavimus hodie omnes alias pulchritudine.* AD. *Es stultior, quàm velim, ô soror. An verò videris pulchra, quæso, si os non est tibi fœdatum fuligine?* AG. *O patrue! ô patrue, mihi patruissime!* POE. *Quid est, fili mei fratris? Quid vis, mi gnate? Dic.* AG. *Opto ut id agas.* POE. *At ago id.* AG. *Mi patrue dilectissime!* POE. *Quid est?* AG. *Est venusta, & nitida: ut sapit!*

Annotationes.

14. *Vitalem ævum.*] Ævus olim.

20. *Cluet victoriâ.*] Si victor habetur. Victoria clarus est. Excellit.

23. *Os oblitum est fuligine.*] Nonius: *Sublevit, significat, illusit, & pro ridiculo habuit. Tractum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur.*

POE. Ingenium patris habet, quod ſapit.
AG. Quæ res? jam diu edepol ſapientiam tuam abuſa eſt hæc quidem.
Nunc hinc ſapit, hinc ſentit: quicquid ſapit, amore meo *ſapit.*
AD. Non eo ſumus genere prognatæ, tametſi ſumus ſervæ, ſoror,
Ut deceat facere nos quicquam, quod homo quisquam irrideat.
MULTA SUNT MULIERUM VITIA; ſed hoc è multis maximum eſt,
Cùm ſibi nimis placent, nimiſque operam *dant* ut placeant viris.
AN. Nimiæ voluptati eſt, quod in extis noſtris portentum eſt, ſoror.
Quódque haruſpex de ambabus dixit. *AG.* velim de me aliquid dixerit.
AN. Nos fore invito domino noſtro diebus paucis liberas.
Id ego niſi quid di aut parentes faxint, quid ſperem haud ſcio.
AG. Meâ fiduciâ hercle haruſpex, patrue, his promiſit, ſcio,
Libertatem, quia me amare hanc ſcit. *AD.* ſoror, ſequere hâc.
AN. ſequor.
POE. Priuſquam abitis, vos volo ambas. niſi piget, conſiſtite.
AD. Quis revocat? *AG.* qui bene vult vobis facere. *AD.* facere occaſio eſt.
Sed quis homo eſt? *AG.* amicus vobis. *AD.* qui quidem non inimicus eſt.
AG. Bonus eſt hic homo, mea voluptas. *AD.* pol iſtum malim, quàm malum.
AG. Siquidem amicitia eſt habenda, cum hoc habenda eſt.
AD. haud precor.
AG. Multa boni vobis facere vult. *AD.* bonus bonis benefeceris.
POE. Gaudio ero vobis. *AD.* at edepol voluptati tibi.

INTERPRETATIO.

POE. *Quod illa ſapit, prædita eſt ingenio, ſicut ſuus pater.* AG. *Quæ res? Per eadem Pollucis hæc caret jamdudum tuis inſtitutis. Nunc hìc inſtituta eſt, hìc erudita. Quidquid habet ſapientiæ, debet meo amori.* AD. *Non ſumus ortæ eo genere, quamvis ſumus ſervæ, ſoror, ut nos conveniat agere quidquam, quod à quoquam irrideatur. Sunt errores multi mulierum; ſed hic eſt omnium graviſſimus, quando ſibi placent plus æquo, & ſtudent plus æquo placere viris.* AN. *Nimis jucundum fuit, quod deprehenſum eſt in viſceribus victimarum noſtrarum, ſoror, & quod Aruſpex pronunciavit de utráque noſtrûm.* AG. *Utinam dixerit aliquid de me.* AN. *Nos fore liberas intra paucos dies, contra voluntatem noſtri domini. Haud video quare id ſperem, niſi Dii aut parentes faciant aliquid.* AG. *Per Herculem Aruſpex pollicitus eſt libertatem, confiſus meâ fide, patrue, ſcio; quia ſcit me hanc à me amari.* AD. *Soror, ſequere hàc.* AN. *Sequor.* POE. *Antequam eatis, vos volo ambas. State, ſi placet.* AD. *Quis revocat?* AG. *Ille qui vult vos beneficio afficere.* AD. *Eſt locus faciendi. Sed quis eſt?* AG. *Veſter amicus.* AD. *Nempe qui minimè odit.* AG. *Hic homo eſt probus, mea voluptas.* AD. *Per Pollucem malim eſſe ejuſmodi, quàm improbum.* AG. *Si amicitia cum quopiam eſt ineunda, ineunda eſt cum hoc.* AD. *Haud precor.* AG. *Vult vos afficere multis beneficiis.* AD. *Oportet ut bonus benefaciat bonis.* POE. *Vobis afferam gaudium.* AD. *Sed per eadem Pollucis tibi erimus voluptati.*

POE. Libertatique. *AD.* isto pretio tuas nos facilè feceris.
AG. Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego, si sim Juppiter,
Jam hercle ego illam uxorem ducam, & Junonem extrudam foras.
Ut pudicè verba fecit! cogitatè, & commodè!
Ut modestè orationem præbuit! certò hæc mea est.
POE. Sed ut astu sum aggressus ad eas! *AG.* lepidè hercle atque commodè.
POE. Pergo etiam tentare? *AG.* in pauca confer: sitiunt qui sedent.
POE. Quid istic, quod faciundum est, cur non agimus? in jus vos voco.
AG. Nunc tene, patrue. *POE.* tu, frugi si bonæ es. *AG.* vin ego hanc apprehendam? *POE.* tene.
AD. An patruus est, Agorastocles, tuus hic? *AG.* jam faxo scibis.
Nunc pol ego te ulciscar probè; nam faxo mea eris sponsa.
POE. Ite in jus, ne moramini. *AN.* antestare me atque duce.
AG. Ego te antestabor. postea hanc amabo, atque amplexabo:
Sed illud quidem volui dicere, imò dixi hercle quod volebam.
POE. Moramini: in jus vos voco, nisi honestiu'st prehendi.
AD. Quid in jus vocas nos? quid tibi debemus? *AG.* dice tu illi.
AD. Etiam me meæ latrant canes? *AG.* at tu hercle alludiato:
* * * * *
Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem.
POE. Ite, si itis. *AD.* quid nos fecimus tibi? *POE.* fures estis ambæ.

Interpretatio.

POE. *Et libertatem.* AD. *Nos reddideris facilè tuas istâ mercede.* AG. *Mi patrue, dispeream, nisi, si sim Jupiter, ego illam jam ducam uxorem, & excludam Junonem. Ut loquitur pudicè! sapienter & facilè! Ut habuit modestum sermonem! Profectò hæc est mea.* POE. *Sed quàm callidè eas adivit!* AG. *Pulchrè per Herculem & venustè.* POE. *Prosequor adhuc tentare.* AG. *Contrahe paucis: spectatores siti laborant.* POE. *Quid cunctamur? Quare non facimus id quod est agendum? Vos voco in jus.* AG. *Tene eas nunc, ô patrue, ne effugiant.* POE. *Si tu es probus, retine eas ipse, Agorastocles.* AG. *Libètne ut huic manus injiciam?* POE. *Injice.* AD. *An hic est tuus patruus, Agorastocles?* AG. *Faciam ut jam scias. Per Pollucem ego te ulciscar nunc naviter: nam dabo operam, ut sis mea sponsa.* POE. *Pergite in jus, ne cunctemini.* AN. *Testem me voca, & duc in judicium.* AG. *Testem te appellabo, deinde amabo hanc & amplectar: sed volui dicere id, imò per Herculem dixi quod libebat.* POE. *Retardatis: vos appello in jus, nisi est honestius comprehendi.* AD. *Quare nos appellas in judicium? Quid tibi debemus?* AG. *Dic tu illi.* AD. *Etiam meæ canes mihi oblatrant?* AG. *Sed tu per Herculem oblandire:* * * * * * * * * * *sic tibi faciam hanc canem quietiorem oleo.* POE. *Pergite, si vultis.* AD. *Quid tibi fecimus nos?* POE. *Vos estis ambæ fures.*

Annotationes.

64. *Meæ latrant canes.*] Id est, etiamne ii, qui pro me facere debent, mihi adversantur? Nam monstro simile fuerit, si canis oblatret domino, quasi ignoto.

Alludiato.] Alludiare dicuntur heri canibus suis, cum eos demulcent.

AD. Nosné tibi? *POE.* vos, inquam. *AG.* atque ego scio. *AD.* quid furti est id? *AG.* hunc rogato.
POE. Quia annos multos filias meas celavistis clam me,
Atque equidem ingenuas, liberas, summóque genere gnatas.
AD. Nunquam mecastor reperies tu istuc probrum penes nos.
AG. Da pignus, ni nunc perjures, in savium, uter utri det.
AD. Nihil tecum ago, abscede obsecro. *AG.* atque hercle mecum agendum est.
Nam hic patruus meus est: pro hoc mihi patronus sim necesse est.
Ei prædicabo, quomodo vos furta faciatis multa:
Quóque modo hujusce filias apud vos habeatis servas,
Quas vos ex patriâ liberas surreptas esse scitis. [ratæ.
AD. Ubi sunt eæ? aut quæ sunt, obsecro? *AG.* satis sunt macerat.
POE. Quin eloquar. *AG.* censeo hercle, patrue. *AD.* misera timeo, quid
Hoc sit negotii, mea soror! ita stupida sine animo asto.
POE. Advortite animum, mulieres: primùm, si id fieri possit,
Ne indigna indignis dî darent, id ego evenire vellem:
Nunc quod boni mihi dî dant, vobis vostræque matri,
Eas dîs est æquum gratias nos agere sempiternas,
Cùm nostram pietatem approbant decorántque dî immortales.
Vos meæ estis ambæ filiæ: & hic est cognatus vester:
Hujusce fratris filius, Agorastocles. *AD.* amabo,
Num hi falso oblectant gaudio nos? *AG.* at me ita dii servent,
Ut hic pater est vester. date manus. *AD.* salve insperate nobis,

INTERPRETATIO.

AD. *Tibine nos* suffuratæ sumus aliquid? POE. *Vos, inquam.* AG. *Et ego sum testis.* AD. *Quid est hoc furtum?* AG. *Interroga hunc.* POE. *Quia occultavisti meas natas, me inscio, multos annos, atque profectò ingenuas, liberas, & natas claro genere.* AD. *Per Castorem tu numquam invenies illud probrum in nobis.* AG. *Certa mecum pignore pacto, uter utri det osculum.* AD. *Ego non discepto tecum, quaso abscede.* AG. *At per Herculem tibi est agendum mecum; nam hic est meus patruus. Est necesse mihi, ut sim patronus pro hoc. Dicam pro eo quot faciatis furta: & quomodo habeatis filias hujusce servas, apud vos, quas vos scitis esse liberas, & surreptas ex patriâ.* AD. *Ubi sunt illæ? Aut quæ sunt, quaso?* AG. *Sunt satis agitatæ.* POE. *Quin edicam.* AG. *Per Herculem sentio, patrue.* AD. *Metuo, infelix, quid sit, mea soror! Ita obstupui.* POE. *Adhibete mentem mulieres: primùm, si id possit fieri, ne Dii facesserent indigna indignis, ego optarem id contingere: nunc est æquum nos agere gratias sempiternas Diis bonis propter beneficia, quæ mihi impendunt, vobis, & vestræ matri; quando remunerantur nostram pietatem & exornant. Vos estis ambæ meæ filiæ; & hic est vester cognatus Agorastocles, filius hujus fratris.* AD. *Obsecro, hinenos oblectant falsâ lætitiâ?* AG. *Ita Dii me servent, ut hic est vester pater: præbete manus.* AD. *Salve pater noster insperate:*

ANNOTATIONES.

78. *Macerata.*] Idem hìc quod cruciare.
87. *Hujusce fratris.*] Id est, *Jachenis mei fratris.* Quando Hanno hoc dicit, se ipse indicat.

Pater : te complecti nos sine. *POE.* cupitæ atque expectatæ.
AN. Pater salve : ambæ filiæ sumus : amplectamur ambæ.
AG. Quis me amplectetur postea ? *POE.* nunc ego sum fortunatus:
Multorum annorum miserias nunc hâc voluptate sedo.
AD. Vix hoc videamur credere. *POE.* magis quî credatis dicam :
Nam vostra nutrix primùm me cognovit. *AD.* ubi ea, amabo, est?
POE. Apud hunc est. *AG.* quæso, qui lubet tam diu tenere collum,
Priusquam te mihi desponderit ? *AD.* omitto. *AG.* sperata salve.
AD. omitte
Salutem. *AG.* & tu altera. *AN.* nolo ego istuc: enicas me.
POE. Condamus alter alterum ergo in nervum brachialem.
Quibus nunc in terrâ melius est ? *AG.* eveniunt digna dignis.
Tandem huic cupitum contigit. ô Apella, ô Zeuxis pictor !
Cur numero estis mortui ? hinc exemplum ut pingeretis.
Nam alios pictores nihil moror hujusmodi tractare exempla.
POE. Dî deæque omnes, vobis habeo meritò magnas gratias,
Cùm hâc me lætitiâ tantâ & tantis affeciſtis gaudiis,
Ut meæ gnatæ ad me redirent in potestatem meam.
AD. Mi pater, tua pietas planè nobis auxilio fuit.
AG. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam majorem filiam
Mihi te despondisse. *POE.* memini. *AG.* & dotis quid promiseris.

Interpretatio.

patere nos te complecti. POE. *Exoptate atque lubenter.* AN. *Salve pater : sumus amba filia : amplexemur iterum.* AG. *Quis me amplexabitur postea ?* POE. *Ego sum nunc fœlix : sedo nunc hâc voluptate calamitates multorum annorum.* AD. *Vix videamur credere hoc.* POE. *Aperiam, quo magis credatis id : nam vestra nutrix me cognovit primùm.* AD. *Ubi est ea quæso ?* POE. *Est apud hunc.* AG. *Quæso, quare libet tenere tandiu collum, antequam te desponderit mihi?* AD. *Omitto.* AG. *Salve sperata.* AD. *Omitte salutem.* AC. *Et tu altera salve.* AN. *Ego nolo id : me discrucias.* POE. *Ergo includamus eodem nervo brachia. Suntne jam in vitâ fœliciores nobis ?* AG. *Merita contingunt meritis. Tandem huic evenit id quod cupiebat.* O *Apelles, ô Zeuxis pictor! Quare estis mortui? Ut pingeretis hinc exemplum. Nam parvi facio alios pictores tractare hujusmodi exempla.* POE. *Omnes Dii Deæque, vobis habeo magnas gratias, quando me affeciſtis hoc tanto gaudio, & tanta jucunditate, ut meæ filiæ reverterentur ad me in meam potestatem.* AD. *Mi pater, tua pietas fuit omnino salutaris.* AG. *Patrue, da operam, ut habeas in memoriam te mihi despondisse tuam filiam majorem.* POE. *Memini.* AG. *Et quid dotis promiseris.*

Annotatio.

97. *Sperata.*] *Sperata* dicebatur, quam procus *sperabat* sponsam suam fore.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

ANTHEMONIDES miles, Anteraſtilis amore captus, aut eam ſibi dari vult à Lenone, aut reddi minam argenti pro eâ datam. Sed ecce diſcit in patris poteſtatem reverſam, & è Lenonis manibus ereptam.

ANTHEMONIDES *miles*, ANTERASTILIS, ADELPHASIVM, AGORASTOCLES, HANNO-POENVS.

ANTHEMONIDES.

SI ego minam non ultus fuero probè, quam lenoni dedi,
Tum profectò me ſibi habento ſcurræ ludificatui.
Is etiam me ad prandium ad ſe adduxit ignaviſſimus,
Ipſe abiit foras, me reliquit pro atrienſi in ædibus:
Ubi ne leno, neque illæ redeunt, nec quod edim quidquam datur,
Pro minore parte prandii pignus cœpi, abii foras.
Si dedero. ære militari tetigero lenunculum.
Nactus eſt hominem, minâ quem argenti circumduceret.
Sed mea amica nunc mihi irato obviam veniat velim!
Jam pol ego illam pugnis totam faciam ut ſit morula;

INTERPRETATIO.

ANTH. *Si leno mihi non dederit pœnas graves, propter minam, quam ei tribui, ſcurræ me exſibilent. Me adduxit ad ſe ad prandium inertiſſimus ille. Ipſe abiit foràs, me reliquit, pro ſervo atrienſi, in ædibus: in quas neque leno, neque virgines revertũtur, neque apponitur quidquam, quod comedam: accepi hoc pignus pro prandio quod non dedit; exceſſi foras. Sic dabit pœnas: afficiam ære* hoc *militari* hominem, *Eſt nactus hominem, quem fraudaret minâ pecuniâ. Utinam mea amica mihi veniat nunc obviam irato! Per Pollucem ſic excipiam pugnis, ut ſit tota merula;*

ANNOTATIONES.

6. *Pro minore parte prandii.*] Quia videlicet invitaverat leno militem, & non affuerat ad prandium leno miles coactus diſcedere incœnatus, aufert aliquid ab ædibus lenonis ad obſonandum.

7. *Ære militari tetigero.*] Videtur innuere hoc loco miles ſe aliquid furto abſtuliſſe ex ædibus lenonis, quaſi in pignus minæ, quam dederat ipſi lenoni pro Anteraſtili, & quod invitatus ad prandium revertebatur incœnatus. *Æs militare* eſt pecunia, quæ in ſtipendium penditur militi. Tangere autem eſt *circumvenire*. Itaque ære militari tangere eſt lenoni minam adimere, quâ fraudaverat ipſum militem.

Sic dedero,] Verba hoc loco adjuvare oportet actionem: ſtrictum fortè gladium tenebat manu miles, & percutienti ſimilis, dicit: *ſic dedero.*

10. *Morula.*] *A maura*, id eſt, *nigra*: illius enim regionis propter ſolem nimis imminentem homines ſunt nigri. *Morula* etiam ſignificat avem nigram, *un Merle.*

Ita replebo atritate, atrior multò ut fiet,
Quàm Ægyptii, aut qui cortinam ludis per Circum ferunt.
AD. Tene fis me arctè, mea voluptas: malè ego metuo milvos.
Mala illa bestia est: ne fortè me auferat pullum tuum.
ANT. Ut nequeo te satis complecti, mi pater! *ANTH.* ego me moror.
Propemodum hoc obsonare prandium potero mihi.
Sed quid hoc est? quid hoc? quid hoc est? quid ego video? quomodo?
Quid hoc est conduplicationis? quæ hæc est cogeminatio?
Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer' cauponius?
Satin' ego oculis cerno? estne illæc mea amica Anteraſtilis?
Et ea certò est! jam pridem ego me sensi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baliolum in mediâ viâ!
Jam hercle ego illum excruciandum totum carnifici dabo.
Sanè genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis.
Sed adire certum est hanc ad amatricem Africam.
Heus tu! tibi dico mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negotii autem est cum istac, dic mihi?
POE. Adolescens, salve! *ANTH.* nolo, nihil ad te attinet.
Quid tibi hanc digito tactio est? *POE.* quia mihi lubet.
ANTH. Lubet? *POE.* ita dico. *ANTH.* ligula, i in malam crucem.

INTERPRETATIO.

sic opplebo nigredine, ut sit multò nigrior, quàm Ægyptii; aut qui ferunt Hydriam per Circum in ludis. AD. *Tene me fortiter, amabo, mea voluptas: ego pertimesco milvos. Illa bestia est mala: ne me rapiat tuum pullum.* ANT. *Non possum te complecti satis, mi pater!* ANTH. *Ego me retardo. Potero mihi comparare* integram *cœnam, hoc quod sum furatus in ædibus lenoniis. Sed quid est id? Quid hoc? Quid hoc est? Quid ego conspicio? Quomodo? Quæ est hæc conjunctio duorum? Quæ est hæc congeminatio? Quis est hic homo indutus longis tunicis, quasi servus cauponis? Ego video satis oculis? Estne illa mea amica Anteraſtilis? Est ea pro certo! jam ego dudum animadverti me pendi nihili. Puellam non pudet amplexari illum fuscum in mediâ viâ! Jam per Herculem ego illum permittam carnifici excruciandum totum. Profectò genus hoc hominum indutum longis tunicis est deditum mulieribus. Sed est deliberatum adire ad hanc amatricem Africanam. Heus tu! te alloquor mulier, nonne te pudet? Quid rei tibi est cum ista, dic mihi?* POE. *Adolescens, salvus sis!* ANTH. *Nolo, nihil ad te spectat. Quare tangis eam digito?* POE. *Quia mihi placet.* ANTH. *Placet?* POE. *Sic dico* ANTH. *Homuncule, i in malam crucem.*

ANNOTATIONES.

12. *Ægyptii.*] Ægyptii Europeis sunt atriores.

Cortinam ludis per Circum ferunt.] Homines Sole perusti, qui vas aquâ plenum ludis Circensibus circumferunt, ut equos cursu defossos recreent. Cortina genus vasis.

22. *Baliolum.*] A colore *balio*, qui est color tritici.

24. *Tunicis demissitiis.*] Cicero: *Quos pexo capillo nitidos & imberbes, aut benè barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis.*

Túne hic amator audes esse, hallex viri?
* * * * *
Deglupta mænas, Sarrapis sementium,
Mastruga, ἄλς ἀγρεῖς. ἄμα: tum autem plenior
Allî, ulpicique, quàm Romani remiges.
AG. Num tibi, adolescens, mâlæ, aut dentes pruriunt,
Qui huic es molestus, an malam rem quæritas?
ANTH. Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum esse arbitror magis, quàm virum.
AG. Scin, quàm cinædus sum. iste istinc, servi, foràs:
Efferte fustis. *ANTH.* heus tu! si quid per jocum
Dixi, nolito in serium convertere.
ANT. Quid tibi lubido est, obsecro, Anthemonides,
Loqui inclementer nostro cognato & patri?
Nam hic noster pater est: hic nos cognovit modò;
Et hunc sui fratris filium. *ANTH.* ita me Juppiter
Bene amet, bene factum! gaudeo, & volupe'st mihi,
Siquidem *quid* lenoni obtigit magni mali;
Cúmque è virtute vobis fortuna obtigit.
ANT. Credibile ecastor dicit: crede huic, mi pater.

Interpretatio.

*Audesne amare hic, hallex? * **
** * * **
Depilata baccha, Serapis sementium, vestis sardica, salis acervus, tum autem magis plena alli, ulpici, quàm remiges Romani. AG. *Dentesne tibi pruriunt, adolescens, qui es molestus huic, an quæris malam rem?* ANTH. *Quare non cœpisti tympanum, dum hæc loqueris? Nam existimo te existere magis cynædum, quàm virum.* AG. *Scisne quantum sim cynædus? Adeste huc, servi; efferte fustes.* ANTH. *Heus tu! si dixi aliquid per jocum, noli accipere, quasi serium.* ANT. *Quid libet, quaso, Anthemonides, alloqui inurbane, nostrum cognatum & patrem? Nam hic est noster pater. Hic nos cognovit mox, & hunc filium sui fratris.* ANTH. *Ita me Jupiter bene amet, recte factum! lætor, & oblector, si accidit lenoni aliquod malum ingens; & quando pro vestra virtute vobis fausta eveniunt.* ANT. *Per ædem Castoris dicit non à fide aliena: crede huic, mi pater.*

Annotationes.

33. *Deglupta mænas.*] Id est, *Manas recalva.*

Sarrapis sementium.] *Serrapis* per geminum *r*, ad fulciendum versum. *Serapis* est Pluton, qui pingebatur ab Ægyptiis demissitiâ togâ; aut Ægyptiorum Deus, qui annosus, & vultu rugis pleno repræsentabatur.

34. *Mastruga.*] *Mastruga* est genus vestis laxum, quo Sardi utebantur, qui ut plurimùm fœtidi erant.

ἄμα.] Id est, *Vas depressum.* Exprobrat hoc loco staturæ Pœni parvitatem.

35. *Alli, ulpicique.*] *Ulpici*, allii species est. Columella: *Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè majoris est incrementi, quàm allium.*

38. *Tympanum.*] Galli, Sacerdotes Cybeles, homines semiviri, tympanum pulsabant.

POE. Credo. *AG.* & ego credo. sed eccum lenonem Lycum,
Bonum virum, eccum video, se recipit domum.
POE. Quis hic est? *AG.* utrumvis est, & leno & Lycus.
In servitute hic habuit filias tuas.
Et mihi hic auri fur est. *POE.* bellum hominem, quem noveris.
AG. Rapiamus in jus. *POE.* minimè. *AG.* quapropter? *POE.* quia
Injuriarum multam dici satius est.

INTERPRETATIO.

POE. *Credo.* AG. *Et ego credo: sed ecce leno Lycus, bonus vir, ecce conspicor, se recipit domum.* POE. *Quis est hic?* AG *Utrum volueris, est, & leno & Lycus. Hic retinuit tuas filias servitute. Et hic est prædo mei auri.* POE. *Lepidum hominem, quem noveris.* AG. *Rapiamus in jus.* POE. *Minimè.* AG. *Quare?* POE. *Quia melius est agere cum eo lege injuriarum.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

TRAHITUR in judicium Leno, nisi sese nummis trecentis redimat.

LYCVS leno, AGORASTOCLES, HANNO-POENVS, ANTHEMONIDES.

LYCVS.

DECIPITUR nemo, meâ quidem sententiâ,
Qui suis amicis narrat rectè res suas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.
AG. Leno eamus in jus. *LY.* obsecro te, Agorastocles,
Suspendere ut me liceat. *POE.* Leno, in jus te voco.
LY. Quid tibi mecum autem? *POE.* quia hasce ajo liberas,
Ingenuasque esse filias ambas meas,
Quæ sunt surreptæ cum nutrice parvulæ.
LY. Jampridem equidem istuc scivi, & miratus fui
Neminem venire, qui istas assereret manu.

INTERPRETATIO.

LY. *Nullus fallitur, meo quidem judicio, qui proponit rectè sua negotia, suis amicis: nam omnes mei amici consentiunt de eodem, ut me suspendam, ne veniam in manus Agorastoclis.* AG. *Perge, leno, in jus.* LY. *Te rogo, Agorastocles, ut liceat me suspendere.* POE. *Leno, te appello in jus.* LY. *Quid habes negotii mecum?* POE. *Quoniam dico hasce meas filias esse ambas ingenuas & liberas, quæ sunt surreptæ, quando erant parvulæ, cum nutrice.* LY. *Equidem cognovi jam dudum id, & fui miratus, nullum venire, qui istas vindicaret in libertatem.*

Meæ quidem profectò non sunt. *AN.* Leno, in jus eas.
LY. De prandio tu dicis: debetur, dabo.
AG. Duplum pro furto mihi opus est. *LY.* sume hinc quidem.
POE. Et mihi suppliciis multis. *LY.* sume hinc quid lubet.
AN. Et mihi quidem mina argenti. *LY.* sume hinc quid lubet.
Collo rem solvam jam omnibus, quasi bajolus.
AG. Nunquid recusas contra me? *LY.* adversum quidem.
AG. Ite igitur intrò mulieres. sed patrue mi,
Tuam, ut dixisti, mihi desponde filiam.
POE. Haud aliter ausim. *AN.* bene vale. *AG.* & tu bene vale.
AN. Leno! arrabonem hoc pro minâ mecum fero.
LY. Perii hercle. *AG.* imò haud multo pòst, cùm in jus veneris.
LY. Quin egomet tibi me addico. quid Prætore opus est?
Verùm obsecro te, ut liceat simplum solvere.
Trecentos Philippos, credo, corradi potest:
Cras auctionem faciam. *AG.* tantisper quidem,
Ut sis apud me ligneâ in custodiâ.
LY. Fiat. *AG.* sequere intrò, patrue mi, ut hunc festum diem
Habeamus hilarem, hujus malo, & nostro bono.
Multum valete. multa verba fecimus.
Malum postremò hoc omne ad lenonem redit.
Nunc quod postremum est condimentum Fabulæ,
Si placuit, plausum postulat Comœdia.

INTERPRETATIO.

Sanè non ad me pertinent. AN. *Leno, perge in jus,* LY. *Tu loqueris de prandio; debetur, dabo.* AG. *Mihi debes duplum pro furto.* LY. *Sume hinc sanè.* POE. *Et multas pœnas.* LY. *Sume hinc quid libet.* AN. *Et mihi debetur mina argenti.* LY. *Sume hinc sanè; solvam modò omnibus vobis rem collo quasi bajulus.* AG. *Recusasne mihi dare quod peto?* LY. *Ne verbum quidem.* AG. *Ite in ædes ergo, mulieres; sed, mi patrue, desponde mihi tuam filiam, ut dixisti.* POE. *Non ausim aliter.* AN. *Bene vale.* AG. *Et tu vale bene.* AN. *Leno! aufero mecum hunc arrabonem pro minâ.* LY. *Interii per Herculem!* AG. *Imò peribis modò, quando veneris in jus,* LY. *Quin egomet me addico tibi. Quid est opus prætore? sed te rogo, ut liceat simplum pendere. Puto confici posse trecentos Philippos. Cras faciam auctionem.* AG. *Ut quidem sis apud me aliquandiu in custodiâ ligneâ.* LY. *Esto.* AG. *Veni in ædes, mi patrue, ut prætereamus hunc diem festum lætè, hujus malo, & nostro bono. Valete multum: fecimus multa verba. Denique omne hoc malum, recidit in lenonem. Nunc si Comœdia placuit, expectat plausum, quod est ultimum condimentum Fabulæ.*

ANNOTATIONES.

14. *Sume hinc quidem.*] Cum hæc dicit Leno ostendit collum, & profitetur se omnibus uno suspendio facturum satis.

17. *Quasi bajolus.*] Bajuli collo vitam tolerant; & ære se liberant alieno. Sed Leno pollicetur, non ærumnis, quod bajulus, sed laqueo, quod desperatus, ære se liberare alieno.

18. *Numquid recusas contra me.*] Id est, *nonne accusationem depellis. Recusare* opponitur *accusationi.*

FINIS POENULI.

M. ACCII PLAUTI

PERSA.

ARGUMENTUM.

TRIMARCHIDES Miles Athenienſis dederat nomen Perſis ad militiam ; in obſidione Eleuſipoleos in Arabiâ mœrebat , cum Toxilus ejus ſervus amore Lemniſelenes capitur. Hæc erat apud Dordalum lenonem Megarenſem , à menſibus ſex Athenis commorantem : eam ut habeat , nummi ſexcenti ſunt numerandi. Hos ut comparet Toxilus adit Saturionem paraſitum Athenienſem , nondum Dordalo notum. Impetrat ab eo,ut ejus filia Perſicis veſtibus ornata venalis proponatur Lenoni Dordalo ; pollicitus ſtatim ab ejus poteſtate , & manibus eam eſſe vindicandam. Nimirum argento pro filia paraſiti dato amicam ſuam Lemniſelenem emere ſibi proponit. Interea Sagariſtio ſervus divitis cujuſdam Civis Athenienſis , Trimarchidis vicini , ut auxilio ſit amico Toxilo , comminiſcitur fraudem ad circumducendum dominum ſuum nummis ſexcentis. Nimirum fingit ſibi nunciatum eſſe boves duos in Eretriâ domitos , optimos , optima conditione , eſſe venales. Herus , etſi parciſſimus , dat pecuniam Sagariſtioni , mandatque etiam atque etiam , ut intra diem ſeptimum adſit cum bobus. Sagariſtio acceptam pro bobus pecuniam , ſtatim ad Toxilum defert. Toxilus Lenoni Dordalo nummos ſexcentos numerat , amicamque ſuam Lemniſelenem abducit ; ſed intra diem ſeptimum nummi ſexcenti Segariſtioni ſunt reſtituendi , ne officium ſuum amico noceat. Itaque ad meditatam fallaciam Toxilus revertitur ; & quaſi in gratiam beneficii à Dordalo accepti , quod dediſſet Lemniſelenem amicam , ſupponit epiſtolam , ab hero acceptam , & Eleuſipoli ſcriptam , in Arabiâ ; quâ fingit Trimarchidem mittere ad ſe ex Arabiâ Lucridem virginem captivam , venalem. Dordalus lucri avidus rogat Toxilum , ut eam liceat emere. Reverà Toxilus ad eum adducit Sagariſtionem & Saturionis filiam cum veſtibus Perſicis & ornamentis. Emit Virginem ſexaginta minis Dordalus à Sagariſtio-perſa : petit ab eo Dordalus , quid ſit no-

minis Sagaristio-persa : ad illudendum Lenoni, quatuor versuum totorum nomen commemorat. Petit ab eo Leno, num quem nosset Athenis. Sagaristio-persa veritus, ne deinceps ejus vultus recordaretur, mentitur sibi esse duos fratres Athenis captivos, sibi statim redimendos, & cum minis sexaginta sese à Lenone subducit. Vix ab ejus conspectu recedit, cum adest Saturio parasitus ; reposcit filiam suam, & cogit Dordalum Lenonem restituere. Sagaristio minas sexaginta accipit ad emendos boves, & Lemniselene sine ullo pretio cedit Toxilo. Hæc Comœdia dicitur *Persa*, quia Sagaristio & filia Saturionis, habitu Persico induti, circumveniunt Dordalum Lenonem. Quis fuerit Poëta Græcus à quo mutuatus fuerit Plautus hujus Argumentum Fabulæ, aut cujus Romanam fabulam fecerit, incertum est. Caret Prologo : constat Fabulâ & Epilogo. Prothasis Fabulæ patet ab initio ad Scenam quartam Actus secundi. Hinc ad Scenam nonam Actus quarti Epithasis. Et ad versum ultimum Catastrophe. Versu ultimo Epilogus est. Hâc Fabulâ totâ patet, *quemadmodum mali malis sese mutuis, & damnis afferant.*

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

TOXILUS servus Trimarchidis procus Lemniselenes.

LEMNISELENE amica Toxili.

SAGARISTIO servus apud vicinum Trimarchidis, amicus Toxili.

SATURIO parasitus, amicus Toxili.

VIRGO anonyma, filia Saturionis.

DORDALUS leno Syrenensis.

SOPHOCLIDISCA serva Dordali.

PÆGNIUM puer, conservus Toxili.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

PROFECTO domino suos amores Toxilus
Emit, atque curat, leno ut emittat manu,
Raptamque ut emeret de prædone virginem
Subornata suadet, sui parasiti filia,
Atque ita intricatum ludit potans Dordalum.

INTERPRETATIO.

Post discessum heri Toxilus mercatur suam amicam; & operam dat, ut leno eam manumittat, & ut mercetur à prædone virginem furtivam, quæ est filia sui parasiti, quam summisit Toxilus, *& sic intra pocula* Toxilus *irridet Dordalum irretitum.*

ANNOTATIONES.

1. *Profecto domino.*] Trimarchides profectus fuerat ad Persas.

Suos amores.] Id est, suam amicam Lemniselenem.

3. *Raptamque.*] Non raptam quidem, sed quam raptam fingebat Sagaristio sycophanta. Hæc erat parasiti Saturionis filia.

4. *Subornata.*] *Subornare* significat *decipere.* Hic non est *subornata* parasiti filia, id est, *decepta:* Imò eâ utitur ad decipiendum lenonem Dordalum Sagaristio. *Subornata* igitur, hoc loco, significat *ornatu Persico induta* ad decipiendum lenonem.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

TOXILUS Trimarchidis servus nummis sexcentis destitutus, quibus emat Lemniselenem amicam suam à Lenone Dordalo, à Sagaristione vicino servo, parasitoque Saturione in eis quærendis, & quacumque arte comparandis, auxilium implorat.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SAGARISTIO servus servo Toxilo in comparandis nummis ducentis pro Lemniselene, opem pollicetur.

TOXILVS, SAGARISTIO servi duo.

TOXILVS.

QUI AMANS EGENS ingressus est princeps in amoris vias,
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetrâ, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quàm cum amore. ita fio miser quærendo argento mutuo;
Nec quicquam, nisi, Non est, sciunt mihi respondere, quos rogo.
SA. QUI HERO SUO SERVIRE vult bene servus servitutem,
Næ edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atque absenti suo.
Ego neque libenter servio, neque satis sum hero ex sententiâ:
Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mihi imperet, quin me suis negotiis præfulciat.
Quis illic est, qui contra me astat? *TO.* quis hic est, qui contra me astat?
Similis est Sagaristioni. *SA.* Toxilus hic quidem meus amicus est.
TO. Is est profectò. *SA.* eum esse opinor. *TO.* congrediar. *SA.* contrà aggrediar.

INTERPRETATIO.

TO. *AMans qui præceps iniit stadium amoris inops, is vicit labores Herculis suis laboribus: nam malim dimicare cum leone, cum serpente, cum cervo, cum apro Ærimantæo, cum Harpiis, cum Anthæo, quàm cum amore. Adeò evado infelix in quærenda pecunia mutua; & ii à quibus peto norunt mihi reponere unum, nempe, non habeo.* SA. *Servus, qui cupit sese exhibere bonum servum suo domino, debet inducere multa in suum animum, qua putet esse jucunda suo hero præsenti & absenti. Ego obsequor hero invitus, & non sum hero satis jucundus; attamen sicut lippus non potest prohibere manum ab oculis, sic meus herus non potest cavere meâ operâ, quin mihi mădet* aliquid, *quin me quasi fulcrum suis rebus subdat. Quis est ille qui adstat mihi ex adverso?* TO. *Quis est hic, qui adstat mihi ex adverso? Est similis Sagaristioni.* SA. *Profectò hic est Toxilus meus amicus.* TO. *Sanè est ipse.* SA. *Arbitror eum esse.* TO. *Conveniam.* SA. *Conveniã ex adverso.*

ANNOTATIONES.

1. *Princeps.*] Id est, *primus*; seu potius *primum*: alii *priceps*, pro *præceps*. Nam *pri*, pro *præ*, dicebant veteres. Festus, *privignus*, pro *prævignus*.

3. *Cum excetrâ.*] Toxilus labores Herculis, quos appellat *ærumnas*, sex gravissimos, cum amoris molestiis comparat. *Excetra* autem est *hydra*.

11. *Sed quasi lippo oculo.*] Duo versus impeditis verbis, impeditóque sensu sic explicandi. Tamen meus herus non potest à se impetrare, ut mihi non imperet, ut me suis negotiis non præficiat; similis homini, qui habet oculos lippos: tametsi dolent, quando tangit, tamen abstinere manum ab iis non potest. Hic Sagaristio sese similem esse lippo oculo dicit, & dominum ei cui est lippus oculus.

12. *Præfulciat.*] Id est, quasi fulcrum suis negotiis labantibus subjiciat.

TO. O Sagariſtio, dî ament te! *SA.* ô Toxile, dabunt dî quæ exoptes.
Ut vales? *TO.* ut queo. *SA.* quid agitur? *TO.* vivitur.
SA. Satin' ergo ex ſententiâ? *TO.* ſi eveniunt quæ exopto, ſatis.
SA. Nimis ſtultè amicis utere. *TO.* quid jam? *SA.* quia jam imperare oportet.
TO. Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non viſitavi.
SA. Negotium edepol *fuit.* *TO.* ferreum fortaſſe. *SA.* pluſculum annum
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.
TO. Vetus jam iſtæc militia eſt tua. *SA.* ſatin' tu uſque valuiſti? *TO.* haud probè.
SA. Ergo edepol palles. *TO.* ſaucius factus ſum: in Veneris prælio
Sagitta Cupido cor meum transfixit. *SA* jam ſervi hìc amant?
TO. Quid ergo faciam? disne advorſer? quaſi Titani cum dis belligerem,
Quibus ſat eſſe non queam?
SA. Vide modò, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.

INTERPRETATIO.

TO. *O Sagariſtio, Dii tibi faveant.* SA. *O Toxile, Dii tribuent, ea quæ cupis: quomodo vales?* TO. *Ut poſſum.* SA. *Quid facis?* TO. *Vivo.* SA. *Vivisne ſatis ex animo?* TO. *Satis, ſi contingant ea quæ deſidero.* SA. *Uteris amicis nimis inconſultò.* TO. *Quare?* SA. *Quia debes præcipere illis.* TO. *Exiſtimabam te fato functum, quia non te videbam.* SA. *Mihi erat negotium.* TO. *Forſitan ferreum?* SA. *Fui paulò plus, quam per annum vinctus ferro tribunus in perferendis verberibus apud molas.* TO. *Tu es jam miles veteranus.* SA. *Valuiſtine bene ſemper?* TO. *Non tam rectè.* SA. *Idcircò expalleſcis.* TO. *Sum vulneratus: amor tranſverberavit telo meum pectus in certamine Veneris.* SA. *Servi amant nunc hìc?* TO. *Quid agam ergo? Obluctaborne Diis? Bellabone cum Diis, more gigantum, quibus ſum adeò impar?* SA. *Cave ne catapultæ ulmeæ transfodiant tua latera.*

ANNOTATIONES.

21. *Negotium ferreum.*] Compedes ferreos. Negotium ferreum; id eſt, durum ac difficile.

Pluſculum annum.] Majorem anni partem.

22. *Apud molas.*] Apud molas dicit, quaſi de colonia quadam, in quâ tribunatum obtineat.

Tribunus vapularis.] Jocus; quaſi tribunus militaris. Non autem *tribunus vapularis*, à *tribuendis* flagris dicitur; ſed à recipiendis.

23. *Vetus jam eſt militia.*] Id eſt, jam es veteranus miles, veteranus tribunus vapularis.

24. *Ergo palles.*] Pallor eſt hic ex amore, non ex morbo convaleſcentis, ut videre eſt deinceps.

25. *Jam ſervi hìc amant?*] Vox ſervi ad ſervum, Sagariſtionis ad Toxilum. Quia quemadmodum nuptiæ ſervorum non erant juſtæ, ut videre eſt ex Varrone, ſicut notavimus in Prologo Caſinæ verſu 68. ſic mirum videtur, quod ſervus amat, quaſi ei ducere uxorem non liceat, quam amet, ſed quam dominus velit.

26. *Quaſi Titani cum dis belligerem.*] Titani & Titanes. Hi dicti ſunt filii Titani, qui erat frater Saturni, cœli & Veſtæ filius.

27. *Sat.*] Id eſt, Par.

28. *Ulmeæ catapultæ.*] Virgæ metaphora à militari ducta. Catapulta inſtrumentum bellicum excutiendis telis, ſaxiſque aptum.

TO. Basilicè agito eleutheria. *SA.* quid jam?
TO. Quia herus peregrè est. *SA.* ain' tu, peregrè est?
TO. Si túte tibi bene esse potes pati, veni; vives mecum;
Basilico accipiere victu. *SA.* vah! jam scapulæ pruriunt,
Quia te istæc audivi loqui. *TO.* sed hoc me unum excruciat.
SA. Quidnam id est? *TO.* hæc dies summa hodie est, mea amica
sitne libera,
An sempiternam servitutem serviat. *SA.* quid nunc vis ergo?
TO. *Facere amic*um tibi me potis es sempiternum. *SA.* quemadmodum?
TO. Ut mihi des nummos sexcentos, quos pro capite illius pendam,
Quos continuò tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.
Age! si benignus, subveni.
SA. Quâ confidentiâ rogare tu à me argentum tantum audes
Impudens? quin si egomet totus veneam, vix recipi potessit
Quod tu me rogas. nam tu aquam à pumice nunc postulas,
Qui ipsus sitiat. *TO.* siccine hoc te mihi facere? *SA.* quid faciam?
TO. rogasne?
Alicunde exora mutuum. *SA.* tu fac idem quod rogas me.
TO. Quæsivi, nusquam repperi. *SA.* quæram equidem, si quis credat.
TO. Nempe habeo in mundo. *SA.* si id domi esset mihi; jam pollicerer:
Hoc meum est ut faciam sedulò. *TO.* quicquid erit, recipe te ad me.
SA. Quære tamen. ego item sedulò, si quid erit, *faci*am ut scias.

Interpretatio.

TO. *Celebro regifico luxu festos ob libertatem.* SA. *Quare?* TO. *Quia dominus longè abest.* SA. *Dicisne eum abesse longè?* TO. *Si tu vis excipi lautè, veni; manducabis mecum; invitabere mensâ regiâ.* SA. *Vah! humeri jam pruriunt, quoniam audivi te dicere hæc.* TO. *Sed unum me angit.* SA. *Quid est id?* TO. *Hæc dies est ultima*, quâ statuendum est, *utrum mea amica fiat libera, aut an sit futura semper serva.* SA. *Quid cupis igitur nunc?* TO. *Potes me efficere tuum amicum perpetuum.* SA. *Quomodo?* TO. *Si mihi suppedites sexcentos nummos, quos numerem pro illius libertate; tibi hos restituam statim, intra tres aut quatuor dies. Age! opitulare, si liberalis es.* SA. *Quâ fiducià audes tu à me petere tantùm pecuniam impudens? Quin si vendar egomet totus, vix id habere possim, quod tu à me petis. Nam tu expectas nunc aquam à pumice, qui arescit ipse.* TO. Oportetne *te agere sic mecum?* SA. *Quid agam?* TO. *Postulasne? Quare aliunde mutuum.* SA. *Tu age idem, quod à me flagitas.* TO. *Quæsivi, inveni nusquam.* SA. *Equidem quæram, qui det mutuum.* TO. *Scilicet est mihi in arca.* SA. *Si haberem domi, jam promitterem: meum est ut præstem id seriò.* TO. *Quidquid evenerit, veni ad me.* SA. *Quare nihilominus. Ego operam dabo diligenter, ut fias certior, si aliquid contigerit.*

Annotatio.

29. *Eleutheria.*] Libertatis solemnja: ἐλευθέρια.

TO. Obsecrò

TO. Obsecro te; resecro! operam da hanc mihi fidelem. *SA.* ah! odio me enicas.

TO. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.

SA. At pol ego abs te concessero. *TO.* jámne abis? *SA.* bene ambulato!

Sed recipe te quàm primum potes: cave fuas mihi in quæstione; Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum.

INTERPRETATIO.

TO *Te rogo etiam, atque etiam! fer mihi opem fidam.* SA. *Ah! tu me conficis odio.* TO. *Culpâ amoris, non meâ evado nunc tibi stultiloquus.* SA. *Sed abeo à te.* TO. *Proficiscerisne nunc?* SA. *Perge rectè; sed revertere huc quàm primum poteris: vide ne sis mihi quærendus: ero semper domi, donec machinatus fuero perniciem lenonis.*

ANNOTATIONES.

49. *Obsecro te.*] Obsecro te, & resecro: *Je te prie & reprie.* De obsecratione, resecratioque alio sensu acceptâ. Vide annotationem in Aululariam Actu 4. Sc. 7. v. 4.

52. *Cave fuas mihi in quæstione.*] Ne quærendus sis.

53. *Dum excoxero lenoni malum.*] Machinatus fuero. Metaphora est à rebus stomacho concoctis, quæ salutares sunt; crudæ lætales. Quasi dicat, *meditatus fuero.* Meditatio enim est genus quoddam concoctionis.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SATURIO parasitus pergit ad Toxilum, seu potius ad reliquias cœnæ hesternæ.

SATVRIO Parasitus.

VETEREM atque antiquum quæstum *meum alimoniæ* Servo atque obtineo, & magnà cum curâ colo.

INTERPRETATIO.

SA. *Tueor & custodio, magnaque cum diligentia sequor meam anteactam & vetustam rationem quærendi victus.*

ANNOTATIONES.

1. *Veterem atque antiquum.*] Cornelius Fronto: *Vetus est quod est multorum annorum, antiquum quod excessit patrum memoriam.* Reverà utraque hæc vox rationem significationis habet à re cui adjicitur. *Vetus* vinum dicitur etiam quod est unius anni; *vetus* phalernum, quod est plurium annorum: *vetus* homo, qui sexaginta: *veteres*, supple, homines qui ante centum annos vixerunt: sic antiquum.

Meum quæstum alimoniæ.] Id est, quæstum meæ alimoniæ, quæstionem, investigationem.

Nam nunquam quisquam meorum majorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos:
Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,
Quasi mures semper edêre alienum cibum,
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris Capitonibus.
Unde hunc ego quæstum obtineo, & majorum locum.
Neque quadruplari me volo · neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent: planè loquor!
Nam publicæ rei caussâ quicunque id facit
Magis, quàm sui quæsti; animus induci potest,
Eum esse civem & fidelem & bonum:
Sed legirupam quî damnet, det in publicum
Dimidium: atque etiam meâ lege adscribitor;
Ubi quadruplator quempiam injexit manum,
Tantidem ille illi rursus injiciat manum,

Interpretatio.

Nullus enim unquam extitit meorum patrum, qui non expleverit suum abdomen parasitatione: pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus, manducaverunt semper escas non suas, veluti mures; neque ullus potuit eos superare voracitate. Cognominabantur duri Capitones. Quo fit ut ego sequar hanc rationem quærendi cibi, & stationem patrum. Portò *nolo profiteri quadruplatorum partes; quia non est honestum irrumpere ad detrahendas fortunas aliorum citra discrimen: & illi qui agunt nunquam mihi probati sunt. Prudio clarè! facilè enim credidero, eum, qui præstat id, non propter suam, sed propter reipublica utilitatem, esse hominem, & fide, & probitate præditum: sed qui accusat violatorem legum, cogatur tribuere mediam partem præda reipublica: atque meo decreto scribatur* in albo delatorum; *quando quadruplator immisit manum in aliquem, hic vicissim in quadruplatorem immittat manum* in pœnas pares,

Annotationes.

8. *Duris capitonibus.*] Erat Capitonum familia Romæ haud incelebris. Hic duri Capitones sunt homines duræ frontis, & perfrictæ, qualem esse oportet parasitorũ: duri etiam capitis dicuntur parasiti, quod in eorum caput frangi interdum solerent ollæ, ut videre est in Captivis.

10. *Quadruplari me volo.*] Id est, Nolo me fieri quadruplatorem: quadruplari enim hic passivè ponitur, alioquin redundat *me*. Asconius: *Quadruplatores, accusatores sive delatores criminum publicorum sub pœnâ quadrupli: sive, quòd ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverant, quartam partem consequebantur. Quadruplari, quadruplaturam* exercere: *quadruplatores* etiam sunt portorii & vectigalium conductores. *Des Traittans.*

16. *Sed legirupam quî damnet.*] Quinque versus impediti, sic explicari pollunt. Sed quadruplator & delator ejus qui leges violaverit, polliceatur pendere mediam partem prædæ reipublicæ si judicio vincatur; & eâ lege scribatur in albo delatorum: & quando injiciet manum in quempiam, ille, cui injecit manum, ipsi quadruplatori injiciat *tantidem*, id est, ad similem mulctam, & pœnam si vincatur, ut æquis conditionibus sese sistant apud tres viros.

18. *Injexit manum.*] Injecerit manum.

19. *Tantidem,*] Id est, in pares pœnas.

Ut æquâ parti prodeant ad tres viros.
Si id fiat, ne isti faxim usquam appareant,
Qui hîc albo rete aliena oppugnant bona:
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Ubi sunt magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo, visam hesternas reliquias,
Quieverint rectè, nec ne: num infuerit febris,
Oportene fuerint, ne quis obreptaverit.
Sed aperiuntur ædes, remorandus est gradus.

INTERPRETATIO.

ut se sistant æquatis rationibus ad tres viros. Si id agatur, sine dubio, qui candidis retibus insidiantur fortunis alienis, nullibi occurrent, sed nonne ego sum amens, qui curam suscipio rerum publicarum? Sunt in urbe magistratus, quos oportet earum curam gerere. Nunc ingrediar huc, videbo utrum cibi qui superfuerunt heri bene dormiverint, necne: utrum febrem senserint; fuerimne tecti, ne quis obrepserit. At reseranntur fores, oportet coercere gressum.

ANNOTATIONES.

20. *Æqua parti.*] Utrinque proposito periculo ad prætorem eant: *parti* pro *parte*.

22. *Albo rete.*] Id est, occultè & insidiosè, vel charta alba in quam referuntur instrumenta litium, quæ veluti retia sunt, quibus illaqueantur litigatores. Itaque *albo rete*, est albâ tresvirorum chartâ, tanquam rete albo oppugnant, vel legibus alioquin, innoxiis & candidis veluti retibus captant.

26. *Num infuerit febris.*] Allegoria est ab ægris & febri laborantibus, quorum diligentior cura geritur.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

TOXILUS impetrat à Saturione parasito filiam, quam supponat pro Persa quadam venali, & Dordalo vendat, ut ejus pretio Lemniselenen suam emat.

TOXILUS servus, SATURIO parasitus.

TOXILUS.

OMNEM rem inveni, ut suâ sibi pecuniâ
Hodie illam faciat leno libertam suam.

INTERPRETATIO.

TO. *EXcogitavi penitus rationem, quâ leno reddat hodie Lemniscelenen suam libertam suo ære.*

ANNOTATIO.

1. *Omnem rem inveni.*] Data videlicet à lenone pecuniâ pro filio Saturionis parasiti Toxilus redemit Lemniselenen. Itaque revera Toxilus facit Lemniselenen libertam suam, non leno: sed id dicit ad irridendum lenonem, de quo circumveniendo rationem omnem excogitavit.

Sed eccum parasitum, cujus mihi auxilio est opus.
Simulabo quasi non videam, ita alliciam virum.
Curate istîc vos, atque approperate ocius.
Ne mihi moræ sit quicquam, ubi ego intrò advenero.
Commisce mulsum; struthea colutheáque appara
Bene ut in scutris concaleant; & calamum injice.
Jam pol ille hîc aderit, credo, congerro meus.
SA. Me dicit, euge! *TO.* lautum credo à balneis
Jam hîc affuturum. *SA.* ut ordine omnem rem tenet!
TO. Collyræ facite ut madeant & colliphia:
Ne mihi incocta detis. *SA.* rem loquitur meram!
Nihil sunt crudæ, nisi quas madidas glutias.
Tum nisi cremore crasso est jus collyricum;
Nihil est macrum illud, epicrocum, pellucidum:
Quasi juream esse jus decet collyricum,

INTERPRETATIO.

Sed adest parasitus, cujus ope indigeo. Fingam me eum non conspicari; sic aucupabor hominem. Vos coqui *curam gerite horum, & instruite celeriter, ne res ulla me retardet, quando ego* huc *reversus fuero. Infunde mulsum; da operam struthea & bellaria bene calida sint in scutellis, & injice lignum odoratum. Ille meus confabulator veniet modò huc, sicut puto.* SA. *Me nominat, euge!* TO. *Spero fore, ut huc veniat è balneis postquam laverit.* SA. *Quam noscit universa rei seriem!* TO. *Curate ut panes conditi oleo & caseo, sint jurulenti; crudos ne mihi hos apponatis.* SA. *Dicit res ut sunt! incocti nihil valent. Ne comedas nisi coctos. Præterea nisi succus in quem mergunitur panes conditi oleo, est crassus,* nihil valet: *ille qui est tenuis, limpidus, fluidus, nihil etiam valet. Succus collyrarum debet esse similis* placentæ *jurulentæ.*

ANNOTATIONES.

7. *Commisce mulsum.*] Patet ex Plinio lib. 22. cap. 24. mulsum factum fuisse ex vino & melle; dictumque videtur à mulcendo, quia si quid est in vino acerbi à melle mulcetur. Itaque commisce mulsum nihil aliud est, quam misce mel cum vino, & fac mulsum.

Struthea.] *Struthea* sunt mala Cydonia, quæ incoquebantur mulso.

Colutheam.] Ex Theophrasto lib. 3. c. 17. *Patet colutheam esse fructum arboris sylvestris exclusum siliquis.* Hic scribitur per aspirationem, & esse pomi genus, ut Cydonia mala eodem mulso condiendum.

8. *Scutris.*] Scutulæ & scutellæ, quod scutis sint similes: *Plats, assiettes.*

Calamum injice.] *Calamus* est lignum odoratum. Plinius lib. 14. cap. 13. *Lautissima apud priscos vina erant odore myrrhæ condita: ut apparet in Plauti Fabulâ, quæ Persa inscribitur; quanquam & in eâ & calamum addi jubet.*

9. *Congerro.*] Festus: *Gerrones leves & inepti à cratibus dicti, quos Græci gerras appellant. Gerræ* sunt crates raris & pellucidis textæ viminibus.

12. *Collyræ.*] *Collyræ* sunt placentulæ, aut in sartagine frixæ, aut in pinguiori jure concoctæ.

Colliphia.] Panes cum recenti caseo subacti & concocti.

16. *Epicrocum.*] Festus: *Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue & pellucidum.* De jure collyrico loquitur Poëta; id est, in quo collyræ sunt concoctæ, quod nisi pingue est & crassum, nihil est; id est, nihil valet.

Nolo in veſicam quod eat, in ventrem volo.
TO. Propè me hîc neſcio quis loquitur. *SA.* ô mi Juppiter
Terreſtris, te coepulonus compellat tuus.
TO. O Saturio, opportunè adveniſti mihi.
SA. Mendacium edepol dicis, atque haud te decet:
Nam Eſurio venio, non advenio Saturio.
TO. At edis! nam jam intus ventris fumant focula.
Calefieri juſſi reliquias. *SA.* pernam quidem
Jus eſt apponi frigidam poſtridie.
TO. Ita fieri juſſi. *SA.* ecquid alecis? *TO.* vah! rogas?
SA. Sapis multum ad Genium. *TO.* ſed ecquid meminiſti, herè
Quâ de re ego tecum mentionem feceram?
SA. Memini: ut muræna & conger ne calefierent.
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid ceſſamus prælium committere?
Dum mâne eſt, omneis eſſe mortalis decet.
TO. Nimis pæne mane'ſt. *SA.* MANE QUOD TU occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.
TO. Quæſo animum advorte: hoc enim jam herè narravi tibi,
Tecúmque oravi, ut nummos ſexcentos mihi
Dares utendos mutuos. *SA.* memini & ſcio,
Et te me orare, & mihi non eſſe quod darem.

INTERPRETATIO.

non probo illum qui deſcendat in veſicam, ſed mihi probatur qui deſcendat in ventrem. TO. *Eſt aliquis qui facit verba hîc juxta me.* SA. *O qui es meus Jupiter in terra, tuus conviva te alloquitur.* TO. *O Saturio, ad veniſti ad me tempeſtivè.* SA. *Profectò mentiris, quod eſt indignum te. Nam accedo ad te eſurio, non Saturio.* TO. *At manducas! Cibi jam impoſiti foco calent in culinâ.* Statim *mandavi imponi igni reliquias* ciborum. SA. *Certè æquum eſt miniſtrari pernam frigidam* relictam *heri.* TO. *Mandavi ſic fieri.* SA. *Nihilne* apponetur *ſalſamentorum.* TO. *Vah! petis?* SA. *Tuus guſtus valde accommodatus eſt ad meam mentem.* TO. *Verùm recordatusne es eorum, de quibus verba feceram tecum, heſternâ die?* SA. *Recordor: ut murana & conger non imponerentur igni. Nam carpuntur multò commodius,* quando non calent. *Sed quid cunctamur committere certamen? Omnes homines debent edere matutino tempore.* TO. *Eſt fermè nimis mane.* SA. *Illa res quam tu ordiaris facere mane, it rectè toto die.* TO. *Obſecro animadverte: nam tibi narravi jam heſternâ die; rogavi à te ut mihi cõmodares ſexcentos nummos, quibus habeo opus.* SA. *Recordor & teneo, & te à me petiviſſe, & me non habuiſſe, ut tibi cõmodarem.*

ANNOTATIONES.

18. *Nolo in veſicam quod eat.*] Id eſt, jus collyricum, quod adeò eſt lympidum, ut ſit inſtar potus.

24. *Fumant focula.*] Nonius: *Focula dicta ſunt nutrimenta; unde & foculari dicitur, ut fovere.*

27. *Alecis.*] Eſt aut ab *halex* fœminini, aut ab *halec* neutrius, ſignificátque piſcem & ſuccum è piſcibus expreſſum.

28. *Sapis multum ad Genium.*] Id eſt, ad meam ſententiam.

31. *Oppectuntur frigida.*] Digitis quaſi pectine circumcarpuntur & comeduntur. De *Murana* quæ Latinis eſt *lampetra*, à lambendis petris dicta. Auſonio *muſtella*.

NIHIL PARA'SITUS est, cui argentum domi est.
Lubido extemplò cœpere est convivium,
Tuburcinari de suo, si quid domi est.
Cynicâ esse è gente oportet parasitum probe:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat; inibi paulum præsidii,
Quî familiarem suam vitam oblectet modò.
TO. Jam nolo argentum; filiam utendam tuam.
Mihi da. *SA.* nunquam edepol cuiquam etiam utendam dedi.
TO. Non ad istoc quod tu insimulas. *SA.* quid eam vis? *TO.* scies.
Quia formâ lepidâ & liberali est *SA.* res ita'st.
TO. Hic leno neque te novit, neque gnatam tuam.
SA. Me ut quisquam norit, nisi ille qui præbet cibum?
TO. Ita est hoc tu mihi reperire argentum potes.
SA. Cupio hercle. *TO.* tuus tu me sine illam vendere.
SA. Tun' illam vendas? *TO.* imò alium allegavero
Qui vendat, qui esse se peregrinum prædicet.
Siquidem hic leno nondum sex menses Megaribus
Huc est cum commigravit. *SA.* pereunt reliquiæ.
Posterius istuc tamen potest. *TO.* scin quàm potest?
Nunquam hercle hodie hîc prius edis, ne frustra sis,
Quàm te hoc facturum, quod rogo, affirmas mihi.

INTERPRETATIO.

Parasitus est nihili faciendus, *qui servat domi pecuniam. Statim libet inire convivia, helluari de suâ re, si quid rei est domi. Parasitus debet esse discipulus Cynicorum: sit illi lagena, strigilis, cymbium, socci, pallium, crumena; est aliquid auxilii positum* in crumenâ, *quo sustentet vitam suam familia.* TO. *Nolo jam pecuniam. Sed opus est mihi tuâ filiâ.* SA. *Profectò nemini unquam tradidi utendam.* TO. *Non* rogo *ad id quod tu suspicaris.* SA. *Quid placet eam agere?* TO *Audies. Quia est pulchritudine egregia & venusta.* SA. *Sic se res habet.* TO. *Hic leno neque te cognoscit, neque tuam natam.* SA. *Ut ullus me cognoscat, nisi ille qui det escam?* TO. *Res ita se habet. Tu potes mihi invenire hanc pecuniam.* SA. *Profectò optarem.* TO. *Itaque patere tu, ut illam vendam.* SA. *Tune illam vendas?* TO. *Non, sed summittam alium, qui vendat, qui profiteatur se esse advenam; nam nondum sunt sex menses ex quo hic leno concessit Athenas à Megaribus.* SA. *Esca quæ superfuerunt corrumpuntur. tamen, hæc* venditio *potest* fieri *postea.* TO. *Capisne quomodo potest* fieri postea? *Ne fallaris; non manducabis hîc, hodierna die, antequam mihi pollicitus fueris te acturum quod à te peto.*

ANNOTATIONES.

43. *Cynica esse è gente.*] Sic loquebantur veteres de Philosophorum sectis, quasi non solum sentiendi communione, sed etiam sanguinis fuissent conjuncti. Cynica profitebatur impudentiam.

44. *Ampullam.*] Vas olearium quo in balneis ad unctiones uti solebant; Strigilem quo se defricabant; scaphium vas potorium.

46. *Oblectet familiarem vitam.*] Id est, vitam domesticam, & inter familiares actam.

57. *Megaribus*, pro *Megaris. Magara* urbs est Achaïæ in confinio Atticæ, & Peloponesi.

60. *Ne frustra sis.*] Ne erres.

Atque nisi gnatam tecum huc jam, quantum potest,
Adducis, exigam hercle ego te ex hâc curiâ.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturus sis?
SA. Quæso hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas. *TO.* hoc si facturus, face.
SA. Faciam equidem, quæ vis. *TO.* benè facis, propera, abi domum:
Præmonstra doctè, præcipe astu filiæ;
Quid fabuletur, ubi se natam prædicet;
Qui sibi parentes fuerint; unde surrepta sit.
Sed longè ab Athenis esse se gnatam autumet:
Et ut assleat, cùm ea memoret. *SA.* etiam tu taces?
Ter tanto pejor ipsa est, quàm illa tu esse vis.
TO. Lepidè herclè dicis. sed scin, quid facias? cape
Tunicam atque zonam, & chlamydem afferto & causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. *SA.* heu! probè.
TO. Quasi sit peregrinus. *SA.* laudo. *TO.* & tu tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepidè in peregrinum modum.
SA. πόθεν ornamenta? *TO.* abs chorago sumito.
Dare debet: præbenda ædiles locaverunt.
SA. Jam faxo hîc aderunt. sed ego horum nihil scio.
TO. Nihil hercle verò. nam ubi ego argentum accepero,
Continuò tu illam à lenone asserito manu.
SA. Sibi habeat, si non extemplò ab eo abduxero.

Interpretatio.

Et nisi adduxeris huc quàm primùm tuam *filiam tecum, per Herculem ego te expungam ex hoc militiâ. Quid* ages *nunc? Quid est? Quare non loqueris id, quod es facturus?* SA. *Obsecro, vende me quoque, si placet, dummodò vendas pransum.* TO. *Si hoc es acturus, age.* SA. *Profectò agam quæ jusseris.* TO. *Facis rectè, accelera; proficiscere domum; instituе sapienter tuam filiam, quid dicat, ubi dicat se ortam; da filiæ præcepta callida; quos parentes habuerit; unde fuerit furto ablata. Dicat se esse ortam longè ab Athenis: & ut collachrymetur, quando hæc loquetur.* SA. *Tu taces adhuc? Illa est tertio tantò peior, quàm tu exoptas.* TO. *Per Herculem dicis festivè; sed nostine quid agas? Accipe togam, atque cingulum, & affer chlamydem & causiam, quam ille circumponat qui hanc vendat lenoni.* SA. *Heu! rectè.* TO. *Quasi sit advena.* SA. *Approbo.* TO. *Et tu nihilominus adduc tuam filiam ornatam scitè in modum advenarum.* SA. *Unde sumam ornamenta?* TO. *Sume à duce chori. Est ejus commodare: ædiles conduxerunt ut commodarentur.* SA. *Curabo ut hîc sint quamprimùm. Sed ego simulabo nihil scire horum.* TO. *Nihil per Herculem; nam statim atque mihi numerata fuerit pecunia, statim affere eam manu &* abduc *à lenone.* SA. *Si non abduxero, statim abeo.*

Annotatio.

63. *Ex hac decuria.*] Id est, ex hoc dignitatis gradu, seu ex hac statione. Supra à prælio duxit metaphoram parasitus; hîc à bello ducit Toxilus, minaturque parasitum expungere ex albo convivarum.

85 *TO.* Abi, & istuc cura. interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum,
Me esse effecturum hodie. nimis longum loquor.

INTERPRETATIO.

TO. Abi & gere curam horum: interim ego volo mittere puerum ad meam amicam, nutiaturum, me esse affuturum hodie, ut sit æquo animo. Loquor nimis diu.

ANNOTATIO.

85. *Interibi.*] Id est, interim.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

SAGARISTIO acceptam ab hero ad emendos boves pecuniam defert ad Toxilum amicum, ad emendam à Dordalo Lemniselenen.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LEMNISELENE mittit Sophoclidiscam ad amicum suum Toxilum, ad salutem suo nomine dicendam, amorémque suum testificandum.

SOPHOCLIDISCA, LEMNISELENE.

SOPHOCLIDISCA.

SATIS fuit indoctæ, immemori, insipienti dicere toties.
Nimis tandem me quidem pro bardâ & pro rusticâ reor habitam
Esse abs te. quanquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi
simul bibere

INTERPRETATIO.

SO. Sufficeret rudi, oblivioſæ, stultæ inculcare id toties. Animadverto me abs te esse existimatam nimis stolidam & agrestem. Tametsi ego poto vinum, tamen non sum solita, exsorbere jussa cum vino.

Una

Unà. me quidem jam satis tibi spectatam censueram esse, & meos mores:
Nam equidem te jam sector quintum hunc annum: cùm interim, credo,
Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri ut probè literas sciret,
Cùm interim tu meum ingenium fans non edidicisti, atque infans
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? memini & scio, & calleo, & commemini.
Amas pol misera: id tuus scatet animus. ego istuc placidum tibi
„Ut sit, faciam. *LE.* MISER EST QUI AMAT.
SO. Certò is quidem nihil est, qui nihili amat: quid ei homini opus vitâ est?
Ire decet me, ut heræ obsequens fiam, libera meâ operâ ocius ut sit.
Conveniam hunc Toxilum: ejus aures, quæ mandata sunt onerabo.

INTERPRETATIO.

Profectò existimaveram me tibi esse satis cognitam, & rationem meæ vitæ; nimirum sum tua discipula, jam à quinque annis. Interea si cuculus frequentasset scholam, potuisset fieri ut teneret rectè litteras; quum igitur per hoc tempus, nequivisti agnoscere meam mentem, aut quando loquuta *sum, aut quando silui, vis tacere? Vis abstinere à monitis? Recordor & teneo, & percipio, & sum memor. Amas per Pollucem infelix: tua mens id clamat. Ego dabo operam ut id tibi sit in tuto.* LE. *Est infelix qui amat.* SO. *Et ille est flocci faciendus, qui amat nihil. Quid ille homo indiget vitæ? Oportet me pergere, ut obsequar heræ, ut fiat statim libera meâ ope. Adibo illum Toxilum: implebo ejus aures iis mandatis, quæ mihi sunt facta.*

ANNOTATIONES.

5. *Sector.*] Id est, te habeo Magistram: unde Philosophorum sectæ.

6. *Cuculus si in ludum iret.*] Alii cucus, cujus diminutivum cuculus. Cucus autem, seu cuculus, avis est quæ arte nullâ ficutari potest, ne dum in nostris verbis edendis condocefieri.

9. *Scatet animus.*] Scatet opponi videtur *Placido*: metaphorâ utrâque à freto ductâ; id est, tuus amore jactatur, fervet animus.

12. *Heræ obsequens fiam.*] Lemniselenæ, cujus dicitur supra scatere animus, id est, significare suum amorem.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

TOXILUS mittit Pægnium puerum ad Lemniselenen amicam, qui ei plurimam salutem verbis suis dicat, & statim missam ad se Sophoclidiscam à Lemniselene recipit.

TOXILVS servus, PÆGNIVM puer, SOPHOCLIDISCA ancilla.

TOXILVS.

SATIN' hæc tibi sunt plana & certa ? satin' hæc meministi & tenes ?

PÆ. Melius, quàm qui docuisti. *TO.* ain' verò, verbereum caput?

PÆ. Ajo enimverò. *TO.* quid ergo dixi? *PÆ.* ego rectè apud illam dixero.

TO. Non edepol scis. *PÆ.* da hercle pignus, ni omnia memini & scio.

TO. Equidem si scis túte, quot habeas hodie digitos in manu: Eò dem pignus tecum. *PÆ.* audacter! si lubido est perdere.

TO. Bona pax sit potius. *PÆ.* tum tu igitur sine me ire. *TO.* & jubeo & sino.

Sed ita volo te curare, ut domi sis, cùm ego te esse illî censeam.

PÆ. Faciam. *TO.* quò ergo is nunc? *PÆ.* domum: uti domi sim, cùm illî censeas.

TO. Scelus tu pueri es! atque ob istam rem ego aliquid te peculiabo.

PÆ. Scio fidei hercle herili ut soleat impudicitia opprobrari. Nec subigi queantur unquam, ut pro eâ fide habeant judicem.

TO. Abi modò. *PÆ.* ego laudabis faxo. *TO.* sed has tabellas, Pægnium,

INTERPRETATIO.

TO. *Illa tibine sunt satis clara & perspecta? Recordarisne & capis satis hæc?* PÆ. Capio *melius, quàm* tu *qui tradidisti.* TO. *Audesne* dicere id, *verbero?* PÆ. *Dico.* TO. *Quid igitur loquutus sum?* PÆ. *Ego repetivero probè apud illam.* TO. *Profectò nescis.* PÆ. *Certa mecum deposito pignore, me recordari & tenere universa.* TO. *Profectò si tu tenes hodiernâ die quot sint digiti in manu, deponam tecum pignus.* PÆ. *Animosè! si vis vinci.* TO. *Sit potius pax* inter nos. PÆ. *Tum tu ergo patere me pergere.* TO. *Et mando & patior. Sed opto te sic accelerare, ut sis domi, quando ego putabo te esse illic.* PÆ. *Perficiam.* TO. *Quo vadis igitur?* PÆ. *Domum; ut sim domi, quando putabis me esse illic.* TO. *Tu es sceleftus puer! & idcircò aliquo te munere afficiam.* PÆ. *Sanè non ignoro moris esse exprobrari impudicitiam servo, qui est fidus hero: & nunquam adduci possunt, ut audiant judicem, qui faveat fidei servili.* TO. *Vade jam.* PÆ. *Ego dabo operam ut approbes* meam diligentiam. TO. *Sed cura, Pægnium, ut reddas has litteras,*

ANNOTATIONES.

2. *Verbereum caput.*] *Mastigia. Verbero. Stimulorum seges; ulmorum seges.* Convicia sunt in servos contumaces solita contorqueri. Alii, *Verveceum*: id est, *stupidum.* Juvenalis:

Vervecum in patriâ crassoque sub aëre nati.

10. *Aliquid.*] Alii *aliquî*; id est, *aliquâ re; aliquo modo.*

Peculiabo.] Id est, aliquid *peculii* tibi dabo. Muneris sunt qui obscœnè dictum notent.

Ipsi Lemniselenæ fac des, & quæ jussi nunciato.
SO. Cesso ire ego, quò missa sum?
PÆ. Eo ego. *TO.* i sanè: ego domum ibo: face rem hanc cum curâ geras.
Vola curriculo. *PÆ.* istuc marinus passer per Circum solet.
Illic abiit hinc intrò huc. sed quis hæc, quæ me advorsum incedit?
SO. Pægnium hic quidem est. *PÆ.* Sophoclidisca hæc peculiaris est ejus,
Quò ego sum missus. *SO.* nullus esse hodie hoc puero pejor perhibetur.
Compellabo. *PÆ.* commorandum'st *mihi* apud hanc *obicem.*
SO. Pægnium, deliciæ pueri, salve! quid agis? ut vales?
PÆ. Sophoclidisca, dî me amabunt. *SO.* quid me? utrum? *PÆ.* hercle *nescio.*
Sed si ut digna es faciant, odio hercle habeant, & faciant malè.
SO. Mitte malè loqui. *PÆ.* cùm ut digna es, dico, benè, non malè loquor.
SO. Quid agis? *PÆ.* fæminam sceleslam te astans contrà contuor.
SO. Certè equidem puerum pejorem, quàm te, novi neminem.
PÆ. Quid malè facio? aut cui malè dico? *SO.* cui pol cúmque occasio est.
PÆ. Nemo homo unquam ita arbitratus est. *SO.* at 'pol multi esse ita sciunt.
PÆ. Heja! *SO.* heja! *PÆ.* tuo ex ingenio mores alienos probas.
SO. Fateor ego profectò me esse, ut decet lenonis familiæ.

INTERPRETATIO.

ipsi Lemniselenæ, & ei referas ea quæ mandavi. SO. *Ego cunctor pergere, quò sum missa?* PÆ. *Ego vado.* TO. *Vade sanè: ego vadam domum. Conare id facere accurate, convola currendo.* PÆ. *Struthio camelus consuevit, sic ire per Circum. Toxilus ingressus est hinc huc. Sed quæ est illa, quæ venit obviam mihi?* SO. *Profectò adest Pægnium.* PÆ. *Adest Sophoclidisca, ancilla ejus ad quem ego sum jussus ire.* SO. *Dicunt neminem esse nequiorem hoc puero: eum alloquar.* PÆ. *Mihi est consistendum ad hoc obstaculum.* SO. *Pægnium, puer suavissime, sis salvus! quid facis? Quomodo vales?* PÆ. *Sophoclidisca, Dii mihi favebunt?* SO. *Quid? Nonne mihi* favebunt etiam. PÆ. *Profectò nescio. Sed si* tecum *agant, ut mereris, tibi erunt infesti, & malo afficient.* SO. *Noli mihi malè dicere.* PÆ. *Quando loquor sicut mereris, non malè dico, sed benè.* SO. *Quid facis?* PÆ. *Conspicor nequam mulierem stans* stantem *ex adverso.* SO. *Profectò nullum novi puerum nequiorem te.* PÆ. *Quid facio mali? Aut cui malè loquor?* SO. Malefacis & maledicis *cuivis, quando locus sese offert.* PÆ. *Nullus unquam sic existimavit.* SO. *Imò complures norunt rem ita se habere.* PÆ. *Eja.* SO. *Eja.* PÆ. *Metiris rationem vitæ alienæ ex tuâ.* SO. *Equidem confiteor me esse ejusmodi, qualem oportet* me esse *in ædibus lenonis.*

ANNOTATIONES.

17. *Marinus passer.*] Est *struthio camelus*, qui ita volat, ut pedibus currat, *volat curriculo.*
21. *Obicem.*] Lemniselenen.

PÆ. Satis jam dictum habeo. *SO.* ſed quid tu? confitere, ut te autumo?

PÆ. Fatear, ſi ita ſim. *SO.* jam abi, viciſti. *PÆ.* abi nunc jam. *SO.* ergo hoc mihi expedi,

Quò agis? *PÆ.* quò tu? *SO.* dic tu: prior rogavi. *PÆ.* at pòſt ſcies.

SO. Eo ego hinc haud longè. *PÆ.* & quidem ego haud longè. quò ergo, ſcelus?

PÆ. Niſi ſciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, ſcies.

SO. Nunquam ecaſtor hodie ſcibis, priuſquam ex te audivero.

PÆ. Itáne eſt? *SO.* itáne eſt? *PÆ.* mala es. *SO.* ſceleſtus. *PAE.* decet me. *SO.* me quidem haud decet.

PAE. Quid ais? certúmne eſt celare, quò iter facias, peſſuma?

SO. Offirmaſtin' occultare, quò te immittas, peſſume?

PAE. Par pari reſpondes dicto: abi jam, quando ita certa res eſt: Nihili facio ſcire. valeas. *SO.* aſta. *PAE.* at propero. *SO.* & pol ego item.

PAE. Ecquid habes? *SO.* ecquid tu? *PAE.* nihil equidem. *SO.* cedò manum ergo. *PAE.* eſtne hæc manus?

SO. Ubi illa altera eſt furtifica læva? *PAE.* domi. eccam! huc nullam attuli.

SO. Habes neſcio quid. *PAE.* ne me attrecta, ſubigitatrix. *SO.* ſin te amo?

PAE. Malè operam locas. *SO.* qui? *PAE.* quia enim NIHIL AMAS, cùm ingratum amas.

INTERPRETATIO.

PÆ. *Mihi ſatis dixiſti.* SO. *Sed quid dicis tu* de te? *confiterisne, ſic ut exiſtimo de te?* PÆ. *Faterer, ſi eſſem ejuſmodi.* SO. *Pergejam, me ſuperaſti.* PÆ. *Pergejam.* SO. *Igitur dic mihi, quò vadis?* PÆ. *Quò tu?* SO. *Fare tu: poſtulavi prior.* PÆ. *Dicam poſtea.* SO. *Non* vado *procul hinc.* PÆ. *Et ego non* vado *procul hinc.* SO. *Quò* vadis *igitur ſceleſte?* PÆ. *Niſi didicero antea ex te* id *quod peto, numquam tu diſces ex me hoc quod petis.* SO. *Per ædem Caſtoris numquam diſces hodie ex me, antequam didicero à te.* PÆ. *Siccine ſe res habet?* SO. *Siccine ſe res habet?* PÆ. *Es nequam.* SO. Es *nequam.* PÆ. *Oportet me eſſe* nequam. SO. *Sed non oportet me eſſe.* PÆ. *Quid dicis? Eſtne deliberatum non dicere, quò habeas iter, peſſima?* SO. *Statuiſtine tacere, quò te conferas, peſſime?* PÆ. *Remetiris verbum verbo ſimile ſimili: proficiſcere jam, quandoquidem id animo fixum habes: non curo diſcere: vale.* SO. *Mane.* PÆ. *Accelero.* SO. *Ego etiam.* PÆ. *Eſtne tibi aliquid?* SO. *Eſtne tibi aliquid?* PÆ. *Nihil equidem.* SO. *Oſtende ergo manum.* PÆ. *Eſtne hæc manus?* SO. *Ubi eſt illa altera læva prædatrix?* PÆ. *Domi. Adeſt illa quam attuli huc.* SO. *Portas aliquid.* PÆ. *Ne me attrecta, impura.* SO. *Si te amo?* PÆ. *Tempus malè perdis.* SO. *Quare?* PÆ. *Quia quando amore proſequeris immemorem beneficii, amas nihil.*

ANNOTATIO.

46. *Ingratum amas.*] Id eſt, Ingratus, immemorque beneficii accepti, qui amori mutuo non reſpondet.

SO. Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus versipellis fiat, fœdè semper servias:
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. *PAE.* at confidentiâ
Illa militia militatur multò magis, quàm pondere.
Atque ego hanc nunc operam perdo. *SO.* quid jam? *PAE.* quia peritæ prædico.
Sed ego cesso. *SO.* mane. *PAE.* molesta es. *SO.* ero quoque, nisi scio
Quò agas te. *PAE.* ad vos. *SO.* & pol ego ad vos. *PAE.* quid eò? *SO.* quid id ad te attinet?
PAE. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio. *SO.* odiosus es. *PAE.* lubet.
Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis prior, quàm ego siem.
SO. Malitiâ certare tecum, miseria est. *PAE.* merx tu mala es.
SO. Quid est quod metuas? *PAE.* idem istuc, quod tu. *SO.* dic ergo, *quid est?*
PAE. Ne hoc cuiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius.
SO. Et edictum est magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem,
Omnes muti ut loquerentur priùs hoc, quàm ego. at tu hoc face!
„ Fide datâ credamus. *PAE.* novi! OMNES SUNT lenæ levifidæ:
„ Neque tippulæ levius pondus est quàm fides lenonia.

INTERPRETATIO.

SO. *Oportet hanc venustatem puerilem, atque teneram ætatem, operam dare* oblectationibus *tempestivè, ne quando color capillorum mutabitur, sis semper servus turpiter: tu nondum es octoginta librarum.* PÆ. *Illa militia exercetur multò magis audacia, quàm pondere. Et ego ludo nunc hanc operam.* SO. *Quare?* PÆ. *Quia doceo doctam. Sed ego cunctor* pergere. SO. *Mane.* PÆ. *Es importuna.* SO. *Ero adhuc* molesta, *nisi scio quò vadis.* PÆ. *Ad vos.* SO. *Et per Pollucem ego* vado etiam, *ad vos.* PÆ. *Quid* is factum? SO. *Quid id ad te pertinet?* PÆ. *Non ibis nunc, nisi dixeris vicissim.* SO. *Es molestus.* PÆ. *Lubet. Per Herculem numquam extorquebis illud, ut advenias prior, quàm ego.* SO. *Est miserum contendere de nequitiâ tecum.* PÆ. *Tu es nequam mulier.* SO. *Quid est quod timeas?* PÆ. *Idem illud quod tu* metuis. SO. *Dic igitur, quid est?* PÆ. *At vetitus sum, ne hoc aperirem cuiquam, & ut omnes muti dicerent hoc priùs, quàm ego.* SO. *Et mihi est imperatum magnopere, ne crederem cuiquam homini, ut omnes muti evulgarent hoc ante quàm ego. Sed tu fac hoc! Detegamus* nobis id *mutuò datâ fide.* PÆ. *Scio! Omnes lenæ sunt fluxæ fidei: neque tippula est levior quàm fides lenæ.*

ANNOTATIONES.

48. *Versipellis fiat.*] *Versipellis* sumptum ex apologis, in quibus pellem subinde mutant belluæ, ut sese mutuò decipiant. Vide in Amphitryone.

49. *Octoginta pondo.*] Id est, *octoginta libras.*

Confidentia.] Id est, *audacia.*

51. *Perite.*] Propertius: *Sive in amore rudis, sive peritus erit.*

55. *Exterebrabis istud.*] Nonius, *Vi extorquebis.*

61. *Levi fide.*] Propertius: *Scynthia formipotens, Scynthia verbi levis.*

62. *Tippula.*] Festus: *Tipula bestiola genus sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat.*

Fides lenonia.] Fluxa & futilis. Affine proverbio, ut *fides Punica.*

SO. Dic, amabo! *PAE.* dic, amabo! *SO.* nolo ames. *PAE.* facilè impetras.

SO. Tecum habeto. *PAE.* & tu hoc taceto. *SO.* tacitum erit. *PAE.* celabitur.

SO. Toxilo has fero tabellas tuo hero. *PAE.* abi! eccillum domi. At ego hanc ad Lemniſelenen tuam heram obſignatam abietem.

SO. Quid iſtic ſcriptum? *PAE.* juxta tecum, ſi tu neſcis, neſcio. Niſi fortaſſe, blanda verba. *SO.* abeo. *PAE.* at ego abiero. *SO.* ambula.

INTERPRETATIO.

SO. *Fare, amabo!* PÆ. *Fare, amabo!* SO. *Nolo*, ut *ames*. PÆ. *Conſequeris facilè.* SO. *Sit penes te* tuum ſecretum. PÆ. *Et tu ne detege hoc.* SO. *Erit tectum.* PÆ. *Erit celatum.* SO. *Porto has epiſtolas ad Toxilum tuum herum.* PÆ. *Abi! eſt domi. At ego gero has tabellas abiegnas obſignatas ad Lemniſelenen tuam heram.* SO. *Quid eſt ſcriptum* in illis? PÆ. *Si tu ignoras, ignoro perinde atque tu: niſi fortè amatoria verba.* SO. *Pergo.* PÆ. *Et ego pergo etiam.* SO. *Perge.*

ANNOTATIO.

66. *Abietem.*] Id eſt, tabulas abiegnas. Metonymia cauſæ.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

GRATULATUR ſibi Sagariſtio, quod pecuniam ab hero datam, ad emendos boves, jam jam daturus ſit amico ſuo Toxilo, ad emendam Lemniſelenen.

SAGARISTIO ſervus.

JOVI opulento, incluto, Ope gnato, ſupremo, valido, viripotenti,
Opes ſpes, bonas copias commodanti lubens meritóque vitulor:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem afferam:

INTERPRETATIO.

OBgeſtio lubenter, & jure Jovi locupleti, eximio, Opi filio, ſummo, forti, domini hominum, largienti divitias, ſpes, bonas fortunas: quia commodat amicè pecuniam mutuam, ut feram auxilium meo amico, qui eâ indiget:

ANNOTATIONES.

2. *Vitulor meritò.*] Id eſt, *Lubens merito*. Eſt ſolemnis formula precum Diis Ethnicis fundendarum. *Vitulari* à *vita*; dicitur læta & jucunda. Unde apud veteres, *Vitula* erat Dea hilaritatis. Varro *Vitulari* à *vitulo* dici putat: nullum enim eſt ferme animal hilarius.

4. *Danunt.*] Alii *danit*, pro *dat*.

Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam,
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo:
Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves uti sibi mercarer,
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit esse dieseptimi.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, cujus ingenium noverat.
Nam hoc argentum alibi abutar. boves quos emerem, non erant.
Nunc & amico meo prosperabo, & Genio meo multa bona faciam.
Diu quod bene erit, die uno absolvam. tax, tax, tergo meo erit! non curo.
Nunc amico homini bobus domitis meâ ex crumenâ largiar.
Nam id demum lepidum est; triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.
„Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere. quid faciet mihi?
Verberibus cædi jusserit; compedes imponi. vapulet!
Ne sibi me credat supplicem fore. væ illi! mihi jam nihil novi
Offerri potest, quin sim peritus. sed Toxili puerum Pægnium eccum.

Interpretatio.

ea occasio, quàm ego non fingebam animo, neque arbitrabar, neque existimabam mihi eventuram esse, est mihi oblata, velut è cælo: nam meus herus me jussit ire Eretriam, ut emerem boves domitos: numeravit pecuniam: nam dixit ibi nondinas esse, in septimum diem. Amens, qui mihi numeravit hanc pecuniam, cujus noverat mentem. Nam insumam in aliis rebus hanc pecuniam. Dicam; *non erant boves, quos mercarer. Nunc & consulam fortunæ mei amici, & indulgebo meo genio: conferam, intra unum diem, id quod erit felicitatis diuturnæ. Meis scapulis erit tax, tax! non curo. Dabo nunc homini amico pecuniam ex crumenâ* de pretio *boëm domitorum. Nam denique illud est festivum rectè arrodere homines sordidos, vetulos, cupidos, siccos, qui absondunt servo salinum cum sale. Est laus observare, quando occasio se offert. Quid mihi faciet? Mandarit plecti flagris; imponi compedes. Vapulet! ne putet me sibi fore supplicem. Væ illi! nihil potest jam mihi infligi, in* quo *non sim eruditus. Sed ecce Pægnium puerum Toxili.*

Annotationes.

6. *Decidit de cælo.*] Vulgare loquendi genus antiquis, ut *cælo missos* dicerent, quos inopinatò cernerent. Tibullus:

Tunc veniam subitò: nec quisquam renunciet antè.
Sed videar cælo missus adesse tibi.

7. *Eretriam.*] Ubi Eretria fuerit non bene constat. Nisi sit Eretria Eubœæ.

12. *Tax, tax.*] Verba strepitum verberum exprimentia. Taxatores in Fabulis dicebantur ii, qui mores aliorum reprehenderent.

13. *Bobus domitis.*] Pretio boum.

15. *Bene admordere.*] Id est, insigni aliquo damno afficere.

Qui salinum obsignant.] Id est, qui magis necessaria vitæ negant servis.

17. *Vapulet.*] Est servi nequam verbera, compedes, omnia flocci facere.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

OCCURRIT Pægnium Sagaristioni quærenti Toxilum, & inventæ pecuniæ nuncium, ad eum deferenti.

PÆGNIVM puer, SAGARISTIO servus.

PAEGNIVM.

PENSUM meum, quod datum'st, confeci. nunc propero domum. *SA.* mane, etsi
Properas, Pægnium, ausculta! *PAE.* emere oportet quem tibi obedire velis.
SA. At sta. *PAE.* exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam,
Qui nunc sic tam es molestus. *SA.* scelerate! etiam respicis?
PAE. Scio ego quid sim ætatis, eò istuc maledictum impunè auferes.
SA. Ubi Toxilus est tuus herus? *PAE.* ubi illi libet: neque te consulit.
SA. Etiámne dicis, ubi sit, venefice? *PAE.* nescio, inquam, ulmitriba tu.
SA. Maledicis majori. *PAE.* prior promeritus, perpetiare.
„ SERVAM operam, linguam liberam herus me jussit habere.
SA. Dicis ne mihi, ubi sit Toxilus? *PAE.* dico. ut perpetuò pereas!
SA. Cædêre hodie tu restibus. *PAE.* tuâ quidem, cucúle, causâ:

INTERPRETATIO.

PÆ. *O Bivi munus, quod mihi demandatum fuerat. Nunc revertar celeriter in ædes.* SA. *Expecta Pægnium tametsi tibi accelerandum est; audi.* PÆ. *Tibi emendus est quem volueris tibi obtemperare.* SA. *Sed consiste.* PÆ. *Fueris importunus, ut arbitror, si tibi debeam aliquid, qui es nunc adeò importunus.* SA. *Impune! etiam retrò aspicis?* PÆ. *Ego recordor, quæ sit mea ætas, idcircò non sumam pœnas pro illo maledicto.* SA. *Ubi est tuus herus Toxilus?* PÆ. *Ubi illi placet, etiam te inconsulto.* SA. *Furcifer, dicisne, ubi sit?* PÆ. *Nescio, inquam, ulmorum pernicies.* SA. *Convitiaris majori natu.* PÆ. *Tu qui prior es meritus, perfer. Meus herus mihi imperavit ut haberem laborem servum, & linguam liberam.* SA. *Mihine aperis ubi sit Toxilus?* PÆ. *Dico. Ut pereas in sempiternum!* SA. *Tu plecteris hodie flagris.* PÆ. Plectar, *cucule, tuâ causâ:*

ANNOTATIONES.

5. *Scio ego quid sim ætatis.*] In pueros, videlicet, quidvis audere solent, utpotè infirmos.

7. *Ulmitriba.*] Id est, *mastigia*, à ferendis ulmis, quia incussæ scapulis ulmæ deteruntur.

Non

Non hercle si os perciderim tibi, metuam, morticine.
* * * * *
* *
* * * *SA.* confidens! *PAE.* sum hercle verò.
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speras.
SA. Potin', ut molestus ne sies? *PAE.* quod dicis, facere non quis.
SA. Abi in malam rem. *PAE.* at tu domum: nam ibi tibi parata præs est.
SA. Vadatur hic me. *PAE.* utinam vades desint; in carcere ut sis!
SA. Quid hoc? *PAE.* quid est? *SA.* etiam, scelus, malè loquere? *PAE,* tandem ut liceat,
Cùm servus sis, servum tibi maledicere. *SA.* itáne? specta
Quid dedero. *PAE.* nihil: nam nihil habes. *SA.* dî deæque me omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.
PAE. Amicus sum. eveniant volo tibi quæ optas, atque id fiat:
Tu me defigas; te cruci ipsum propediem affigent alii.
SA. Quin te dî deæque! scis quid hinc porrò dicturus fuerim,
Ni linguæ moderari queam. potin' abeas? *PAE.* abigis facilè.
Nam umbra mea intus vapulat. *SA.* ut istunc dî deæque perdant!

INTERPRETATIO.

ô pallide, per Herculem non timeam, si tibi contudero os. * * * * * * * * * SA. *Audax!* PÆ. *Sum audax per Herculem. Nam ego spero me fore liberum; tu non speras unquam te* fore liberandum. SA. *Potesne* impetrare à te, *ut mihi non sis molestus?* PÆ. *Tu nequis agere quod loqueris.* SA. *Perge in malam crucem.* PÆ. *At tu perge domum: nam tibi est fixa ibi.* SA. *Hic me in jus vocat.* PÆ. *Utinam desint vades, ut sis in carcere.* SA. *Quid* est *hoc?* PÆ. *Quid est?* SA. *Impure adhuc maledicis?* PÆ. *Ut liceat tandem servo tibi maledicere interea dum sum servus.* SA. *Sicne? vide quid tribuero.* PÆ. *Nihil: nam nihil est tibi.* SA. *Omnes Dii & Deæ me perdant, nisi te affigam in terram colaphis, si te comprehendero.* PÆ. *Sum amicus. Volo ut quæ optas tibi contingant, atque id fiat: si tu me in terram agas, alii te affigent in crucem prope diem.* SA. *Quin te Dii Deæque! Intelligis quid sim additurus his verbis, nisi possem continere linguam: fugiesne?* PÆ. *Expellis facilè. Nam mea umbra dat pœnas in ædibus.* SA. *Ut Dii Deæque perdant istum!*

ANNOTATIONES.

12. *Os perciderim tibi.*] Pugno cæciderim.

Morticine.] *Morticinus* est qui pallidâ, & cadaverosâ est facie.

17. *Parata præs est.*] Festus: *Præs dictus est, quòd interrogatus à populo si præsset*; respondebat, *præs*: supple *sum*. *Præsesse* antiquitus significabat *adesse*. Unde manet etiamnum *præsens*.

22. *Colaphis.*] Alapa fit palma; id est, deducta & explicata manu.

27. *Umbra mea intus vapulat.*] Id est, Jam do pœnas, antequam venero, ut umbra interdum antecedit corpus. Uno verbo jamjam do pœnas, quia si vapulat umbra, non longè est corpus.

Tanquam proſerpens beſtia, eſt bilinguis & ſceleſtus.
Hercle illum abiiſſe gaudeo. fores aperite. eccere autem,
Quem convenire maximè cupiebam, egreditur intùs.

INTERPRETATIO.

Tanquam beſtia ſerpens, eſt bilinguis & nequam. Per Herculem lætor illum abiiſſe. | *Aperite fores: per Cererem, ille, quem optabam maximè adire, prodit ex ædibus.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

SAGARISTIO exhilarat animum Toxili lætiſſimo nuncio, delatâ ad eum pecuniâ, ad emendam Lemniſelenen.

TOXILVS, SAGARISTIO ſervi duo, SOPHOCLIDISCA ancilla.

TOXILVS.

PARATUM jam eſſe dicito, unde argentum ſit futurum:
Jubeto habere animum bonum, dic me illam amare multum.
Ubi ſe allevat, ibi me allevat. quæ dixi ut nunciares,
Satin' ea tenes? *SO.* magis calleo, quàm aprugnum callum callet.
TO. Propera, abi domum. *SA.* nunc ego huic graphicè facetus fiam.
Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriosè.
TO. Sed quis hic anſatus ambulat? *SA.* magnificè conſcreabor.
TO. Sagariſtio hic quidem eſt. quid agitur, Sagariſtio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi, éſtne *quid* in te ſpeculæ? *SA.* adito.

INTERPRETATIO.

TO. *NUncia* Lemniſelenæ, ô Sophoclidiſca, *me inveniſſe, unde accipiam pecuniam: dic illi* meis verbis, *eſſe bono animo: nuncia* illi, *illam à me diligi valde. Quando ſe levat* ægritudine, *tum me levat. Teneſne rectè ea quæ notavi, ut eam faceres certiorem de his.* SO. *Magis calleo, quàm callum apri callet.* TO. *Accelera, perge ad ædes.* SA. *Ego evadam nunc elegans imprimis apud hunc. Ambulabo ad illum ſublatis lacertis,* & manibus ad utrumque latus admotis, *& veſtiar amictu ſuperbo.* TO. *Sed quis ſpatiatur cum anſis?* SA. *Deſpuam ſuperbè.* TO. *Hic eſt Sagariſtio. Quid fit, Sagariſtio? Quomodo vales? Quid* nuncias de *iis, quæ tibi commendavi? Eſtne nonnihil ſpei in te?* SA. *Accede ad me.*

ANNOTATIONES.

2. *Amare.*] Id eſt, amanter orare. Unde *amabo*, quod idem eſt, *quæſo, rogo, &c.*

3. *Allevat.*] Id eſt, ægritudinem remittit. Idem eſt quod ſuperiori verſu habere bonum animum. Cicero: *Allevor cum loquor tecum abſens.*

7. *Magnificè conſcreabor.*] Procul ſpuere, clare excreare, eſt hic ſignum quoddam eminentiæ, & authoritatis.

Videbitur, factum volo: venito: præmoneto.
TO. Quid hoc hîc in collo tibi tumet? *SA.* vomica'ſt, preſſare parce.
Nam ubi qui malâ tetigit manu, dolores cooriuntur.
TO. Quando iſtæc innata'ſt nam tibi? *SA.* hodie. *TO.* ſecari jubeas.
SA. Metuo ne immaturam ſecem, ne exhibeat plus negotii.
TO. Inſpicere morbum tuum lubet. *SA.* abi, atque caveſis
A cornu. *TO.* quid jam? *SA.* quia boves bini hîc ſunt in crumenâ.
TO. Emitte ſodes, ne enices fame, ſine ire paſtum.
SA. Enim metuo, ut poſſim in bubilem rejicere, ne vagentur.
TO. Ego rejiciam. habe animum bonum! *SA.* creditur! commodabo.
Sequere hàc ſis! argentum hîc eſt, quod me dudum rogaſti.
TO. Quid tu ais? *SA.* dominus me boves mercatum Eretriam miſit.
Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus. *TO.* nimis tu facetè loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam jam omnes ſycophantias inſtruxi & comparavi.
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. *SA.* tanto melior!
TO. Et mulier ut ſit libera, atque ipſe ultrò det argentum.
Sed ſequere me: ad eam rem, uſus eſt tuâ mihi operâ. *SA.* utere ut vis.

INTERPRETATIO.

Videro, actum volo: adeſto: admone me prius, hujus rei quod rogaſti. TO. *Qualis eſt tumor in tuo collo?* SA. *Eſt abſceſſus, noli premere. Nam ſtatim atque aliquis admovit manum graviorem, excitantur dolores.* TO. *Quandonam hic tibi eſt ſubortus?* SA. *Hodiernâ die.* TO. *Manda pertundi.* SA. *Timeo ne ſi aperiam immaturum, afferat plus doloris.* TO. *Velim mihi detegi hunc abſceſſum.* SA. *Recede, & cave, ſi placet, à cornu.* TO. *Quare?* SA. *Quia ſunt hîc duo boves in marſupio.* TO. *Si placet, ſine eos egredi, ne intereant inediâ; patere eos proficiſci ad paſcua.* SA. *Certè timeo ne diffugiant, adeò ut nequeant revocari in bubile.* TO. *Ego revocabo: eſto æquo animo!* SA. *Credo! commodabo. Sequere hàc ſi vis! Pecunia quam à me petiviſti eſt hîc.* TO. *Quid dicis tu?* SA. *Herus me juſſit Eretriam ire ad emendos boves. Tua domus mihi erit Eretria.* TO. *Tu loqueris nimis feſtivè; & ego tibi reddam omnem pecuniam mox ſalvam: nam rem compoſui, & adornavi omnes machinas, quibus auferam hanc pecuniam ab lenone.* SA. *Tantò melius!* TO. *Et ut mulier manumittatur, & ut ipſe ſuppeditet ultrò pecuniam. Sed ſequere me: ad eam rem perficiendam eſt mihi opus tuo auxilio.* SA. *Utere ut lubet.*

ANNOTATIONES.

11. *Quid in collo tibi tumet.*] Videlicet veteres crumenam de collo pendentem, ante pectus gerebant.

Vomica eſt, preſſare parce.] Vomica, eſt abſceſſus puris plenus. Hîc facetè ſignificat crumenam, nummis diſtentam è collo Sagariſtionis dependentem. Parce *preſſare*, ne *preſſa*, ne *preme*.

18. *In bubilem rejicere.*] *Bubilem*, pro *bubile*. Loquitur hîc Sagariſtio de pretio boum, ſicut de bobus ipſis. Et *bubile* crumenam appellat eleganti joco.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

TOXILUS numerat Dordalo nummos sexcentos pro Lemniselene.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SATURIO mandat Virgini filiæ suæ, ut sinat se vendi Dordalo à Sagaristione, sub veste Persica.

SATURIO, VIRGO.

SATURIO.

QUÆ res bene vortat mihi, & tibi, & ventri meo,
Perennitatisque adeò huic perpetuo cibo,
Ut mihi supersit, suppetat, superstitet:
Sequere hàc, mea gnata, me, cum diis volentibus.
Cui rei opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.
Eâ causâ ad hoc exemplum te exornavi ego.
Venibis tu hodie, virgo. *VIR.* amabo, mi pater,

INTERPRETATIO.

SAT. *Quod mihi succedat fœliciter, & tibi, & meo abdomini, atque adeò huic escæ jugi, & sempiternæ, ut mihi hæc esca sit abunde, adsit semper, & mihi sit superstes: sequere me hàc, mea filia, Diis jubentibus. Capis, animadvertis, non ignoras in quod negotium incumbant: te feci participem omnium consiliorum. Idcircò te indui hoc modo. Tu venderis hodie, Virgo.* VIR. *Quæso, mi pater,*

ANNOTATIONES.

1. *Quæ res bene vortat.*] Faustæ precationis formula.

2. *Perennitatis cibo.*] Id est, *cibo perenni*; vel, *perennitati ciborum.*

4. *Cum Diis volentibus.*] Pro, *bene, volentibus.*

8. *Venibis.*] Id est, *venderis.*

Quanquam libenter escis alienis studes,
Tuin' ventris caussâ filiam vendis tuam?
SA. Mirum, quin regis Philippi caussâ, aut Attali
Te potius vendam, quàm meâ, quæ sis mea.
VIR. Utrum tu pro ancillâ me habes, an pro filiâ?
SA. Utrum hercle magis in ventris rem videbitur:
Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi'st.
VIR. Tua istæc potestas est, pater. veruntamen,
Quanquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modicè & modestè melius est vitam vivere.
„Nam SI AD PAUPERTATEM admigrant infamiæ,
„Gravior paupertas fit, fides subtestior.
SA. Enimverò odiosa es. *VIR.* non sum, neque me esse arbitror,
Cùm parva natu rectè præcipio patri.
„Nam INIMICI FAMAM non ita ut nata est ferunt.
SA. Ferant, eántque in maximam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æstimo,
Quàm mensa inanis nunc si apponatur mihi.
„*VIR.* Pater, HOMINUM IMMORTALIS est infamia,
„Etiam tum vivit, cùm esse credas mortuam.
SA. Quid? metuis ne te vendam? *VIR.* non metuo, pater:
Verùm insimulari nolo. *SA.* at nequiquam nevis.

INTERPRETATIO.

tametsi ambis ultrò mensas alienas, vanundabisne tuam natam propter tuum abdomen? SA. *Mirum si non te vendam potius propter regem Philippum, aut Attalum, quàm propter me, ad quem pertines.* VIR. *Mene ducis servam, an natam?* SA. *Ut rear esse magis utile abdomini: puto te esse in mea potestate, non me in tua.* VIR. *Habes imperium in me pater: attamen, pater, tametsi res nostræ sunt angustæ, est satius ducere vitam modicam & modestam. Nam si dedecus accedit ad inopiam, inopia evadit molestior, & fides levior.* SA. *Profectò molesta es.* VIR. *Non sum, neque existimo me esse, quando juvenis moneo benè patrem. Nam hostes non dicunt sicut acceperunt famam talem esse qualis est.* SA. *Dicant, & vadant in maximam malam crucem. Ego non pluris facio cuncta odia, quàm si mihi apponatur nunc mensa inanis.* VIR. *Dedecus, ô pater, est sempiternum: vivit etiam tum cùm arbitraris esse extinctum.* SA. *Quid? Times ne te vanundem?* VIR. *Non timeo, pater: sed nolo accusari.* SA. *Sed incassum repugnas.*

ANNOTATIONES.

17. *Res pauperculæ.*] Id est, *minus copiosæ. Angustæ.*

18. *Modicè & modestè.*] Laudat mediocritatem. Cicero: *Non eos optimè vixisse qui diutissimè, sed qui modestissimè*; id est, *modicè*. Varro: *Sapiens & bonum ferre potest modicè, & malum fortiter ac leviter.*

20. *Subtestior.*] Id est, *levior, infirmior. Vinum subtestissimum.*

23. *Nam inimici.*] Id est, nam inimici non *ferunt*, id est, *non suscipiunt, & de ea sermonem conferunt, sicut nata est*, id est, *sicut sese iis offert, & sicut sese habet, sed pro sui odii ratione.*

27. *Immortalis est infamia.*] Hinc Claudius Cæsar, quum cuidam infamiæ notam ademisset; addidit. *Litura tamen*, inquit, *extat.*

Meo modo istud potiùs fiet, quàm tuo
Fiat. quæ hæ res sunt! *VIR.* cogita hoc verbum, pater:
„ HERUS SI MINATUS est malum servo suo,
„ Tamenetsi id futurum non est, ubi captum'st flagrum,
„ Dum tunicas ponit, quantâ afficitur miseriâ!
Ego nunc, quod non futurum'st, formido tamen.
„ *SA.* VIRGO ATQUE MULIER nulla erit, quin sit mala,
„ Quæ præter sapiet, quàm placet parentibus.
„ *VIR.* VIRGO ATQUE MULIER nulla erit, quin sit mala,
„ Quæ reticet, si quid fieri pervorsè videt.
SA. Malo cavere melius est te. *VIR.* at si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
SA. Malúsne ego sum? *VIR.* non es: neque me dignum'st dicere:
Verùm ei rei operam do, ne alii dicant quibus licet.
SA. Dicat quod quisque vult: ego de hâc sententiâ
Non demovebor. *VIR.* at, meo si liceat modo,
„ SAPIENTER potius facias, quàm stultè. *SA.* lubet.
VIR. Lubere per me tibi licere intellego:
Verùm lubere haud lubeat, si liceat mihi.
SA. Futura es dicto obœdiens, an non, patri?
VIR. Futura. *SA.* scis nam, tibi quæ præcepi? *VIR.* omnia.
SA. Et id, ut surrepta fueris? *VIR.* doctè calleo.
SA. Et qui parentes fuerint? *VIR.* habeo in memoriâ.
Necessitate me, mala ut fiam, facis.
Verùm videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.

INTERPRETATIO.

Illud fiet non tuo arbitrio, sed meo. Quid est hoc? VIR. *Pater reputa hoc dictum: si dominus comminatus est pœnam suo servo, quamquam id non est eventurum, quando accepta sunt verbera, quando detracta sunt ei vestes, quanta cruciatur calamitate! Ego metuo nunc, quod non est eventurum;* metuo tamen. SA. *Nulla virgo & mulier non erit mala, quæ sentiet præter quàm sentiet pater.* VIR. *Nulla virgo & mulier, non erit mala, quæ occultaverit, quod animadvertat fieri malè.* SA. *Est satius te cavere à malo.* VIR. *Sed quid faciam, si non licet cavere? Nam ego opto tibi consultum esse.* SA. *Sumne ego nequam?* VIR. *Non es; neque esset par me affirmare; sed provideo ne alii, quibus licitum est, prædicent.* SA. *Quivis gaudeat quod libeat: ego non deducar ab hac mente.* VIR. *Sed, si liceat te* monere *mea ratione, age potius quod sapientis est, quàm quod fatui.* SA. *Lubet.* VIR. *Scio tibi per me licere, quidquid volueris: verùm si sit in mea manu, nolim te velle.* SA. *Obtemperabisne patri, an non?* VIR. *Obtemperabo.* SA. *Tenesne quænam tibi mandavi?* VIR. *Universa.* SA. *Tenesne & id, quemadmodum fueris furto ablata?* VIR. *Probè teneo.* SA. *Et qui fuerint parentes?* VIR. *Recordor. Me cogis esse malam. Sed cogita, ubi tibi proposueris me collocare in matrimonium; ne hæc fama reddat meas nuptias obnoxias repudio.*

ANNOTATIO.

31. *Meo modo.*] Id est, *arbitratu.*

SA. Tace stulta. non tu nunc-hominum mores vides?
Quojusmodi hîc cum famâ facilè nubitur.
„ Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.
VIR. Ergo istuc facito, ut veniat in mentem tibi,
Me esse indotatam. *SA.* caveris tu istuc dixeris.
Pol deûm virtute dicam, & majorum meûm,
Ne te indotatam dicas, cui dos sit domi.
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc accurassis lepidè, cui rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omnes, nullum Siclum acceperis:
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.
VIR. Quin tu me ducis, si quò ducturus, pater.
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
SA. Bonum æquumque oras. sequere hàc. *VIR.* dicto sum audiens.

Interpretatio.

SA. *Sile insana. Tu non animadvertis mores hominum nostri temporis? Qua cum famâ mulieres nubunt facilè. Dummodò dos suppetat, nullum crimen vertitur crimini.* VIR. *Fac igitur, ut recorderis me esse sine dote.* SA. *Vide, si vis, ne dixeris istud. Efficiam virtute Deûm, & majorum meorum, ne te dicas esse sine dote, utpotè cui sit dos domi. Ecce habeo vehiculum plenum libris. Si accurate obi. veris, id quod contendimus à te, numerabuntur hinc sexcenta dicta in dotem, atque omnia Attica, nulla habebis Sicula: cum hac dote queas nubere vel mendico.* VIR. *Quare tu non me ducis, pater, si es ducturus aliquò: vel tu vende me, vel fac quod tibi lubet.* SA. *Postulas bonum æquumque: sequere hàc.* VIR. *Obtempero tuis dictis.*

Annotationes.

57. *Nunc-hominum.*] *Nunc-homines.* Uno verbo, *sunt qui nunc vivunt.* Virgilius: *Ante-mala*, id est, præterita mala. Tibullus: *Ante-comæ*, id est, comæ in frontem defluentes. Catullus: *Olim furores; semper-lenitas, semper-deus, semper-pauper, semper-leges.*

58. *Quojusmodi*] Id est, cujusquemodi, cujusvismodi.

59. *Dum dos.*] Juvenalis:

Protinus ad censum: de moribus ultima fiat
Quæstio.

64. *Soracum.*] Festus: *Soracum* vel *Soracum*, *genus vehiculi, quo ornamenta portantur Scenicorum.*

66. *Sexcenti logi.*] Dos parasitica; pro sexcentis nummis. *Logi* hic sunt parasitici joci, inanes & futiles, movendoque tantum risui idonei. Interdum *logi* accipiuntur Latinè, ut Græcè, pro sermone, seu serio, seu ludicro: hinc Elogium, Dialogus, Catalogus, Epilogus, &c.

68. *Vel mendico.*] Cum risu dictum: postquam enim enumeravit dotem amplissimam, quam pollicetur suæ filiæ, expectabant ut diceret, cum istâ dote, *nubere posse vel ditissimo*; sed dicit, *nubere posse vel mendico.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

DORDALUS leno desperat inveniri posse à Toxilo pecuniam, ad emendam Lemniselenen.

DORDALVS leno.

QUIDNAM esse acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi juratus est sese hodie argentum dare?
Quod si non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille jusjurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris quisnam egreditur foras?

INTERPRETATIO.

Quid facturus est meus vicinus Toxilus, qui mihi juravit hodie se mihi numeraturum pecuniam? Si non numeraverit, & hic dies elapsus fuerit, ego perdam pecuniam, ille jusjurandum. Sed ecce crepuit janua. Quis prodit foras?

ANNOTATIONES.

1. *Quidnam esse acturum.*] Id est, quid acturus est. Seu quid dicam de meo vicino, qui mihi juravit, &c.

4. *Jusjurandum.*] Apuleius *Jusjurandum* dici putat, quasi *Jovis jurandum.*

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

DORDALUS accipit sexcentos nummos à Toxilo pro Lemniselene, & totidem fermè maledicta & convitia.

TOXILVS servus, DORDALVS leno.

TOXILVS.

CURATE istuc intus: jam ego domum me recipiam.
DO. Toxile, quid agitur? *TO.* eho! lutum lenonium,
Commictum cœnum, sterquilinium publicum.

INTERPRETATIO.

TO. *Curam gerite harum rerum in ædibus: jamjam ego revertar huc.* DO. *Toxile, quid moliris?* TO. *Eho tu! cœnum lenonium; lutum lotio maceratum; sentina reipublicæ:*

ANNOTATIO.

3. *Commictum cœnum.*] Jactum id in contemptum lenonis. Nihil enim turpius & fœtidius fingi potest, quàm lutum, quod perminxerint animalia.

Impure,

Impure, inhoneſte, injure, illex, labes popli,
Pecuniæ accipiter, avide atque invide,
Procax, rapax, trahax! trecentis verſibus
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt.
Accipin' argentum? accipe ſis argentum, impudens,
Teneſis argentum: etiam tu argentum tenes?
Poſſum te facere, ut argentum accipias, lutum?
Qui niſi jurato mihi nihil auſus credere.
DO. Sine reſpirare me, tibi ut reſpondeam.
Vir ſumme populi, ſtabulum ſervitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedium tritor, piſtrinorum civitas,
Perenniſerve, lurco, edax, furax, fugax,
Cedò ſis mihi argentum: da mihi argentum, impudens:
Poſſum à te exigere argentum: argentum, inquam, cedò.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne te pudet?
Leno te argentum poſcit, ſolida ſervitus,
Pro liberandâ amicâ, ut omnes audiant.
TO. Tace obſecro hercle: næ tua vox validè valet!
DO. Referundæ ego habeo linguam natam gratiæ.

INTERPRETATIO.

ſordide, alieniſſime ab omni honore, aquitate, lege, ruina reipublicæ, vultur divitiarum, inexplebili cupiditate & invidia, procacitate, rapacitate, voracitate! nullus valet explicare tuas ſordes, trecentis verſibus. Aſſumesne pecuniam? Aſſume, effrons, habe, ſi vis, pecuniam: Túne pecuniam habes? Poſſum à te impetrare, ô cœnum, ut aſſumas pecuniam? Qui noluiſti mihi credere quidquam, niſi interpoſito jurejurando. DO. *Patere ut accipiam ſpiritum, ut tibi reponam, ultime ex plebe, ſtabulum ſervitute tritum, liberator meretricum, perpetuo ſubjecte flagro, detritor compedum, colonus piſtrinorum, ſerve perpetue, helluo vorax, furandi, fugiendi cupide: da mihi, ſi vis, pecuniam: da mihi pecuniam, effrons: poſſum accipere à te pecuniam? Da, inquam, pecuniam. Quare tu mihi non reſtituis pecuniam? Non te pudet? Leno à te flagitat pecuniam, ô ſerve ſempiterne, ad donandam libertate amicam, ut nemo non audiat.* TO. *Sile quæſo: profectò tua vox eſt validiſſima!* DO. *Eſt mihi lingua idonea ad agendas gratias.*

ANNOTATIONES.

4. *Injure.*] Ab *injurus*, ſeu *injurius*. Nonius legit, *injurie*.

7. *Traloqui.*] Ab initio ad finem *dicere* aliquid. Sic *tralegere*, *tranſcindere*, *transvolare*.

13. *Stabulum ſervitricium.*] Id eſt, ſtabulum in quo eſt omne genus tricarum ſervilium.

14. *Subiculum flagri.*] Aſſidue ſubjecte flagro.

16. *Perenniſerve.*] *Perenniſervus*, ut *perennivivax*, *perenniſanctum*, *perennicremum*: id eſt, qui perpetuò *ſervit*, *vivit*, *ſanctus* eſt, *crematur*.

Lurco.] Feſtus: *Lura, os culei, vel etiam utris. Unde Lurcones capacis gulæ homines, & bonorum ſuorum conſumptores.* Unde *lora*, pro ipſo *utre*. Nonius: *Lurcare eſt cum aviditate cibum ſumere.* Lucilius:

Vivite Lurcones, comedones vivite ventres.

Eodem mihi pretio ſal præhibetur, quo tibi.
Niſi me hæc defendet, nunquam delinget ſalem.
TO. Jam omitto iratus eſſe! id tibi ſuccenſui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
DO. Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii:
Ubi quid credideris, citius extemplò à foro
Fugiunt, quàm ex portâ ludis cùm emiſſu'ſt lepus.
TO. Cape hoc ſis. *DO.* quin das? *TO.* nummi ſexcenti hîc erunt
Probi, numerati: fac ſit mulier libera,
Atque huc continuò adducè. *DO.* jam faxo hîc erit.
Non hercle, cui nunc hoc dem ſpectandum, ſcio.
TO. Fortaſſe metuis in manum concredere.
DO. Mirum. quin citius jam à foro argentarii
Abeunt, quàm in curſu rotula circumvortitur.
TO. Abi iſtâc avorſis angiportis ad forum,
Eâdem iſtæc facito mulier ad me tranſeat
Per hortum. *DO.* jam hîc faxo aderit. *TO.* at ne propalàm.
DO. Sapienter ſanè. *TO.* ſupplicatum cras eat.
DO. Ita hercle verò. *TO.* dum ſtas, reditum oportuit.

INTERPRETATIO.

Sal mihi venditur tanti, quanti tibi. Niſi lingua me tueatur, numquam allambet ſal. TO. *Nunc finem facio iraſcendi! idcircò tibi iratus ſum, quia nolebas mihi credere pecuniam.* DO. *Mirum, ſi ego non tibi crederem, ut ageres mecum ſicut egerunt nonnulli trapeſitæ. Statim atque tu eis credideris aliquid, fugiunt ſtatim celerius, quàm cum lepus dimittitur ex oſtio* caveæ *in ludis.* TO. *Accipe hoc, ſi vis.* DO. *Da?* TO. *Sunt hic ſexcenti nummi boni in hâc crumenâ numerati: cura Lemneſelene liberetur, & adduc huc quamprimùm.* DO. *Curabo ut ſit hìc ſtatim. Neſcio cui tradam ſpectandam hanc pecuniam.* TO. *Forſitan times mihi hanc committere.* DO. *Mirum: quia Daniſtæ cedunt foro citius, quàm rota giratur in curſu.* TO. *Proficiſcere hàc ad forum avtis angiportis; cura ut Lemniſelene ad me veniat per hortum.* DO. *Dabo operam, ut adſit jam hic.* TO. *Sed ne tranſeat palàm.* DO. *Prudenter profectò.* TO. *Pergat craſtinâ die ſupplicatum Diis.* DO. *Ibit ſine dubio.* TO. *Ex quo moraris, deberes rediiſſe.*

ANNOTATIONES.

24. *Sal præhibetur.*] Synecdoche pro *victu toto. Sal* enim condimentum menſæ tenuioris.

31. *Ex portâ.*] In caveis ſive Circo, erant portæ, quas *oſtia* appellat Varro, ad beſtias emittendas.

Fugiunt à foro.] *Foro cedunt. Foro cedere*, dicebantur argentarii *cum tabernis*, id eſt, *menſis ſuis cedentes*, quæ in foro Romano erant poſitæ, alio habitatum migrabant: *Faire banqueroute.*

35. *Dem ſpectandum.*] Erant Romæ *ſpectatores pecuniæ*, ſeu *probatores*, qui videbant *proba* ne eſſet, an *improba.*

42. *Supplicatum eras eat.*] *Non hodie.* Mos erat antiquitus ut manumiſſi, ſeu ſervi, ſeu ancillæ ſupplicatum Diis irent, quaſi libertatis ſuæ authoribus.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

SAGARISTIO & Virgo Saturionis filia, Persicis vestibus sumptis, deducuntur ad Dordalum cum suppositititiis epistolis, quasi à Trimarchide ex Arabiâ allatis, exercituque Persarum: ab ipso Toxilo, & venditur Virgo, numeranturque à Lenone Sagaristioni pro ea sexaginta minæ.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

TOXILUS sese comparat ad fallaciam Dordalo conflandam, eumque sexaginta minis fraudandum.

TOXILUS.

SI QUAM REM accurres sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manûs succedere.
„ Atque edepol, FERME UT QUISQ. REM accurat suam,
„ Sic ei procedunt postprincipia denique.
Si malus aut nequam'st, malè res vertunt, quas agit:

INTERPRETATIO.

SI tractes aliquid prudenter & sapienter, id consuevit fluere ex animi sententiâ. Et quidem pro ratione, quâ quilibet ordiatur sua negotia, quæcumque tandem consequuntur, ei ferè succedunt feliciter. *Si est* homo *improbus aut iniquus, negotia quæ suscipit non rectè cedunt:*

ANNOTATIONES.

1. *Sobriè aut frugaliter.*] *Frugaliter* hìc, est à *frugi*; itaque significat *benè*.

2. *Sub manus succedere.*] *Sub manus* idem est, atque *ad arbitrium*, quia quæ *sub manus* sunt ad arbitrium tractamus.

4. *Postprincipia.*] Castrense Proverbium est: *A postprincipiis incipere: in postprincipiis stare: in postprincipiis esse.* Varro apud Agellium: *Sed hæc*, de Mathematicis disciplinis loquitur, *aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quàm intelligamus, cur discenda sint. Voluptas autem, vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit, cùm perfectæ absolutæque sunt: in principiis verò ipsis inepta & insuaves videntur.*

Sin autem frugi'st, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facetè & callidè:
Igitur proventuram bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Ut ipsus sese, quâ se expediat, nesciat.
Sagaristio, heus! exi, atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu attulisti ab hero meo usque è Persiâ.

INTERPRETATIO.

sin autem est bonus, fluunt bene. Ego susceptì hoc festivè & astutè: itaque spero mihi cessurum bene. Nunc ego ita irretiam lenonem, ut ignoret, quà evadat. Sagaristio, heus! prodi, atque adduc virginem, & affer illas litteras, quas obsignavi, quas tu apportasti à meo hero usque à Perside.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SAGARISTIO & filia Parasiti, Persicis vestibus exornati prodeunt, & sese Toxilo ostendunt, fallaciæ duci, ut videat, utrum ad decipiendum sint bene compositi.

SAGARISTIO, TOXILVS servus.

SAGARISTIO.

NUNQUID moror? *TO.* euge! euge! exornatus basilicè!
Tiara ornatum lepidè condecorat tuum.
Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphicè decet!
Sed satin' estis meditati? *SA.* Tragici & Comici

INTERPRETATIO.

SAG. *REtardone tua consilia?* TO. *Euge! euge! es indutus in regium modum! Pileus ille Persicus decorem affert scitissimum tuis vestibus. Hic verò calceus angustus, quàm est aptus* pedi *hujus hospitæ! Sed estisne satis parati* ad sustinendam vestram personam? SAG. *Tragici & Comici*

ANNOTATIONES.

1. *Numquid moror.*] Dicit hoc Sagaristio ad commendandam suam diligentiam in ornandis & se, & Saturionis parasiti filiâ, vestibus Persicis.

2. *Tiara ornat.*] Pileus Persicus, sine ulla oræ latitudine, qui in conum assurgebat.

3. *Graphicè decet.*] Quasi *picta*; γεάφω, enim & *scribo* & *pingo*: *un soulier à peindre.*

4. *Estis meditati.*] Id est, *meditatam animo tenetis fallaciam.*

Tragici & Comici.] Antequam enim Tragici & Comici veniant in Scenam, & suas partes obeant, debent habere meditatas, ne aut extra numeros se moveant, aut titubet memoria. Tum demum enim merentur applausum histriones, quando illis adeò meditata sunt omnia, ut non ab arte, sed à naturâ ipsâ fluere videantur.

Nunquam æquè sunt meditati. *TO.* lepidè hercle adjuvas.
SA. Age, illuc abscede procul è conspectu, & tace.
Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus: nunc agite; ite vos.

INTERPRETATIO.

numquam fuerunt perindè parati. TO. *Profectò mihi adjumento es tempestivè.* SAG. *Age, absiste longe ab oculis, & sile.* | *Quando me conspicaberis confabulantem cum lenone, id erit tempus accedendi: nunc agite, pergite vos.*

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

TOXILUS simulato officio in Dordalum eum monet, missam ad se fuisse epistolam à Trimarchide ex Arabiâ, & puellam formâ egregiam ductam per Persam; sibi etiam atque etiam ab hero commendatum, offertque operam suam, si Virginem libeat emere, idque dolis assequitur Toxilus, ut Dordalus eam mercari velit.

DORDALVS leno, TOXILVS servus.

DORDALVS.

CUI HOMINI DI PROPITII sunt, aliquid ojiciunt lucri.
Nam ego hodie compendi-feci binos panes indies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, sua nunc est: argento vicit:
Jam hodie alienum cœnabit; nihil gustabit de meo.
Sumne probus? sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem
Maximam majorem feci, atque auxi civi fæminâ.
Sed ut & ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!
Nec satis à quîquam homine accepi: ita prorsum credebam omnibus.

INTERPRETATIO.

DO. *Dii commodant* semper *aliquem quæstum ei homini, cui favent. Nam ego lucratus sum hodie duos panes in dies singulos, quia ancilla, quam habui ad hunc usque diem, est nunc libera: consecuta est id suâ pecuniâ: comedet hodie alium cibum; nihil attinget ex meo. Sumne frugi? Sum bonus civis, qui reddidi hodie Athenas de majoribus maximas, & ei addidi unam civem. Sed quam ego fui hodiernâ die liberalis! ut ego credidi* pecuniam *compluribus! Nec* sponsorem *accepi à quoquam homine: adeò confidi universis.*

ANNOTATIONES.

7. *Benignus.*] Id est, *liberalis.*
8. *Nec satis à quîquam homine accepi.*] *A quîquam*, pro, *à quoquam. Satis accipere*, est sponsorem accipere, cujus fide nixus creditor pecuniam credit.

Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mihi in jure abjuraſſit.

Bonus volo jam ex hoc die eſſe; quod neque fiet, neque fuit.
TO. Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis,
Itaque huic inſidiæ paratæ ſunt probè. aggrediar virum.
Quid agis! *DO.* credo. *TO.* unde agis te, Dordale? *DO.* credo tibi.
TO. Dî dent quæ velis. eho, an jam manu emiſiſti mulierem?
DO. Credo pol, credo, inquam tibi. *TO.* jam libertâ auctus es? *DO.* enicas.
Quin tibi me dico credere. *TO.* dic bonâ fide: jam libera eſt?
DO. I, i ad forum, ad Prætorem, exquire; ſiquidem credere mihi non vis:
Libera, inquam, eſt: ecquid audis? *TO.* at tibi di benefaciant omnes.
Nunquam enim poſthac tibi, nec tuorum, quod nolis, volam.
DO. Abi, ne jura: ſatis credo. *TO.* ubi nunc tua liberta'ſt? *DO.* apud te. *TO.* ain,
Apud me eſt? *DO.* ajo, inquam: apud te eſt, inquam. *TO.* ita me di ament, ut ob iſtam rem
Tibi multa bona inſtant à me: nam eſt res quædam, quam occultabam
Tibi dicere: nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum facias:

Interpretatio.

Neque ego pertimeſco, ne quis eorum, quibus credidi pecuniam *hodie, deneget* debitum *apud judicem. Jam ex hoc die mihi propono eſſe beneficus; quod nec faciam, nec feci.* TO. *Ego alliciam hodie hunc hominem in laqueum meditatis aſtutiis. Itaque inſidiæ huic ſunt optimè ſtructæ. Adoriar virum. Quid facis?* DO. *Credo* pecuniam. TO. *Unde venis, Dordale?* DO. *Tibi credo* pecuniam. TO. *Dii annuant optatis. Eho, an jam manu miſiſti mulierem?* DO. *Tibi credo* pecuniam, *per Pollucem; tibi credo, inquam.* TO. *Nunc habes libertam?* DO. *Me interficis. Quin aio me tibi credere.* TO. *Fare ſeriò: jamne eſt libera?* DO. *Perge, perge ad forum, ad prætorem, exquire; niſi vis mihi fidem habere: eſt libera, inquam: audisne?* TO. *Sed omnes Dii tibi benefaciant; equidem numquam optabo deinceps, aut tibi, aut cuiquam tuorum, quod non optaveris.* DO. *Vade, ne jura: tibi confido ſatis.* TO. *Ubi eſt nunc tua liberta?* DO. *Apud te.* TO. *Dicisne verò eam eſſe apud me?* DO. *Dico; enim verò, eſt apud te, inquam.* TO. *Ita me Dii ament, idcircò multæ opes tibi jamjam præbebuntur à me: nam eſt nonnihil, quod repugnabam tibi aperire: nunc id patefaciam ex quo tu capias maximum quæſtum.*

Annotationes.

9. *In jure abjuraſſit.*] Id eſt, apud prætorem, *perjurio negarit,*

11. *Tranſennam.*] Eſt ſive extentus funis, ſive laqueus, in quem inſerunt caput aves & capiuntur. Noſtri aucupes vocant: *une jauterelle.*

17. *Ad prætorem.*] Apud antiquos moris erat, ut manumiſſorum, ſeu ſervorum, ſeu ancillarum nomina, in acta publica referrentur, manumiſſionisque causâ.

Faciam ut mei memineris, dum vitam vivas. *DO.* benedictis
Tuis benefacta aures meæ auxilium expoſtulant.
TO. Tuum promeritum'ſt merito ut faciam. & ut me ſcias eſſe facturum,
Tabellas tene has. pellege. *DO.* hæ quid ad me? *TO.* imò ad te attinent,
Et tuâ refert. Nam è Perſiâ ad me allatæ modò ſunt iſtæ à meo domino.
DO. Quando? *TO.* haud dudum. *DO.* quid iſtæc narrant? *TO.* percunctare ex ipſis.
Ipſæ tibi narrabunt. *DO.* cedò ſanè mihi. *TO.* at clarè recitato.
DO. Tace, dum pellego. *TO.* haud verbum faciam.
DO. Salutem dicit Toxilo Trimarchides,
Et familiæ omni. ſi valetis, gaudeo.
Ego valeo rectè, & rem gero, & facio lucrum.
Neque iſtò redire his octo poſſum menſibus:
Itaque hîc eſt, quod me detinet, negotium.
Eleuſipolim Perſæ cepêre urbem in Arabiâ,
Plenam bonarum rerum, atque antiquum oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit:
Operam atque hoſpitium ego iſti præhiberi volo,
Qui tibi tabellas affert. cura, quæ is volet:
Nam is mihi honores ſuæ domi habuit maximos.
DO. Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Perſæ quid rerum gerant,
Aut quid herus tuus? *TO.* tace ſtultiloque: neſcis quid inſtet boni.

INTERPRETATIO.

dabo operam, ut recorderis mei tandiu, quandiu vives. DO. *Meæ aures expectant ut benefacta ſuccurrant benedictis.* TO. *Es meritus ut tibi faciam bene merito: atque ut intelligas me facturum, accipe has litteras pellege.* DO. *Quid hæ ſpectant ad me?* TO. *Imò pertinent ad te, & tuâ intereſt. Nam ad me allatæ ſunt modò è Perſis à meo hero.* DO. *Quando?* TO. *Non itapridem.* DO. *Quid dicunt hæ?* TO. *Sciſcitare ab ipſis; ipſæ tibi referent.* DO. *Da mihi.* TO. *Sed lege altâ voce.* DO. *Sile, dum pellego.* TO. *Non addam verbum.* TO. *Trimarchides ſalutat Toxilum, & univerſam familiam: ſi valetis, lætor. Ego bene valeo, &* bene *adminiſtro* meas *res, & facio quæſtum: & nequeo repetere patriam intra octo menſes: tanta ſunt hîc negotia; quæ me prohibent. Perſæ expugnaverunt in Arabiâ Eleuſipolim urbem, refertam divitiis, & antiquam urbem: ſeſe accingunt ad auctionem publicam hujus prædæ. Id me privat patriâ. Jubeo adjuvare & accipere hoſpitio iſtum hominem, qui tibi reddit epiſtolam. Fac ea quæ illi libuerit: nam ille affecit me ſummis honoribus apud ſe.* DO. *Quid ad me* attinet, *aut ad meas res, quid faciant Perſæ, aut quid tuus herus?* TO. *Sile ſtultiloque: ignoras quid boni jamjam oſtendatur.*

ANNOTATIO.

24. *Benedictis,*] Id eſt, benedictis benefacta reſpondeant.

Nequiquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere volt.
DO. Quæ istæc fortuna lucrifica est? *TO.* istas, quæ norunt, roga.
Ego tantumdem scio, quantum tu, nisi quòd pellegi prior.
Sed, ut occœpisti, ex tabellis nosce rem. *DO.* bene me mones;
Fac silentium. *TO.* nunc ad illud venies, quod refert tuâ.
DO. Iste qui tabellas affert, adduxit simul
Formâ expetendâ liberalem mulierem,
Furtivam, advectam ex Arabiâ penitissimâ;
Eam te volo accurare, ut istîc veneat,
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hospes cura ut curetur. vale.
TO. Quid igitur, postquam recitasti quod erat ceræ creditum,
Jam mihi credis? *DO.* ubi nunc ille'st hospes, qui hasce attulit?
TO. Jam hîc credo aderit: arcessit illam à navi. *DO.* nihil mihi opus est
Litibus, neque tricis. quam ob rem ego argentum numerem foras?
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
TO. Tacen' an non taces? nunquam ego te tam esse matulam credidi.

INTERPRETATIO.

Incassum fortuna optat tibi illucescere face ad quæstum faciendum. DO. *Quæ est ista fortuna, quæ quæstum præbet?* TO. *Interroga istas* tabulas *de iis quæ sciunt. Ego non amplius scio, quàm tu, nisi quòd eas pellegi prior. Sed tu cognosce rem, ut cœpisti, ex epistolâ.* DO. *Me mones bene; sile.* TO. *Nunc pervenies ad id, quod tuâ interest.* DO. *Iste qui reddit epistolam, abducit servum mulierem liberam formosam furto ablatam ex Arabiâ ultimâ; volo te operam dare, ut ea vendatur Athenis, ac ut is qui eam emet, eam emat suo periculo: neque quisquam promittet mancipio, neque dabit. Cura ut ei detur proba, & præsens pecunia. Curam gere horum, & operam da, ut habeatur cura hospitis: vale.* TO. *Quid igitur, postquam legisti quod erat commissum cera, jam mihi fidem habes?* DO. *Ubi est nunc ille hospes, qui attulit hasce literas?* TO. *Puto eum jamjam affuturum hîc: adducit illam mulierem à navi.* DO. *Non est mihi opus litibus, neque negotiis, quæ me intricent. Quare autem ego mittam longe meam pecuniam? Quid indigeo illâ merce? Nisi eam accipio mancipio.* TO. *Silebisne? Nunquam ego arbitratus sum te esse tam stolidum.*

ANNOTATIONES.

46. *Faculam lucrificam.*] Allegoria pro, *lucri faciendi occasionem, & facultatem præbere fortuna lucet*, seu *alluceat faculam lucrificam*, est Syntaxis Heteroclita, pro *lucet facula lucrifica*.

52. *Liberalem mulierem.*] Festus: *Liberales dicuntur, non solum benigni; sed etiam ingenuæ formæ homines.* Apuleius: *Virgo filo liberalis.*

55. *Ac suo periculo.*] Interdum spondebat venditor, quòd fugitivum non venderet. Et qui emebat, interdum periculo suo emebat. Porrò servi, quorum nomine venditor nihil præstaret, pileati venum soliti erant, quia non satis constabat de eorum conditione.

56. *Mancipio promittere.*] *Mancipio dare*, est, *præstare emptorem immunem ab evictione ejus quod vendit.*

64. *Matulam.*] Id est, *vilem.*

65 Quid

Quid metuis? *DO.* metuo hercle verò: ſenſi ego jam compluries:
Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto hæream.
TO. Nihil periculi videtur. *DO.* ſcio iſtuc, ſed metuo mihi.
TO. Meâ quidem iſtuc nihil refert. tuâ ego refero gratiâ.
Ut tibi rectè conciliandi primò facerem copiam.
DO. Gratiam habeo. ſed TE DE ALIIS, QUAM alios de te ſuaviu'ſt
„Fieri doctos. *TO.* ne quis verò ex Barbariâ penitiſſimâ
Perſequatur. etiam tu illam deſtinas? *DO.* videam modò
Mercimonium. *TO.* æqua dicis. ſed optumè eccum ipſe advenit
Hoſpes ille, qui has tabellas attulit. *DO.* hiccine eſt? *TO.* hic eſt.
DO. Hæccine illa'ſt furtiva virgo? *TO.* juxta tecum æquè ſcio,
Niſi quia aſpexi. equidem edepol liberali'ſt, quiſquis eſt.
DO. Sat edepol concinnâ eſt facie. *TO.* ut contemptim carnufex!
Taciti contemplemur formam. *DO.* laudo conſilium tuum.

INTERPRETATIO.

Quid times? DO. *Timeo per Herculem: ego jam captus ſum ſapius: neque mihi continget id inexperto, ut hæſitem in ejuſmodi luto.* TO. *Videtur nullum eſſe periculum.* DO. *Intelligo iſtud, ſed timeo mihi.* TO. *Iſtud quidè non meâ intereſt: ego nuntio id ut gratum faciam. Ut meâ ope poſſis primus eam emere.* DO. *Gratiſſimum mihi feciſti; ſed eſt jucundius te fieri ſapientem periculo aliorum, quàm alios fieri ſapientes tuo.* TO. *Ne quis verò eam conſequatur ex penitiſſimâ Barbariâ. Tu eam non mercaberis?* DO. *Conſpicabor modò illam mercem.* TO. *Rectè dicis; ſed ecce ille hoſpes, qui reddidit has tabulas; ipſe advenit commodè.* DO. *Hiccine eſt?* TO. *Eſt hic.* DO. *Eſtne illa virgo, quæ furto ablata eſt?* TO. *Scio perinde atque tu, niſi quia vidi. Per ædem Pollucis eſt libera, quæcumque tandem eſt.* DO. *Per ædem Pollucis eſt ſatis ſcito vultu.* TO. *Ut hic furcifer eam laudat contemptim! Contemplemur pulchritudinem taciti.* DO. *Probatur mihi tuum conſilium.*

ANNOTATIO.

66. *Tali in luto hæream.*] *In tali difficultate.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

TOXILUS Sagariſtionem cum filia paraſiti inducit, Perſico indutos habitu, ad circumveniendum lenonem: Dordalus pro Virgine minas ſexaginta Sagariſtioni numerat.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

SAGARISTIO, VIRGO, TOXILVS, DORDALVS leno.

SAGARISTIO.

SATIN Athenæ tibi visæ fortunatæ atque opiparæ?
VIR. Urbis speciem vidi, hominum mores prospexi parum.
TO. Nunquid in principio cessavit verbum doctè dicere?
DO. Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.
SA. Quid id quod vidisti: ut munitum muro tibi visum'st oppidum?
„*VIR.* SI INCOLÆ BENE sunt morati, pulcrè munitum arbitror;
„Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia si exulant,
„Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,
„Septimum Perjurium. *TO.* euge! *VIR.* Octava, Indiligentia:
„Nona, Injuria: decimum, quod pessimum aggressu, Scelus.
„Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.
TO. Quid ais tu? *DO.* quid vis? *TO.* tu in illis es decem sodalibus:
Te in exilium ire hinc oportet. *DO.* quid jam? *TO.* quia perjurus es.
DO. Verba quidem haud indoctè fecit. *TO.* ex tuo inquam usu est: eme hanc.
DO. Edepol qui cùm hanc magis contemplo, magis placet. *TO.* si hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.
Cum optimis viris rem habebis: gratiam cupient tuam:
Venient ad te comessatum. *DO.* at ego intromitti *non sinam.*

INTERPRETATIO.

SA. *Athenæ tibine videntur satis fœlices, atque magnificæ?* VIR. *Conspicata sum pulchritudinem civitatis; non bene novi mores civium.* TO. *Nonne in initio protulit statim sapiens dictum?* DO. *Nequeo etiam satis admirari ejus sapientiam in primo verbo.* SA. *Quid est quod observasti: quomodo urbs tibi visa est septa mœnibus?* VIR. *Existimo eam satis vallatam, si cives sunt bonis moribus; si fraus; si furta publica pecuniæ; si cupiditas divitiarum absit; si quarta Invidia; quinta, Ambitio; sexta, Maledicentia; septimum, perjurium.* TO. *Optime!* VIR. *Octava, Negligentia; nona, Iniquitas; decimum, Scelus, quod est difficillimum expugnatu. Nisi hæc excludantur ex civitate, centum muri sunt parum reipublicæ tuendæ.* TO. *Quid dicis tu?* DO. *Quid vis?* TO. *Tu habes locum in illis vitiis; tibi abeundum est in exilium.* DO. *Quare?* TO. *Quia es perjurus.* DO. *Sanè sermonem habuit non ineruditum.* TO. *Tibi erit, inquam, utilis: mercare illam.* DO. *Profectò, quò attentius eam considero, eò impensius mihi grata esse videtur.* TO. *Si hanc mercatus fueris, Dii immortales, nullus alius leno erit te beatior. Spoliabis ad libitum omnes, prædiis, servis. Tractabis negotia cum egregiis hominibus: ambient tuam amicitiam: venient ad te ad epulandum.* DO. *Sed ego non patiar excipi.*

ANNOTATIO.

10. *Quod pessimum aggressu, Scelus.* Id est, *Scelus inveteratum & inolitum in moribus civitatis*, quod est expugnatu difficile.

TO. At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:
Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:
Ferream seram atque annulum: ne si ferro parceris,
Ferreas túte tibi impingi jubeas crassas compedis.
DO. I in malum cruciatum. *TO.* i sanè! hanc eme atque ausculta mihi.
DO. Modò ut sciam, quanti indicet. *TO.* vin' huc vocem? *DO.* ego illò accessero.
TO. Quid ais, hospes? *SA.* venio, adduco hanc, uti dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit: vænire hanc volo,
Si potest: si non potest, ire hinc volo quantum potest.
DO. Salvus sis, adolescens. *SA.* siquidem hanc vendidero pretio suo.
TO. Atqui aut hoc emptore vendes pulcrè, aut alio non potes.
SA. Esne huic tu amicus? *TO.* tanquam di omnes qui cælum colunt.
„ *DO.* Tum mihi es inimicus certus. nam GENERI LENONIO
„ Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
SA. Hoc age! opus ne'st hâc tibi emptâ? *DO.* si tibi væniss'e'st opus,
Mihi quoque emptâ est: si tibi subiti nihil est, tantumdem'st mihi.
SA. Indica, fac pretium. *DO.* tua merx est, tua indicatio est.

INTERPRETATIO.

TO. *Sed illi convitiabuntur ante januam de nocte, accendent januam. Itaque tu manda claudi tuam domum januis ferreis: compara domum ferream, adde limina ferrea, seram ferream; & annulum, ne si non insumpseris satis ferri, tu postea mandes tibi cudi graves compedes ferreas.* DO. *Vade in malam crucem.* TO. *Vadè profectò! mercare illam, mihi crede.* DO. *Velim scire, quod pretium huic præfiniat.* DO. *Visne ut hunc vocem?* DO. *Ego eo ad illum.* TO. *Quid dicis hospes?* SA. *Adsum, adduco hanc, ut dixi. Nam heri per noctem navis appulit ad portum: volo hanc vendi, si fieri potest: si* vendi *non potest, est animus hinc fugere, quantum in me erit.* DO. *Salve, adolescens.* SA. *Si hanc vendam suo pretio.* TO. *Atqui aut vendes carè hoc mercatore, aut non vendes alii.* SA. *Esne tu hujus amicus?* TO. *Ut cuncti Dii qui in Cœlo habitant.* DO. *Itaque tu es sine dubio meus inimicus. Nam numquam ullus Deus fuit tam clemens, ut faverit lenonibus.* SA. *Dic mihi, estne tibi opus hanc emere?* DO. *Si tibi opus est hanc vendere, mihi quoque opus est eam emere: si nihil est cur properes vendere, neque est mihi* cur properem emere. SA. *Assigna, statue pretium.* DO. *Est tua merx, est tuum indicare* pretium.

ANNOTATIONES.

21. *Foribus ferreis.*] Hoc & versibus sequentibus tribus alludit ad turrim, in quâ inclusam Danaen fabulantur, Ovidius: *Ærati postes ferrea turris erat.* Propertius: *Ferratam Danaes transiliamque domum.*

25. *I sanè.*] Quia Dordalus dixit, *i in malum cruciatum*, Toxilus, non sine joco, reponit, *i sanè*, in quo est ambiguum. Potest enim significare, *i sanè, & eme virginem*, aut *i ipse in malum cruciatum.*

37. *Indica, fac pretium.*] *Indicare* vendentis est, ut *mercari* & *liceri* emptoris. *Indicare caros pisces.* Id est, *Assignare pretium carum*, in Aul. 2. 8.

TO. Æquum hic orat. *SA.* vin' bene emere? *DO.* vin' tu pulcrè vendere.

TO. Ego scio hercle utrumque velle. *DO.* age indica prognariter.

SA. Prius dico: hanc mancupio nemo tibi dabit. jam scis? *DO.* scio. Indica, minimo daturus quî sis, quî duci queat.

TO. Tace, tace; nimis tu quidem hercle homo stultus es pueriliter.

DO. Quid ita? *TO.* quia enim te ex puellâ prius percontari volo, Quæ ad rem referunt. *DO.* & quidem hercle tu me monuisti haud malè.

Vide sis! ego ille doctus leno pæne in foveam decidi, Ni hîc adesses. QUANTUM est adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

TO. Quo genere, aut quâ in patriâ sit nata, aut quibus parentibus. Ne temerè hanc te emisse dicas suasu atque impulsu meo. Nisi molestum est, percontari hanc paucis hic volt. *SA.* maximè, Suo arbitratu. *TO.* quid stas? abi túte, atque ipse itidem roga. Ut tibi percontari liceat quæ velis, etsi mihi Dixit dare potestatem ejus: sed ego te mâlo tamen Eum ipsum adire, ut ne contemnat te ille. *DO.* satis rectè mones. Hospes, volo ego hanc percontari. *SA.* à terrâ ad cælum, quid lubet. *TO.* Jubedum ea huc accedat ad me. *SA.* i. sanè, ac morem illi gere, Percontare, exquire quidvis. *TO.* agè agè nunc tu, i præ! vide Ut ingrediare auspicatò. *DO.* liquidum est auspicium. *TO.* tace.

INTERPRETATIO.

TO. *Hic dicit vere.* SA. *Cupisne bene mercari?* DO. *Cupisne tu bene vendere?* TO. *Ego novi profectò optare utrumque.* DO. *Audacter, statue* pretium *aperte.* SA. *Moneo imprimis, nemo tibi hanc tradet mancipio. Jam tenes?* DO. *Teneo. Assigna mihi, quo pretio minimo sis venditurus, ut possim eam abducere.* TO. *Sile, sile; profectò tu es homo amentior & nimis infans.* DO. *Quare?* TO. *Quoniam optem te sciscitari antea ex puellâ quæ ad rem pertinent.* DO. *Et quidem monuisti sapienter. Vide quæso! Ego qui habeor tam versutus leno decidissem in foveam, nisi apitulatus esses. Quantum est hominem adjungere sibi amicum, quando facias aliquid!* TO. *Ex quo genere sit orta, aut in quâ natione, aut ex quibus parentibus; ne conqueraris te esse eam mercatum imprudenter meo consilio, atque hortatu. Si non est incommodum, hic cupit interrogare hanc paucis.* SA. *Benè*, faciat *suo arbitrio.* TO. *Quare stas? Perge tu, & eam interroga de his. Ut sciscitaris ab ea quæ cupis, quamvis mihi innuit se mihi dare copiam ejus* rei: *attamen ego existimo præstare, te eum convenire ipsum, ut ille non te aspernetur.* DO. *Doces me satis benè. Hospes, ego cupio hanc interrogare.* SA. Roga *quidquid volueris ab imo ad summum.* TO. *Manda dum ut ea veniat ad me.* SA. *Perge; sanè, ac illi obtempera. Interroga, sciscitare quidquid volueris.* TO. *Perge perge jam, incipe! animadverte, ut incipias lenis avibus.* DO. *Auspicium est apertum.* TO. *Sile.*

ANNOTATIO.

40. *Hanc tibi mancupio nemo dabit.*] Id est, hanc tibi eâ lege nemo vendet, ut velit subire periculum evictionis: *personne ne vous la garantira.*

Concede sis, jam ego illam adducam. *DO.* age, ut rem esse in nostram putas.

TO. Sequere me. adduco hanc; si quid vis ex hâc percontarier.

DO. Enim volo te adesse. *TO.* haud possum, quin huic operam dem hospiti, [i modò.

Cui herus jussit. quid si hic non vult me adesse unà? *SA.* imò

TO. Do ego tibi operam. *DO.* TIBI ibidem das, ubi tu tuum amicum adjuvas.

TO. Exquire. heus tu, advigila! *VIR.* satis est dictum: quamquam ego serva sum,

Scio ego officium meum, ut quæ rogitet, vera, ut accepi, eloquar.

TO. Virgo, hîc homo probus est. *VIR.* credo. *TO.* non diu apud hunc servies.

VIR. Ita pol spero, si parentes facient officium suum.

DO. Nolo ego te mirari, si nos ex te percontabimur

Aut patriam tuam, aut parentes. *VIR.* cur ego id mirer, mi homo?

Servitus mea mihi interdixit, nequid mirer meum malum.

TO. Dii istam perdant! ita cata est & callida.**

Habet cor! quàm dicit quod opu'st! *DO.* quid nomen tibi est?

TO. Nunc metuo ne peccet. *VIR.* Lucridi nomen in patriâ fuit.

TO. Nomen atque omen quantivis est pretii! quin tu hanc emis?

Nimis pavebam ne peccaret. expedivit. *DO.* si te emam,

Mihi quoque Lucridem confido fore te. *TO.* tu si hanc emeris,

INTERPRETATIO.

Secede illuc quaso, ego illam adducam nunc. DO. *Fac sicut arbitraris esse è nostra re.* TO. *Sequere me. Hanc adduco; si cupis siscitari nonnihil ex hac.* DO. *Optarem te præsentem esse.* TO. *Non possum non opitulari huic hospiti, sicut herus mandavit. Quid si hic ægrè ferat me simul adesse?* SA. *Imò adesto.* TO. *Itaque ego tibi feram opem.* DO. *Tibi fers ipse, quando tu opitularis tuo amico.* TO. *Percontare Dordale. Heus tu, virgo, adverte mentem!* VIR. *Satis dixisti: tametsi ego sum ancilla, ego teneo quid mihi incumbat, nimirum, quando interrogaverit, respondeam vera, ut audivi.* TO. *Virgo, hic est vir frugi.* VIR. *Arbitror.* TO. *Non servies diu apud eum.* VIR. *Ea spes est, si parentes agant quod decet.* DO. *Ne mireris, si nos rogaverimus, quæ sit tua patria, qui parentes.* VIR. *Quare admirer id, mi homo? Mea servitus mihi prohibet mirari, quidquid mali accidat.* TO. *Dii perdant istam! adeò est versuta & astuta. Profectò pollet ingenio! quàm bene loquitur quod decet!* DO. *Quo nomine vocaris?* TO. *Jam timeo ne erret.* VIR. *Vocabar lucris in patriâ.* TO. *Hoc nomen atque omen est maximi pretii! Quin mercaris tu hanc? Metuebam magnopere ne erraret. Sese hinc extricavit.* DO. *Si te emam, spero quoque te mihi futuram Lucridem.* TO. *Si tu hanc mercatus fueris,*

ANNOTATIO.

75. *Mihi quoque Lucridem.*] Solebant veteres è re quâvis sumere auspicium futuri temporis, at præsertim è nominibus. Sic, quia *lucris* fingitur hic appellari filia Saturionis, & id nominis idem habet initium atque *lucrum*, Dordalus *Lucridem* fore *lucro* confidit. Patet ex Tacito duces adhibere solitos milites ad res difficiles, quorum essent fausta nomina.

Nunquam hercle hunc menſem vertentem, credo, ſervibit tibi.
DO. Ita velim quidē hercle! *TO.* optata ut eveniant, operam addito.
Nihil adhuc peccavit etiam. *DO.* ubi tu nata es? *VIR.* Ut mihi
Mater dixit, in culinâ, in angulo ad lævam manum.
TO. Hæc erit tibi fausta meretrix! nata eſt in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia eſt ſæpiſſimè.
Tactus eſt leno, qui rogarat, ubi nata eſſet, diceret.
Lepidè luſit. *DO.* at ego patriam te rogo quæ ſit tua.
VIR. Quæ mihi ſit, niſi hæc ubi nunc ſum? *DO.* at ego illam
quæro, quæ fuit.
„*VIR.* OMNE EGO PRO NIHILO eſſe ducto, quod fuit, quando fuit:
„Tanquam hominem, quando animam efflavit, quid eum quæras
qui fuit?
TO. Ita me dî bene ament, ſapienter! atque equidem miſeret
tamen.
DO. Sed tamen, Virgo, quæ patria eſt tua? age mihi actutum
expedi. quid taces?
VIR. Dico equidem patriam. quandoquidem hîc ſervio, hæc pa-
tria eſt mea.
TO. Jam de iſtoc rogare omitte. non vides nolle eloqui,
Ne ſuarum ſe miſeriarum in memoriam inducas? *DO.* quid eſt?
Captusne eſt pater? *VIR.* non captus, ſed quod habuit, id per-
didit.
TO. Hæc erit bono genere nata, nihil ſcit, niſi verum loqui.
DO. Quis fuit? dic nomen. *VIR.* quid illum miſerum memo-
rem qui fuit?

INTERPRETATIO.

puto eam non eſſe tibi ſervituram, toto hoc menſe. DO. *Optarem id ſanè!* TO. *Fac ut contingat quod cupis. Nondum erravit hucuſque.* DO. *In quo loco es nata?* VIR. *In culinâ, ut mater mihi dixit, in angulo ad lævam manum.* TO. *Hæc mulier tibi erit fortunata: eſt edita in lucem in loco calido, in quo frequenter abundant omnes res optimæ. Leno qui ab ea petiverat, ut aperiret, ubi nata eſſet, eſt captus. Virgo fefellit feſtivè.* DO. *Ego peto à te, quæ eſt tua patria.* VIR. *Quæ eſt, niſi hæc in qua nunc verſor?* DO. *Sed ego à te peto, quæ fuerit.* VIR. *Ego habeo pro nihilo, quod fuit, quia fuit: veluti hominem, quando functus eſt fato: quid enim ab eo petas qui fuerit?* TO. *Dicit docte, ita me Dii bene ament! & profectò ejus dolet vicem.* DO. *Attamen, Virgo, quæ eſt tua patria? Age, aperi mihi quamprimùm. Quid taces?* VIR. *Aperiam quæ eſt patria. Eſt hæc mea patria, quandoquidem ſum hîc ſerva.* TO. *Deſine interrogare de patria. Non animadverſus nolle dicere, ne refrices recordationem ſuarum calamitatum?* DO. *Quid eſt? Tuus pater eſtne captus?* VIR. *Nō eſt captus, ſed amiſit ea quæ ſibi erant.* TO. *Hæc eſt orta bono genere: nihil novit, niſi loqui verum.* DO. *Quis fuit? Dic nomen.* VIR. *Quid dicam, qui fuit, ille miſer?*

ANNOTATIO.

76. *Menſem vertentem.*] Id eſt, *menſem integrum.*

Nunc & illum Miserum & me Miseram æquum est nominarier.
DO. Quojusmodi is in populo habitus est ? *VIR.* nemo quisquam acceptior :
Servi liberique amabant. *TO.* hominem miserum prædicas ;
Cùm ipsus propè perditus est, & benevolentis perdidit.
DO. Emam, opinor. *TO.* etiam, Opinor ? *DO.* summo genere esse arbitror.
TO. Divitias tu ex istâc facies. *DO.* ita dî faxint. *TO.* eme modò.
VIR. Jam hoc tibi dico : jam actutum ecastor meus pater, ubi me sciet
Venisse huc ; aderit hîc, & me absentem redimet. *TO.* quid nunc ? *DO.* quid est ?
TO. Audin' quid ait ? *VIR.* nam, etsi res sunt fractæ, amici sunt tamen.
DO. Ne sis plora, libera eris actutum, si crebrò cades.
Vin' mea esse ? *VIR.* dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.
TO. Satin' ut meminit libertatis ! dabit hæc tibi grandes bolos.
Age si quid agis : ego ad hunc redeo. sequere, reduco hanc tibi.
DO. Adolescens, vin' vendere istanc ? *SA.* magis lubet, quàm perdere.
TO. Tum tu pauca in verba confer : quî datur, tanti indica.
SA. Faciam ita, ut te velle video. ut emas, habe tibi centum minis.

INTERPRETATIO.

Nunc par est eum appellari Miserum, & me Miseram. DO. *Quomodo estimatus est in civitate ?* VIR. *Nullus unquam fuit ei gratior : servi & liberi amore complectebantur.* TO. *Commemoras hominem infœlicem, qui est fermè perditus ipse, & perdidit amicos.* DO. *Emenda est mihi, arbitror.* TO. *Etiam, arbitror.* DO. *Reor esse summo genere.* TO. *Tu acquires opes ex istâ.* DO. *Sic Dii faciant.* TO. *Eme jam.* VIR. *Jam hujus te monitum velim : quando meus pater accipiet me venisse huc, celeriter veniet, & me redimet absentem.* TO. *Quid nunc ?* DO. *Quid est ?* DO. *Audisne quod dicit ?* VIR. *Nam, quamquam ejus opes sunt eversæ, tamen habet amicos.* DO. *Ne lachrymare, si placet ; intra breve tempus eris libera, si cadas sæpe. Visne esse mea ?* VIR. *Assentior, dummodò non sim diutius tua.* TO. *Ut recordatur subitò libertatis ! hujus operâ tibi fient magni jactus* pecuniæ ! *Fac, si quid facis : ego revertor ad hunc. Sequere, tibi hanc reduco.* DO. *Adolescens, libetne illam vendere ?* SA. *Magis lubet, quàm amittere.* TO. *Tum tu confer in pauca verba : indica tanti quanti vis tibi dari.* SA. *Faciam ita, ut intelligo tibi lubere. Eme eam centum minis, & habe.*

ANNOTATIONES.

102. *Venisse huc.*] Alii, *vanisse hìc*, id est, *venditam esse hìc.*

103. *Etsi res sunt fractæ.*] Metaphora ducta à naufragiis, *fortunæ fractæ* dicuntur.

104. *Si crebrò cades.*] Dignum lenone solatium ; pollicetur enim virgini *dotem esse quæsituram corpore*, quod alibi de Tuscis dicit Plautus.

106. *Grandes bolos.*] Id est, *grandes jactus* tibi fient pecuniarum ab amatoribus ; te cumulabunt muneribus.

DO. Nimium'st. *SA.* octoginta. *DO.* nimium' st. *SA.* nummus abesse hinc non potest,
Quod nunc dicam. *DO.* quid id est ergo? eloquere actutum, atque indica.
SA. Tuo periculo sexaginta hæc datur argenti minis.
DO. Toxile, quid ago? *TO.* di deæque te agitant irati, scelus,
Qui hanc non properes destinare. *DO.* habeto. *TO.* heu, prædatus probè!
Abi, argentum effer huc.
Non edepol minis trecentis cara'st: feciſti lucri.
SA. Heus tu! etiam pro vestimentis huc decem accedent minæ.
DO. Abscedent enim, non accedent. *TO.* tacesis, non tu illum vides
Quærere ansam, infectum ut faciat? abisne, atque argentum peris?
DO. Heus tu serva istum. *TO.* quin tu is intrò? *DO.* abeo, atque argentum affero.

INTERPRETATIO.

DO. *Est nimis.* SA. *Octoginta.* DO. *Est nimis.* SA. *Non potest detrahi nummus de pretio, quod dicam nunc.* DO. *Quid est id igitur? Statim dic, atque assigna.* SA. *Hæc datur, tuo periculo, sexaginta minis argenti.* DO. *Toxile, quid faciam?* TO. *Impure, Dii Deæque te exagitant, qui non acceleres hanc emere.* DO. *Habeto.* TO. *Heu, bene spoliatus! Vade, effer huc pecuniam. Certè non esset chara etiam trecentis minis: lucrefeciſti catera.* SA. *Heus tu! addes etiam ad hoc pretium decem minas pro vestibus.* DO. *Recedent enim, non accedent.* TO. *Tace, si vis; tu non animadvertis illum captare occasionem, ut faciat infectum*, quod factum est? *Abisne, & pecuniam affers?* DO. *Heus, Toxile, tu serva istum.* TO. *Quin tu ingrederis?* DO. *Proficiscor, atque apporto pecuniam.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

INTEREADUM ingreditur ad se Dordalus ad depromendam pecuniam pro Lemniselene, Toxilus Sagaristionem docet, quid agere oporteat deinceps.

TOXILVS, SAGARISTIO servi, VIRGO.

TOXILVS.

EDEPOL dediſti, Virgo, operam allaudabilem,
Probam & sapientem & sobriam. *VIR.* SI QUID BONIS
BONI FIT, esse idem & grave & gratum solet.

INTERPRETATIO.

TO. *Profectò, Virgo, præbuisti auxilium maximè probandum, rectum, prudens & salutare.* VIR. *Si aliquod beneficium confertur bonis, id consuevit esse, & magnum & jucundum.*

TO. Audin'

TO. Audin' tu! Persa, ubi argentum ab hoc acceperis,
Simulato quasi eas prorsum in navem. *SA.* ne doce.
TO. Per angiportum rursum te ad me recipito,
Illâc per hortum. *SA.* quod futurum est, prædicas.
TO. At ne cum argento protinàm permutes domum:
Moneo te. *SA.* quod te dignum'st, me dignum esse vis.
TO. Tace! parce voci! præda progreditur foràs.

INTERPRETATIO.

TO. *Audisne tu! ô Persa, statim atque acceperis pecuniam à lenone, finge te pergere rectâ viâ in navem.* SA. *Noli me monere.* TO. *Recipe te ad me illàc per angiportum.* SA. *Præscribis quod fiet.* TO. *At, te precor, eas in aliam domum cum pecunia.* SA. *Putas me esse idoneum ei rei, quæ est digna te.* TO. *Sile! demitte vocem! præda prodit foràs.*

ANNOTATIONES.

3. *Et grave & gratum.*] Nonius: *Grave est solidum & firmum. Graviter*, id est, *sapienter collocatum. Grave*, respicit dantis personam; gratum accipientis. Id est, quod grato animo accipitur.

4. *Persa.*] Id est, Sagaristio, qui Persicâ veste indutus est.

5. *Prorsum.*] Id est, *rectâ viâ.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

DORDALUS redit cum sexaginta minis, quas pro Virgine Sagaristioni numerat: quibus acceptis, Sagaristio-Persa ab eorum sese proripit conspectu, quasi rectà iturus ad portum.

DORDALVS leno, SAGARISTIO, TOXILVS servi, VIRGO.

DORDALVS.

PRobati hîc argenti sunt sexaginta minæ,
Duobus nummis minus est. *SA.* quid ei nummi sciunt?
DO. Crumenam hanc emere, aut facere ut remigret domum.
SA. Ne non sat esses leno, id metuebas miser,
Impure, avare, ne crumenam amitteres.
TO. Sine, quæso! quando leno'st, nihil mirum facit.

INTERPRETATIO.

DO. *SUnt in hac crumena sexaginta minæ boni argenti, duobus nummis minus.* SA. *Quare ii nummi desunt?* DO. *Aut mercabuntur hoc marsupium; aut efficient, ut marsupium revertatur in ædes.* SA. *Timebas infelix, sceleste, avare, ne non esses satis leno, ne perderes marsupium.* TO. *Sine, amabo! non facit mirum: quandoquidem est leno.*

DO. Lucro faciundo ego auſpicavi in hunc diem :
Nihil mihi tam parvi'ſt, quin me id pigeat perdere.
Age accipe hoc ſis. *SA.* hunc in collum, niſi piget,
Impone. *DO.* verò fiat. *SA.* nunquid cæterùm
Me voltis ? *TO.* quid tam properas ? *SA.* ita negotium'ſt,
Mandatæ quæ ſunt, volo deferre epiſtolas.
Geminum autem fratrem ſervire audivi hîc meum,
Eum ego, ut requiram atque ut redimam, volo.
TO. Atque edepol tu me commonuiſti haud malè.
Videor vidiſſe hîc formâ perſimilem tui,
Eâdem ſtaturâ. *SA.* quippe qui frater ſiet.
DO. Sed ſcire velimus, quod tibi nomen ſiet.
TO. Quid attinet nos ſcire ? *SA.* auſcultа ergo, ut ſcias :
Vaniloquidorus-Virginisvendonides.
Nugipolyloquides-Argentiexterebronides,
Tedigniloquides-Nummorumexpalponides :
Quodſemelarripides-Nunquam*poſtea*eripides.
DO. Heu hercle nomen multis modis ſcriptum'ſt tuum !
SA. Ita ſunt Perſarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus. nunquid cæterum
Voltis ? *DO.* vale. *SA.* & vos : nam animus in naviſt meus.
DO. Cras ires potius, hodie hîc cœnares. Vale.

INTERPRETATIO.

DO. *Ex auſpiciis quæ ſumpſi oportet me quæſtum facere hodierna die : eſt nihil adeò exiguum, quod non ægrè amitterem. Age, accipe hoc, ſi libet.* SA. *Impone id, ſi placet, his cervicibus.* DO. *Imponam.* SA. *Quod reliquum eſt vultisne aliquid ?* TO. *Quare acceleras adeò?* SA. *Sic exigunt negotia, volo deferre epiſtolas, quæ ſunt mandatæ. Audivi meum fratrem geminum eſſe ſervum in hâc urbe ; ego accelero eum quærere, & redimere.* TO. *Atque tu me haud malè commonuiſti. Mihi videor conſpexiſſe in hâc urbe hominem ſpecie ſimillimum tibi, eâdem ſtaturâ.* SA. *Quia videlicet eſt frater.* DO. *Sed cupimus ſcire, quod nomen habeas.* TO. *Quid noſtrî intereſt ſcire ?* SA. *Audi ergo ut teneas : vocor vanorum verborum dator, virginum venditor, nugarum plurium prædicator, exterebrator pecuniæ, qui dicit te digna, nummorum emunctor, & is qui nunquam ſibi eripi patitur id, quod ſemel arripuit.* DO. *Heu tuum nomen eſt axaratum multis rationibus.* SA. *Sic ſe habet mos Perſarum ; ſunt nobis prolixa nomina implicata invicem. Numquid vultis amplius ?* DO. *Vale.* SA. *Et vos. Nam meum animus eſt* jam *in navi.* DO. *Proficiſcaris cras melius ; cœnares hîc hodie. Vale.*

ANNOTATIONES.

12. *Mandatæ quæ ſunt.*] Ut Sagariſtio melius imponat Dordalo, duobus mendaciis utitur ; primo, quo fingit ſibi eſſe litteras in urbe dandas ; ſecundo, ſibi eſſe fratrem geminum, qui in urbe ſerviat, redimendum.

21. *Nugipolyloquides.*] Hoc, & cæteræ partes fictitii nominis Sagariſtionis, quod quatuor verſibus integris conſtat, partim Latinæ ſunt, partim Græcæ, omnes appoſitiſſimè copulatæ.

26. *Contortiplicata.*] Verbum *contortiplicatum* poteſt intelligi ex fune contortiplicato ; cùm, videlicet, ita permixta ſunt nomina, ex quibus componitur, ut explicari vix poſſint.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

TOXILUS mandat Saturioni, ut quàmprimùm veniat, & tumultuetur.

TOXILVS, DORDALVS, SATVRIO parasitus, VIRGO.

TOXILVS.

POSTQUAM illic abiit, dicere hîc quidvis licet.
Næ hic tibi dies illuxit lucrificabilis!
Nam non emisti hanc, verùm fecisti lucri.
DO. Ille quidem jàm scit, quid negotii gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.
Argentum accepit, abiit. quid ego nunc scio
An jam asseratur hæc manu? quò illum sequar?
In Persas? nugas. *TO.* credidi gratum fore
Beneficium meum apud te. *DO.* imò equidem gratiam
Tibi, Toxile, habeo: nam sensi te sedulò
Mihi dare bonam operam. *TO.* tibin' ego? imò servii.
DO. Attat oblitus sum intus dudum edicere
Quæ volui edicta. asserva hanc. *TO.* salva'st hæc quidem.
VIR. Pater nunc cessat. *TO.* quid si admoneam? *VIR.* tempus est.
TO. Heus! Saturio, exi. nunc est illa occasio
Inimicum ulcisci. *SA.* ecce me! nunquid moror?
TO. Age illuc abscede procul è conspectu. *SA.* tace!
TO. Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Tum turbam facito. *SA.* dictum sapienti sat est.

INTERPRETATIO.

TO. *Licet loqui hic quidlibet, postquam Persa excessit. Profectò hic dies tibi affulsit ad faciendum quæstum! Nam non mercatus es hanc, sed lucratus es.* DO. *Profectò ille à quo emi puellam furtivam meo periculo, non ignorat quid rei fecerit. Numeravi pecuniam, profectus est. Quid scio ego nunc, an hæc jam asseratur manu? Quò illum sequar? In Persas? Nuga.* TO. *Arbitratus sum me tibi facere gratum.* DO. *Sanè, Toxile, mihi gratum feci: nam intellexi te mihi opitulari sedulò.* TO. *Egòne tibi opitulatus? imò profui.* DO. *Sed oblitus sum præcipere in ædibus, ea quæ debebam dicere. Custodi hanc.* TO. *Hæc profectò est in tuto.* VIR. *Pater non venit.* TO. *Quid si moneam?* VIR. *Est tempus.* TO. *Heus! Saturio, prodi. Adest locus sumendæ ultionis de inimico.* SA. *adsum! numquid tardo?* TO. *Age, abiste illuc procul à conspectu.* SA. *Sile!* TO. *Quando conspicaberis me fabulari cum lenone, tum concita turbam.* SA. *Est satis dixisse sapienti.*

ANNOTATIONES.

5. *Meo periclo.*] Id est, *damno.* Si quis jam eam repetat.

11. *Mihi dare bonam operam.*] *Operam dare, juvare,* Hoc loco.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGVMENTVM.

DORDALUS leno Toxilum dimittit, agitque gratias, propter emptam Lucridem Virginem.

DORDALVS leno, TOXILVS servus.

DORDALVS.

TRANSCIDI loris omneis adveniens domi,
Ita mihi supellex squalet, atque ædes meæ.
TO. Redis tu tandem? *DO.* redeo. *TO.* næ ego hodie tibi
Bonam vitam feci. *DO.* fateor habere gratiam.
TO. Num quippiam aliud me vis? *DO.* ut bene sit tibi.
TO. Pol istuc quidem jam ego omne usurpabo domi:
Nam jam inclinabo me cum libertâ tuâ.

INTERPRETATIO.

DO. *Concidi cunctos servos flagris in ædibus quando adveni, adeò mea supellex sordescit, atque mea domus.* TO. *Tu reverteris tandem?* DO. *Revertor.* TO. *Sane ego tibi præbui hodie jucundam vitam.* DO. *Fateor me tibi devinctum esse.* TO. *Mene vis aliquid aliud* DO. *Ut sis felix.* TO. *Ego accipiam jam in ædibus omnem illam* felicitatem; *nam jam accumbam mensæ cum tuâ libertâ.*

ANNOTATIONES.

1. *Transcidi loris.*] Verberibus concidi servos, quòd illauta suppellex, immundæque ædes.

4. *Bonam vitam feci.*] Jucundam. Seneca: *Nec dubitaveris bonam vitam, quàm opinionem bonam malle.* Plinius junior: *Quid invidetis, ô Medici, bonam mortem, qui dare vitam non potestis?*

6. *Jam ego omne usurpabo domi.*] Id est, *Omne quod optas.* Nimirum precatus est Dordalus, ut bene sit Toxilo; id est, ut sit fœlix. Toxilus respondet, *quidquid optas, ego usurpabo domi; fruar domi illâ fœlicitate, quam mihi optas.*

7. *Inclinabo me.*] Inclinabo hic de mensa intellige ad epulas.

ACTUS QUARTUS. SCENA NONA.

ARGVMENTVM.

ADEST Saturio, tumultuatur, repetit filiam suam, trahit ad prætorem obtorto collo Dordalum.

SATURIO parasitus, DORDALUS, VIRGO.

SATURIO.

NIsi ego illunc hominem perdo! *DO.* perii! *SA.* atque optimè
Eccum ipsum ante ædes. *VIR.* salve multum, mi pater.
SA. Salve, mea gnata. *DO.* hei! Persa me pessundedit.
VIR. Pater hic meus est. *DO.* hem! quid? pater? perii oppidò.
Quid ego igitur cesso infelix lamentarier
Minas sexaginta? *SA.* ego pol te faciam, scelus,
Te quoque etiam ipsum ut lamenteris. *DO.* óccidi.
SA. Age ambula in jus, leno. *DO.* quid me in jus vocas?
SA. Illî apud Prætorem dicam. sed ego in jus voco.
DO. Nonne antestaris? *SA.* tuân' ego caussâ, carnufex,
Cuiquam mortali libero aureis atteram?
Qui hîc commercaris cives homines liberos.
DO. Sine dicam. *SA.* nolo. *DO.* audi. *SA.* sum surdus, ambula.
Sequere hàc sceleста feles virginaria.

INTERPRETATIO.

SA. *Nisi ego conficiam illum hominem!* DO. *Interii!* SA. *Benè est, adest ante januam.* VIR. *Salvus sis plurimùm, mi pater.* SA. *Salvus sis, mea filia.* DO. *Hei! Persa me everrit funditus.* VIR. *Adest, meus pater.* DO. *Hem! quid? pater? occidi planè! Quid moror ergo miser deplorare sexaginta minas?* SA. *Ego dabo operam ut deplores ipse tuam vicem, ô sceleste.* DO. *Perii.* SA. *Age, leno, veni in jus.* DO. *Quare me ducis in jus?* SA. *Dicam apud Prætorem. Sed ego appello in jus.* DO. *Nonne adhibes testem?* SA. *Tuâne causâ, furcifer, apprehendam ego aurem cuiquam homini libero? Tu qui hîc instituis commercium civium hominum liberorum.* DO. *Patere me loqui.* SA. *Non patiar.* DO. *Ausculta.* SA. *Sum surdus, veni. Veni huc, sceleste prædo virginum.*

ANNOTATIONES.

10. *Tuâne ego caussâ carnufex.*] Homines enim infames & intestabiles, ut fures aut Lenones, sine *antestatione*, injectâ manû invitos in jus trahere licebat. *Antestari* significat, *accipere in testem, testibus uti.* Apud veteres enim, qui adversarium in jus pertrahere volebat, prius aliquem de præsentibus *antestabatur*, hoc est, testem capiebat, ejus attingens auriculam, & sic interrogans, *liceine antestari?* Illo autem respondente, licet, tum, injectâ manû, adversarium in judicium rapiebat. Solos autem liberos *antestari*, fas erat. Servi testes esse non poterant. Plinius lib. 2. *Est in aure imâ memoriæ locus, quem tangentes antestamur.*

14. *Feles virginaria.*] Notum est omnibus, quàm rapax sit felis, quàm velox ad fugiendum, cum furto, quàm callida ad occultandum. Igitur cum fele lenonem Saturio comparat. Præterea crediderim & hanc comparationem hominis rapacis cum fele à parasito factam, quia forte esurienti, & jamjam inhianti felis aliqua appositum cibum suffuratus fuerit. Ausonius Marcum nescio quem puerorum raptorem vocat, *felem pullariam: Quis Marcus? Felis nuper pullaria dictus.* Crediderim hic à Poëta nostro *feles*, & ab Ausonio *felis*, in fœminino usurpari, quia felis fœmina est fele masculo rapacior, præsertim quando sunt Catuli alendi, aut suo lacte, aut prædâ. Apud Autores etiam canis fœmina accipitur potissimùm in comparationibus, in quibus opus est, aut insigni quadam improbitate ad vociferandum, aut crudelitate.

Sequere hâc, mea nata, me usque ad Prætorem. *VIR.* sequor.

INTERPRETATIO.

Mea filia, veni huc ad Prætorem. VIR. *Eo.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

TOXILUS & Sagaristio gratulantur sibi propter circumventum Dordalum, & illudunt ipsi Dordalo Sagaristio & Lemniselene.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

EPULANTUR simul Toxilus, Sagaristio & Lemniselene; circumventoque Dordalo, lætantur.

TOXILUS, SAGARISTIO servi, LEMNISELENE.

TOXILUS.

HOSTIBUS victis, civibus salvis, re placidâ, pacibus perfectis,
Bello extincto, re benè gestâ, integro exercitu & præsidiis,
Cùm bene nos, Juppiter, juvisti, dîque alii omnes cælipotentes,
Eâ vobis grates habeo, atque ago: quia probè sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam prædâ & participabo.

INTERPRETATIO.

TO. SUperatis hostibus, salvis civibus, republicâ pacatâ, sancitâ pace, bello confecto, re feliciter administratâ, copiis & præsidiis salvis, quoniam nobis bene opitulatus es, ô Jupiter, vosque omnes alii Dii Domini cœli, idcirco vobis habeo gratias, atque ago: quia ultionem sumpsi de meo inimico. Nunc propterea partiar spolia, & distribuam inter participes pugnæ.

ANNOTATIONES.

1. *Pacibus perfectis.*] Id est, *conditionibus pacis acceptatis & sancitis.* Nonius: *Paces plurali numero novè positum.* Varro: *Constituere paces.*

4. *Eâ.*] Id est, *propterea.*

Ite foras! hîc volo ante ostium & januam meos participes benè accipere.
Statuite hîc lectulos, ponite hîc quæ assolent. hîc statui volo primùm
Aquilam mihi: unde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiant,
Quorum operâ hæc mihi facilia factu facta sunt, quæ volui effieri.
„Nam Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.
LEM. Toxile mi, cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es? *TO.* agedum ergo,
Accede, mea, ad me, atque amplectere sis. *LEM.* ego verò. oh! nihil magis dulce'st.
Sed, amabo oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
TO. Omnia quæ tu vis, ea cupio. *LEM.* mutua fiunt à me. *TO.* age, age, age ergo!
Tu Sagaristio, accumbe in summo. *SA.* ego nihil moror! cedò parem quem pepegi.
TO. Temperi. *SA.* mihi istuc temperi, sero'st. *TO.* hoc age! accumbe. hunc diem suavem
Meum natalem agitemus amœnum. date aquam manibus: apponite mensam.

Intepretatio.

Exite! Statui lautè invitare illos, qui sunt socii prædæ ante januam & limen. Collocate hîc lectos, comparate hîc quæ solent parari. *Primùm volo haberi hîc aquam: ex quâ reddam universos lætos, jucundos, alacres, quorum auxilio ea quæ optavi exequi, evaserunt facilia factu. Nam homo est nequam, qui novit accipere beneficium, & non novit remetiri.* LEM. *Mi Toxile, quare sum ego absque te? Quare autem es tu absque me?* TO. *Agedum igitur, ô mea, accede ad me, atque complectere si libet.* LEM. *Ego verò,* obsequor. *Oh! est nihil suavius. Sed, obsecro, mi ocule, quin nos componamus in lectis quamprimùm?* TO. *Opto ea omnia, quæ tu optas.* LEM. *Ego facio mutuum.* TO. *Age, age, age ergo! Tu Sagaristio, accumbe in summo* lecto. SA. *Ego curo parum hoc! da parem quam pollicitus es.* TO. *Dabitur suo tempore.* SA. *Istud* suo tempore, *mihi est* tardo. TO. *Hoc age! accumbe: celebremus jucunde hunc diem, qui est meus natalis festivus. Infundite aquam nostris manibus: statuite mensam.*

Annotationes.

7. *Statuite.*] Servilis convivii descriptio.

8. *Aquilam.*] Aquam duplicem initio convivii ministrabant, calidam videlicet & frigidam.

Lubentes, lætificantes.] Id est, *læti.*

10. *Reddere nescit.*] *Ingratus.* Qui ingratum afficit beneficio appellatur, *officiperdus*, seu *officiperda.*

15. *Cedò parem.*] Vox est Sagaristionis ad Toxilum, rogantis ab eo, ut sibi sua amica detur, quemadmodum suam habet Lemniselenen Toxilus.

16. *Temperi.*] Id est, *tempore suo dabitur, quod pepigi.* Cicero dixit, *temperius*, & *temporius* à *tempus*, *temperis*; ut *pignus*, *pigneris.*

Do hanc tibi florentem florenti : tu hîc eris dictatrix nobis. age; puere,
A ſummo ſeptenis cyathis committe hos ludos. move manûs; propera.
Pægnium ! tardè cyathos mihi das : cedò ſanè. Benè mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.
Optatus hîc mihi dies datus hodie'ſt ab dîs, quia te licet liberam me amplecti.
LEM. Tuâ factum operâ. BENE omnibus nobis ! hoc mea manus tuæ poculum donat,
Ut amantem amanti decet. *TO.* cedò. *LEM.* accipe. *TO.* Bene ei, qui invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudio gaudet.

INTERPRETATIO.

Tibi do hanc coronam floream florenti : tu ſedebis hìc noſtra magiſtra, ô Lemniſelene. Age, puer, aperi hos ludos à primo loco ſeptemplici paterâ. Move manûs ; accelera. Pægnium ! mihi offers lentè crateres : da. Mihi ſit benè, benè vobis, benè meæ amicæ. Hìc lux mihi affulſit hodie à Diis, quia mihi licet te amplecti liberam. LEM. *Tuo beneficio eſt benè omnibus nobis ! Mea manus ponit hunc cyathum in tuâ, ut convenit amicam amico.* TO. *Præbe.* LEM. *Suſcipe.* TO. *Sit bene ei, qui mihi invidet, & ei qui lætatur hâc lætitiâ.*

ANNOTATIONES.

19. *A ſummo bibere.*] Id eſt, ab eo conviva, qui primus accumbit ; vel à ſummo lecto, ſeu loco ſummo lecti.

Septenis Cyathis.] *Septies in orbem circonductis.* Ad ludos curules alludit Plautus, non Græcos, qui duodecimo ſpatio, ſed Romanos, qui ſeptimo confecto curſum abſolvebant. Unde crediderim inde dictum Græcari, pro *largius bibere*, id eſt, *duodecies circumlatis Cyathis.*

Committe.] Eſt vox tranſlata à circo & circenſibus ludîs, & pugnis ad menſam, & certamen bibendi.

20. *Benè mihi, benè vobis.*] Ovidius : *Et benèdic, domina ; benè, cùm quo dormiet illa.*

Moris erat inter bibendum nominare dominam aut amicam. *Bene vos*, ſupple *vivere precor ; bene* Dominæ, ſupple *precor.* In honorem amici aut amicæ, tot cyathos bibebant, quot litteræ erant nomini. Hinc Martialis :

Navia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur ;
Quinque Lycas, Lyda quatuor, Ida tribus.

Quia ſex ſunt litteræ in *Navia*, ſeptem in *Juſtina*, quinque in *Lycas*. Græci & Romani libabant pocula Diis, Principibus, Beneficis, Præceptoribus, Amicis.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

DORDALUS irridetur à Toxilo, Sagariſtione, Lemniſelene; ſerviſque eorum.

DORDALVS,

DORDALVS, SAGARISTIO, LEMNISELENE, PÆGNIVM, PVER.

DORDALVS.

QUi sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri sunt post-hàc,
Solus ego omnibus antideo facilè, miserrimus hominum ut vivam.
Perii! interii! pessimus hic mihi dies hodie illuxit. corruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itáque meam rem divexavit.
Vehiculum argenti miser ejeci, amisi: neque quamobrem ejeci, habeo.
Quî illum Persam, atque omnis Persas, atque etiam omnis personas
Malè di omnes perdant! ita miser! Toxilus hæc mihi concivit.
Quia ei fidem non habui argenti, eò mihi eas machinas molitu'st:
Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis cogam, si vivam,
Siquidem huc unquam herus redierit ejus, quod spero. sed quid ego aspicio?
Hoc vide! quæ hæc fabula est? pol hîc quidem potant. aggrediar! ô bone vir
Salveto, & tu bona liberta! *TO.* Dordalus hic quidem est. *SA.* quin jube adire.

INTERPRETATIO.

DO. *Ego solus antecedo longè calamitate universos, qui vivunt, qui vixerunt, quique vivent deinceps, & sum infelicissimus omnium hominum. Occidi! sum perditus! hic dies mihi affulsit infortunatissimus: adeò nequissimus Toxilus me lusit suis fabriciis; adeò evertit meas fortunas. Infelix emisi plaustrum plenum pecuniâ; perdidi: neque video quare emisi. Universi Dii interimant malè illum Persam, & omnes Persas, & etiam omnes personas! Ita infelix! Toxilus mihi conflavit hæc. Quia ei non credidi pecuniam, idcircò in me instruxit has artes: ego eum non compellerem in pœnas atque vincula, si vivam, si ejus herus reversus fuerit huc aliquando, sicut est spes. Sed quid ego conspicor? cerne hoc! quale est hoc spectaculum? Hìc præfectò pergræcantur. Conveniam! Salvus sis, ô bone vir, & tu bona liberta!* TO. *Adest profectò, Dordalus.* SA. *Jube eum accedere.*

ANNOTATIONES.

2. *Antideo.*] Pro, *ante eo.*

4. *Perfabricavit.*] Id est, fabricis & dolis perdidit.

5. *Vehiculum argenti miser ejeci.*] Id est, quasi me meæ felicitatis pigeret, ipse coëgi prædones abducere plaustrum pecuniæ plenum.

TO. Adi, si libet. agite! applaudamus. Dordale homo lepidissime, salve.

Locus hic tuus est, hîc accumbe. ferte aquam pedibus. præben' tu puere?

DO. Ne sis me uno digito attigeris, ne te ad terram, scelus, affligam.

PU. At tibi ego hoc continuò cyatho oculum excutiam tuum.

DO. Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie versaviſti!

Ut me in tricas conjeciſti! quomodo de Persâ manus mihi adita'ſt!

TO. Jurgium hinc auferas, si sapias. *DO.* at bona liberta, hæc sciviſti,

„Et me celaviſti? *LEM.* STULTITIA'ST, cui bene esse licet, eum prævorti

Litibus. posterius istæc te magis per agere'ſt. *DO.* uritur cor mihi!

INTERPRETATIO.

TO. *Accede, si placet. Agite! edamus plausum. Dordale homo scitissime, sis salvus. Est hic tuus locus; huc accumbe. Date aquam pedibus. Infunde tu, ô puer?* DO. *Ne me attigeris, si vis, vel extremo digito, nequam, ne te prosternam solo.* PU. *At ego tibi eruam jamjam tuum oculum hâc paterâ.* DO. *Quid dicis, crux, in cujus tergum deteruntur verbera? Quomodo me ludificaſti hodie! quomodo me compuliſti in fraudem! quomodo me decepiſti ſpecie amicitiæ in Persâ!* TO. *Tolle hinc rixas, si sanus es.* DO. *At bona liberta, noviſti hæc, & me celaviſti?* LEM. *Est amentia rixari cum, qui potest frui voluptatibus. Est satius movere ista postea.* DO. *Pectus mihi flagrat!*

ANNOTATIONES.

14. *Ferte aquam pedibus.*] Toxilus irridet lenonem; neque enim pedibus, sed manibus danda est aqua. Quamquam autem subesse potest jocus, quod dandam aquam pedibus, non manibus dicat; tamen dabatur olim non solum manibus, sed etiam pedibus: nimirum, cùm convivæ non sederent, sicut nos, sed decumberent in lectis stratis tapete aliquo pretioso, detrahebantur calces pedibus convivarum; &, si pulvere aut sordibus inquinarentur pedes, abluebantur.

17. *Versaviſti.*] Id est, *vexaviſti.* Sed sic vexavit, ut omnem in partem vexando exagitavit.

18. *Ut me in tricas conjeciſti.*] Id est, *Intricaviſti. Impediviſti laqueis tuis. Trica* propriè est funiculus, quo inserunt, seu collum, seu pedes aves in aucupio: trica est & funiculus, quo inseruntur margaritæ. Unde Ulpiano, *margaritæ extricatæ*, sunt margaritæ lineâ suâ expeditæ.

Manus mihi adita est.] Olim pauperes, quibus nihil erat, quod numini offerrent, osculabantur vel numinis manum si possent, vel certè suam ipsorum manum. Hinc *adire manum* dictum est, pro *nihil dare.* Et illi quidem nihil dabant, quia non erat, quod darent: sed hi, de quibus in Plauto, quum sit quod dare possint, nihil dant, fraudantque expectationem eorum, qui ab iis recipere aliquid gestiunt.

20. *Prævorti litibus.*] Se conferre ad lites. Plinius lib. 7. c 31. refert, in templo Delphico, inscriptum fuisse: COMITEM ÆRIS ALIENI ATQUE LITIS ESSE MISERIAM. Alii legunt: *Comitem æris alieni atque litis*, nempe sponsorem, *esse miserum.*

TO. Da illi cantharum : extingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.
DO. Ludos me facitis, intellego. *TO.* vin' cinædum novum tibi dari, Pægnium ?
Quin elude, ut soles, quando liber locu'sthi c.
Hui ! babæ ! basilicè te intulisti & facetè.
PV. Decet me facetum esse : & hunc irridere
Lenonem lubido'st, quando dignus'st.
TO. Perge ut cœperas. *PV.* hoc, leno, tibi.
DO. Perii ! perculit me propè. *PV.* hem ! serva rursum.
DO. Delude ut lubet, herus dum hinc abest.
PV. Viden' ut tuis dictis pareo ?
Sed quin tu meis contrà item dictis servis ;
Atque hoc, quod tibi suadeo, facis ? *DO.* quid est id ?
PV. Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.
DO. Cavesis me attingas : ne tibi hoc scipione
Malum magnum dem. *PV.* utere, te condono.
TO. Jamjam, Pægnium, da pausam.....
DO. Ego pol vos eradicabo. *PV.* at te ille, qui supra nos habitat ;
Qui tibi malè volt, maléque faciet. non hi dicunt, verùm ego.
TO. Age ! circumfer mulsum : bibere da usque plenis cantharis,
Jamdiu factum est postquam bibimus : nimis diu sicci sumus.
DO. Dî faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat !
PV. Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum *dem*, olim quem Hegea

INTERPRETATIO.

TO. *Trade illi cantharum : si pectus ardet, compesce ignem, ne caput inflammetur.* DO. *Me ludificatis, intelligo.* TO. *Visne tibi dari novum cynædum, Pægnium ? Suffurare, ut consueviſti, quandoquidem hic locus est liber. Hui ! babæ ! intrasti huc regio fastu, & magnifico.* PÆ. *Oportet me esse magnificum : & lubet illudere huic lenoni, quia meretur.* TO. *Persequere ut instituveras.* PÆ. *Hoc tibi, leno.* DO. *Occidi ! me fermè percussit.* PÆ. *Hem ! tene id rursum.* DO. *Illude mihi ut lubet, interea dum herus abest.* PÆ. *Videsne, ut obtempero tuis jussis ? Sed quare tu contrà non obsequeris meis jussis, & non agis id quod tibi præcipio ?* DO. *Quid est id ?* PÆ. *Tu accipe funem crassum, ac te suspende.* DO. *Vide, si vis, ne me tangas : ne tibi* impingam *magnum malum hoc baculo.* PÆ. *Percute, per me licet.* TO. *Pægnium, fac jam jam intermissionem.* DO. *Ego profectò vos perdam.* PÆ. *Sed ille qui manet supra nos, & qui tibi infensus est, te puniet malè. Non hi conviva tibi dicunt id, sed ego.* TO. *Age ! circumfer mulsum : infunde potum plenis scyphis. Non bibimus à longo tempore : jampridem scitimus.* DO. *Dii faciant, ut bibatis id, quod vos numquam reddatis.* PÆ. *Leno, non possum, non saltare in tuam gratiam saltem hunc staticulum quem saltabat olim Hegea.*

ANNOTATIONES.

37. *Da pausam.*] Id est, Intermitte illudere homini. Pausa Græcum est, & cessationem, seu intermissionem operis mox resumendi significat : nos, *Pause.*

43. *Staticulum dem.*] *Staticuli* sunt saltationes statariæ quædam, non proinde motoriæ ; quales erant in eo genere chori, quod Græci Στάσιμον appellabant à *stando.*

Hegea.] Pareus, ὑγιὰ, *Hygea.*

Faciebat. vide verò, si tibi satis placet. *SA.* me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ioniâ.
DO. Malum ego vobis dabo, nisi abitis. *SA.* etiam muttis, impudens?
Jam ego tibi, si me irritassis, Persam adducam denuò.
LO Jam taceo hercle. atque tu Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem.
TO. Tace stulte! hic ejus geminus est frater. *DO.* hiccine'st?
TO. ac geminissimus.
DO. Dî deæque & te, & geminum fratrem excrucient. *SA.* qui te perdidit:
Nam ego nihil merui. *DO.* at enim, quod ille meruit, tibi id obsit volo.
TO. Agite, sultis, hunc ludificemus, nisi non dignu'st. *SA.* non opu'st.
LEM. At me haud par est. *TO.* eò credo, quia non inconciliavit, cùm te emo.
LEM. Attamen. *TO.* non tamen! cave ergo sis malo, & sequere me.
Te mihi dicto audientem esse addecet. nam hercle absque me
Foret & meo præsidio, hic faceret te prostibilem propediem.
„ Sed ITA PARS LIBERTINORUM est, nisi patrono quî adversatus est,
„ Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi, nec satis honestus:

INTERPRETATIO.

Observa, si tibi placet satis. Ego cupio etiam saltare eum quem Diodorus faciebat olim in Ioniâ. DO. *Dabitis mihi pœnas, nisi fugiatis.* SA. *Obloqueris adhuc, impudens? Si mihi moveris bilem, ego tibi accersam denuò Persam.* DO. *Sileo jam. Et tu es Persa, qui me abrasisti usque ad cutem.* TO. *Sile insane! hic est ejus frater geminus.* DO. *Hicne est?* TO. *Ac geminissimus.* DO. *Dii Deæque te perdant, & te & tuum fratrem geminum.* SA. *Qui te perdidit: nam ego nihil peccavi.* DO. *Sed utinam id, quod perpetravit, tibi noceat.* TO. *Agite, si libet; illudamus huic, nisi est indignus.* SA. *Non est opus.* LEM. *Sed non est par me ei illudere.* TO. *Quando videlicet te emi, non obfuit.* LEM. *Attamen.* TO. *Omitte tuum* attamen! *cave ergo, si vis, à malo, & me sequere. Æquum est te mihi obtemperare. Nam sine me & meo præsidio, hic brevi te reddidisset prostibulum. Sed* maxima *pars libertorum est* ejusmodi, *nemo sibi videtur esse, aut satis liber, aut satis probus, nec satis honestus, nisi qui adversetur patrono:*

ANNOTATIONES.

sanitas. Sed Hegea & Diodorus videntur potius magistri saltandi.

53. *Quia non inconciliavit.*] Quia impedivit, quominus te emerem. Ironicè id dictum à Toxilo.

56. *Faceret te prostibilem.*] Alii, *prostibulam*, id est, *prostibulum.*

Ni id efficit, ni ei malè dixit, ni grato ingratus repertus est.

LEM. Pol benefacta tua me hortantur, tuo ut imperio paream.

TO. Egosum tibi patronus planè, qui huic pro te argentum dedi. Pro hisce hunc volo ludificari. *LEM.* meo ego in loco sedulò curabo.

DO. Certò illi homines mihi nescio quid mali consulunt, quod faciant. *SA.* heu vos!

TO. Quid ais? *SA.* hiccine Dordalus est leno, qui hîc liberas virgines?

Hiccine est qui fuit quondam fortis? *DO.* quæ hæc res est? hei! colaphum icit.

Malum vobis dabo. *TO.* at tibi nos dedimus, dabimusque etiam. *DO.* hei nates pervellit.

PU. Licet! jam diu sæpè sunt expunctæ. *DO.* loquere tu etiam, frustum pueri?

LEM. Patrone, i intrò amabo ad cœnam. *DO.* mea ignavia! tu nunc me irrides?

LEM. Quiáne te voco, benè ut tibi sit? *DO.* nolo mihi benè esse. *LEM.* ne sit!

TO. Quid igitur! sexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt!

DO. Malè disperii. sciunt referre probè inimico gratiam.

TO. Satis sumpsimus supplicii jam. *DO.* fateor, manûs vobis do. *TO.* & pòst dabis

Interpretatio.

Nisi sic agat, nisi ei convitietur, nisi inventus est immemor beneficii accepti. LEM. *Tua beneficia me summonent, ut obtemperem tuis mandatis.* TO. *Ego sum omnino tuus patronus, qui dedi huic pecuniam pro te. Idcirco cupio huic à te illudi.* LEM. *Ego operam dabo sedulò, ut faciam meo loco.* DO. *Profectò illi consilium capiunt de mihi facessendo nescio quo negotio.* SA. *Heu vos!* TO. *Quid dicis?* SA. *Estne hic Dordalus leno, qui virgines liberas? Hicne est qui fuit olim formosus?* DO. *Hei! impingit alapam. Vobis, accersam malum.* TO. *Sed nos tibi dedimus, dabimusque adhuc.* DO. *Hei! vellicat nates.* PÆ. *Licet! compuncta sunt sapè jampridem.* DO. *Tu etiam garri, frustum pueri.* LEM. *Patrone, ingredere, quaso, ad cœnam.* DO. *Mihi illudis nunc propter meam ignaviam?* LEM. *An quia te invito ad lætitiam?* DO. *Nolo lætari.* LEM. *Ne lateris!* TO. *Quid ergo! quid faciunt sexcenti nummi? Quos tumultus concitant!* DO. *Malè disperii! Norunt optimè significare inimico animum gratum.* TO. *Nobis dedit satis pœnarum.* DO. *Confiteor me esse victum.* TO. *Et postea dabis*

Annotationes.

65. *Colaphum icit.*] Id est, *impingit.*

66. *Hei nates pervellit.*] *Pervellere* est summam cutem extremis digitis invadere, & premere fortiter.

67. *Frustum pueri.*] Id est, *pusio.* Per contemptum.

72. *Manus vobis do.*] *Dare manus* est credere, *& se inferiorem fateri.* Virgilius: *Vicisti & victum tendere palmas Ausonii videre.* Horatius: *Jam jam efficaci do manus scientiæ, supplex & oro.*

Sub furcis. abi intrò. *SA.* in crucem. *DO.* an me hic parum exercitum
Hiscé habent? *TO.* conveniſſe te Toxilum memineris.
Spectatores, bene valete: leno periit. Plaudite.

INTERPRETATIO.

manus ad furcas. Ingredere. SA. *In crucem.* DO. *Nonne me hi ſatis exercuerunt malis?* TO. *Recordatus fueris te incidiſſe* | *in manus Toxili. Spectatores, valete bene; leno periit. Plaudite.*

ANNOTATIO.

75. *Plaudite.*] Hoc ultimo verſu eſt Epilogus Perſæ.

FINIS PERSÆ.

M. ACCII PLAUTI

RUDENS.

ARGUMENTUM.

CIVIS Athenienſis Dæmones Dædalem habuit uxorem, & ex eâ ſuſcepit Palæſtram filiam. Hæc rapta eſt trima, raptorque vendidit lenoni labraci. Hic Cyrenas Lybiæ oppidum cum præda commigrat. Dæmones pater annis compluribus poſt, invidiâ ſuorum Civium, ejicitur Athenis Cyrenas in exilium, unà cum conjuge Dædala, cum Sceparnione ſervo, aliiſque familiaribus. Leno in arte fidicina puellam Palæſtram curat inſtituendam. Dum it in ludum fidicinum, vidit Virginem Civis ejus Pleuſidippus; viſamque deperit. Itaque adit labracem lenonem Palæſtræ cuſtodem; emit puellam minis triginta; dat Arrhabonem, & jurejurando ſeſe obſtringit. Interim Agrigentinus leno Charmides ad lenonem labracem venit, amicum ſuum ſummum, perinde perfidum atque nefarium. Viſis puellis, quas habebat Cyrenenenſis leno labrax, ac inter cæteras Palæſtram, ſuadet amico, ut Agrigentum eas transferat; narrat videlicet ſiculos, & in primis Agrigentinos eſſe voluptatibus deditiſſimos. Conſilium ſequitur lenonis, leno; puellas duas Palaſtram & Ampeliſcam, & quidquid rei familiaris habet noctu aufert domo, navi imponit, & mari ſeſe committit. Provectus in altum unà cum Agrigentino lenone Charmide & bonis omnibus, tempeſtas exoritur. Navis frangitur, lenones ambo ejiciuntur in littus, in quo ſeſe ſubducunt in ſiccum, expectantque auxilium. Virgines duæ Palæſtra & Ampeliſca ſeſe conjiciunt in Scapham, & in littus veniunt finitimum villæ in quâ Dæmones pater Palæſtræ manebat. Sed filiam ſuam pater non agnoſcit. Itaque ambæ in templum Veneris ſeſe conferunt, in quod accipiuntur à Sacerdote Ptolemocratia. Intereadum ſunt in Templo, veniunt labrax & charmides lenones. Eorum metu virgines duæ complectuntur ſignum Veneris. Eas ab eo detrahere contendunt lenones. Sacerdos Veneris fert opem Virginibus. Tracalio ſervus Pleuſidippi vocat ad auxilium

Virginum Dæmonetem. Dæmones venit in Templum, cum duobus servis Turbalione & Sparace : accurrit & Pleusidippus amator Palæstræ. Rapit obtorto collo labracem lenonem in jus, quia, acceptoarrhabone pro Palæstra, fraudaverit. Interim Grypus servus Dæmonetis, missus ad piscatum, jacto reti, pro piscibus educit vidulum, in quo erant omnes divitiæ labracis lenonis, & cistella Palæstræ, in quâ erant omnia ejus crepundia. Videt Tracalio è littore Grypum ex aqua educentem vidulum. Tracalio contendit dividendum esse vidulum secum à Grypo. Negat Grypus. Eligitur ab utroque arbiter Dæmones, herus Grypi, Tracalioni minimè notus. Tracalio profitetur apud Dæmonetem nihil ex illo vidulo velle sibi dari, nisi cistellam Palæstræ, in quâ erant crepundia, quibus parentes ejus cognosci possent. Recusat reddere Grypus cistellam, nisi Palæstra ipsa appellet sigillatim crepundia singula, & faciem singulorum designet, coram ipso Dæmonete. Itaque præsente Dæmonete & Palæstrâ aperitur cistella; ac primùm ex ea depromitur ensiculus aureus, deinde securicula aurea: in ensiculo aureo scriptum erat nomen patris Dæmones; in securicula nomen matris Dædalis. Hic statim agnoscit filiam pater. Datur in matrimonium Palæstra Pleusidippo, & Tracalio manumissus Ampelisca Palæstræ sociam ducit uxorem. Labrax leno discit inventum esse suum vidulum à Grypo. Pollicetur argenti talentum ut reddat. Redditur sumpto libertatis Ampeliscæ pretio. Hanc fabulam è Græca Diphili vertit in Romanam linguam Plautus. RUDENS appellatur, quia à fune illo, quo innexum fuit rete ad educendum ex aquâ vidulum, pependit fortuna Dæmonetis, Palæstræ, Ampeliscæ, & ipsius lenonis labracis, amoresque Pleusidippi. Tres habet partes; Prologum, Fabulam, Epilogum. Fabula protasim à Prologo ad Scenam septimam Actus secundi. Hinc ad Actus quarti scenam quartam est Epitasis, & catastrophe ad sexagesimum secundum versum Scenæ tertiæ Actus quinti. Epilogus est in sex ultimis versibus. In hac Fabulâ vicissitudinis rerum est elegans adumbratio.

SCENA EST CYRENIS IN LYBIA.

PERSONÆ.

PERSONÆ.

PROLOGUS. ARCTURUS.

DÆMONES Athenienſis exul Cyrenis Palæſtræ pater.
PALÆSTRA filia Dæmonetis & Dædalis.
SCEPARNIO, GRYPUS, SPARAX, LORARII } Servi Dæmonetis.
PLEUSIDIPPUS Athenienſis, procus Palæſtræ.
TRACHALIO ſervus Pleuſidippi.
PTOLEMOCRATIA Sacerdos Veneris.
LABRAX leno Cyrenenſis.
CHARMIDES leno Agrigentinus.
PISCATORES Anonymi.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

RETI piscator de mari extraxit vidulum,
UBI erant herilis filiæ crepundia,
DOminum ad lenonem quæ subrepta venerat.
EA in clientelam suipté imprudens patris.
NAufragio ejecta devenit: cognoscitur,
SUoque amico Pleusidippo jungitur.

INTERPRETATIO.

PIscator eduxit de mari vidulum in reti, in quo erant crepundia natæ sui heri, quæ rapta fuerat, & venerat in potestatem lenonis. Illa naufragio impulsa in littus, incidit insciens in tutelam sui ipsius patris. Cognoscitur à suis, & nubit Pleusidippo suo amatori.

ANNOTATIONES.

1. *Piscator.*] Grippus servus Dæmonetis Civis Athenienſis, exulis apud Cyrenas, patris Palæstræ.

Vidulum.] Vidulus erat saccus coriaceus, in quo includebantur à peregrinantibus, aut sedem mutantibus viæ necessaria. Idem erat quod bulga, pera, hippopera, marsupium: *Une valize.*

3. *Dominum ad lenonem.*] Labracem videlicet Cyrenarum lenonem, cui vendita fuerat Palæstra à suo raptore, qui eam Athenis Cyrenas detulerat.

PROLOGUS.

ARGVMENTVM.

HIc Prologus constat partibus duabus. In alterâ ostendit Arcturus Deos Imperio Jovis noctu lucere in cœlo, interdiu versari inter homines, & observare quidquid rerum agant, & in tabulas referre; in quo habemus totam fermè doctrinam veterum de geniis. In alterâ est Argumentum Fabulæ, quod quidem eo tantam perducit, ubi Virgines in littus ejectæ ad villam Dæmonetis perveniunt.

ARCTURUS.

PROLOGUS.

QUI gentes omnes, mariáque & terras movet,
Ejus ſum civis civitate cælitum.
Ita ſum, ut videtis, ſplendens ſtella candida,
Signum quod ſemper tempore exoritur ſuo,
Hîc atque in cælo. nomen Arcturo eſt mihi.
Noctu ſum in cælo clarus, atque inter deos:
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia Signa de cælo ad terram accidunt.
Qui eſt imperator divûm atque hominum Juppiter,
Is nos per gentis alium aliâ diſparat,
Hominum quî facta, mores, pietatem & fidem
Noſcamus; ut quemque adjuvet opulentia:
Qui falſas lites falſis teſtimoniis
Petunt; quique in jure abjurant pecuniam;
Eorum referimus nomina exſcripta ad Jovem.
„ COTIDIE ILLE ſcit, quis hîc quærat malum.
Qui hîc litem adipiſci poſtulant perjurio,
Mali res falſas qui impetrant apud judicem:
„ ITERUM ILLE EAM rem judicatam judicat,
Majore multâ multat, quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exſcriptos habet.

INTERPRETATIO.

SUm municeps urbis Cæleſtis, in quâ habito cum eo, qui regit cunctas nationes, mare & terram. Idcircò ſum ſicut cernitis, ſidus clarum & lucidum; ſum *ſignum quod ſeſe oſtendit ſemper ſuis horis, in terrâ & in cælo. Vocor Arcturus; luceo per noctem in cœlo, & inter Deos: verſor per diem inter homines. Cætera etiam ſigna deſcendunt de cœlo in terram. Ille Jupiter, qui eſt rex Deorum & hominum, nos diſtribuit omnes in ſuam quemque nationem, ut videamus actiones, inſtituta, Religionem, & fidem hominum; & quâ ratione quivis utatur opibus: referimus ad Jovem illorum nomina exſcripta, qui movent lites injuſtas falſis teſtibus: & qui negant interpoſito jurejurando falſo apud judicem* ſeſe accepiſſe *pecuniam. Ille audit ſingulis diebus, quis ſibi accerſat pœnas. Qui exoptant vincere illic litem perjurio in terris; qui obtinent res indebitas à Prætore: ille judicat rurſus rem quæ judicata eſt, afficit* eos qui vicerunt litem *graviore ſupplicio, quàm ſi victi fuiſſent* lite. *Habet bonos inſcriptos in aliis tabulis.*

ANNOTATIONES.

2. *Ejus ſum civis.*] Id eſt, *concivis Jovis.* Ut nos vernaculè diceremus: *Concitoyen de Jupiter.*

5. *Arcturo.*] *Arcturus* dicitur, ἀπὸ τῆς ἄρκτου οὐρᾶς, quia eſt ad caudam majoris Urſæ.

„ Atque HOC SCELESTI in animum inducunt suum,
„ Jovem se placare posse donis, hostiis.
„ Et operam & sumptum perduunt: id eò fit, quia
„ NIHIL EI ACCEPTUM est à perjuris supplicii.
„ FACILIUS, SI QUI pius est, à dîs supplicans,
Quàm qui sceleſtus est, inveniet veniam sibi.
Iccirco MONEO VOS EGO hæc, qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate & cum fide,
Retinete porrò; post factum ut lætemini.
Nunc, huc quâ caussâ veni, argumentum eloquar.
Primùm dum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. illîc habitat Dæmones
In agro atque villâ proximâ propter mare,
Senex, qui huc Athenis exul venit, haud malus.
Neque is adeò propter malitiam patriâ caret:
Sed, dum alios servat, se impedivit interim.
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvula,
Eam de prædone vir mercatur pessumus,
Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
Adolescens quidam civis hujus Atticus
Eam vidit ire è ludo fidicino domum.
Amare occœpit: ad lenonem devenit,

INTERPRETATIO.

Et improbi quidem arbitrantur se posse lenire Jovem muneribus & victimis. Perdunt & operam, & sumptum, quia nulla oratio, quæ fit à perjuris, est grata Jovi. Si qui orat Deos est pius, obtinebit facilius veniam à Diis, quàm ille qui est impius. Itaque ego vos admonitos volo horum. O vos, qui estis probi, & qui ducitis vitam piam, & fidelem, perseverate porrò in hoc instituto; *ut gaudeatis, postquam ita vixeritis. Nunc exponam Argumentum cujus gratiâ veni huc. Primùm Diphilus voluit appellari hanc civitatem Cyrenas. Dæmones manet illic in prædio, atque in villa finitimâ juxta mare. Est bonus senex, qui, pulsus in exilium, venit huc Athenis. Hic non abest à civitate propter improbitatem, sed sibi nocet dum prodest aliis. Amisit rem bene partam urbanitate. Perdidit parvam virginem filiam. Leno homo nequissimus eam emit de raptore; is affert Virginem Cyrenas. Quidam juvenis Atheniensis hujus civis eam conspicatus est ire domum è scholâ fidicinum. Cœpit amare: adivit lenonem;*

ANNOTATIONES.

23. *Donis.*] *Dona* propriè Dei dicuntur *munera* hominum. Donatus: *Donum deorum est; præmium, virorum fortium; munus, hominum.* Hoc loco Poëta innuit puris manibus esse munera Deo offerenda. Cicero: *Impius ne audeto placare donis iram Deorum.*

25. *Supplicii.*] Id est, *Supplicationis, orationis.* Salustius: *in suppliciis Deorũ magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.* Ibid. *Non votis neque suppliciis mulierebribus auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt.*

Minis triginta sibi puellam destinat,
Dátque arrabonem, & jurejurando alligat.
Is leno, ut se æquum est, flocci non fecit fidem:
Neque, quod juratus, adolescenti dixerat.
Ei erat hospes, par illius, Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor:
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem, quæ ejus erant mulierculæ.
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
Dicit: potesse ibi fieri cum divitem:
Ibi esse quæstum maximum meretricibus.
Persuadet. navis clanculum conducitur.
Quicquid erat, noctu in navem comportat domo
Leno: adolescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait sese Veneri velle votum solvere.
Id hîc est fanum Veneris, & eò ad prandium
Vocavit adolescentem huc. ipse hinc illico
Conscendit navem, avehit meretriculas.
Adolescenti alii narrant, ut res gesta sit:
Lenonem abivisse. ad portum adolescens venit:
Illorum navis longè in altum abscesserat.
Ego quoniam video virginem asportarier,
Tetuli ei auxilium & lenoni exitium simul:
Increpui hibernum, & fluctû movi maritimos.
Nam Arcturus signum sum omnium acerrimum;

INTERPRETATIO.

coëmit puellam triginta minis, & dat arrhabonem, & constringit lenonem *Sacramento. Is leno, ut est dignum lenone, nihili facit fidem; & id quod pollicitus erat juveni, interposito jurejurando. Habebat hospitem, senem siculum Agrigentinum similem sibi, nequam, proditorem Civitatis: hic incipit prædicare pulchritudinem Palæstræ, & aliarum mulierum quas habebat. Dicit se suadere lenoni, ut eat secum in Siciliam: dicit ibi esse homines deditos voluptatibus: eum posse evadere ibi locupletem: meretrices facere ibi maximum quæstum. Persuadet. Conducitur navis clàm. Leno effert per noctem è tectis quidquid habebat in navem: dicit juveni qui mercatus fuerat puellam ab eo, sese optare persolvere Veneri, quod ei voverat. Illud Templum est* Templum *Veneris. Hic leno invitavit huc juvenem ad prandium. Leno statim hinc sese confert in navem, aufert meretriculas. Alii nuntiant juveni, quemadmodum res sit gesta; lenonem fugisse. Adolescens venit ad portum: sed illorum navis processerat longè in mare. Sed quia ego conspicor auferri virginem, ei opem fero, & unà perniciem lenoni: conflavi tempestatem, & concitavi fluctus maris. Nam sum Arcturus, signum turbulentissimum omnium.*

ANNOTATIO.

45. *Puellam destinat.*] *Destinare* est *emere* datâ arrhâ, & delato in alium diem pretio.

Vehemens ſum exoriens: cùm óccido, vehementior
Nunc ambo in ſaxo, leno atque hoſpes, ſimul
Sedent ejecti: navis confracta eſt ibus.
Illa autem virgo, atque altera itidem ancillula,
De navi timidæ deſiluerunt in ſcapham.
Nunc eas ab ſaxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exul ubi habitat ſenex,
Cujus deturbavit ventus tectum & tegulas.
Et ſervus illic eſt ejus qui egreditur foras.
Adoleſcens huc jam adveniet quem videbitis,
Qui illam mercatu'ſt de lenone virginem.
Valete, ut hoſtes veſtri diffidant ſibi.

INTERPRETATIO.

Quando exorior, ſum incitatus; quando occido, incitatior. Nunc ambo leno & hoſpes conſident unà in rupe ejecti. Eorum navis eſt fracta. Illa autem Virgo, atque altera ancilla item ſeſe conjiciunt territæ de navi in ſcapham. Nunc undæ eas deferunt ab ſaxo ad terram, ad villam in quâ manet ſenex exul, cujus ventus dejecit tectum & tegulas. Et ille, qui exit foràs, eſt ejus ſervus. Adoleſcens quem videbitis huc venientem, eſt ille qui emit illam virginem de lenone. Valete, ut veſtri hoſtes deſpondeant animo.

ANNOTATIONES.

73. *Ibus.*] Iis.

74. *Virgo.*] Palæſtra.
Ancillula.] Ampeliſca.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRA & Ampeliſca ejiciuntur tempeſtate in littus; & rectà contendunt in fanum Veneris, in quod à Sacerdote excipiuntur.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

OBSTUPESCIT Sceparnio ſervus propter tempeſtatem, quâ periit navis Labracis.

SCEPARNIO servus.

PRò di immortales! tempestatem cujusmodi
Neptunus nobis nocte hâc misit proximâ!
Detexit ventus villam. quid verbis opu'st?
Non ventus fuit, verùm Alcumena Euripidi,
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Illustrioris fecit, fenestrasque indidit.

INTERPRETATIO.

SC. *PRoh Dii immortales! quantas procellas nobis conflavit Neptunus hâc nocte! Ventus abstulit tectum villæ: quid est opus verbis? Non erat ventus, sed Alcmena Euripidis; adeò dejecit cunctas tegulas de tecto: reddidit ædes clariores, & aperuit fenestras.*

ANNOTATIONES.

4. *Alcumena Euripidis.*] Id est, *Tragœdia Euripidis, nomine Alcmena.* Alcmenâ autem pariente Herculem ex Jove, & Iphiclum ex Amphitryone, tanta est exorta tempestas, ut disjecerit tectum domus. *Euripidi*, antiquè pro *Euripidis.* De hâc tempestate ipse Plautus in Amphitryone. *Non ventus fuit, verùm Alcmena Euripidis.* Id est, *Non ventus fuit, qualis interdum oriri solet;* verùm qualis ortus est, nutu Jovis, in partu Alcmenæ, de quo Euripides.

6. *Illustrioris fecit.*] Id est, fecit ædes clariores dejectis tegulis.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

PLEUSIDIPPUS auditâ fugâ, quam adornabat labrax, venit ad portum cum amicis, ad comprehendum hominem; sed jam erat profectus: verùm fractâ navi tempestate, videt eos adnare ad littus.

PLEVSIDIPPVS adolescens, DÆMONES, SCEPARNIO servus.

PLEVSIDIPPVS.

ET vos à vostris abduxi negotiis,
Neque id processit, quâ vos duxi gratiâ,
Neque quivi lenonem ad portum prehendere.
Sed meâ desidiâ spem deserere nolui:
Eò vos amici detinui diutius.

INTERPRETATIO.

PL. *ET vos avocavi à vestris negotiis, & id cujus causâ vos vocavi, non fluxit ex voto; nam non potui assequi lenonem apud portum. Sed nolui deponere spem meâ negligentiâ: idcircò, amici, vos remoratus sum diutius.*

Nunc huc ad Veneris fanum venio visere;
Ubi rem divinam se facturum dixerat.
SC. Si sapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.
PL. Prope me hinc nescio quis loquitur. *DÆ.* heus! Sceparnio.
SC. Qui nominat me? *DÆ.* qui pro te argentum dedit.
SC. Quasi me tuum esse servum dicas, Dæmones?
DÆ. Luto usust multo, multam terram confode:
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea, quàm cribrum, crebrius.
PL. Pater salveto! amboque adeò. *DÆ.* salvus sies.
SC. Sed utrum tu mas an fæmina es, qui illum patrem
Voces? *PL.* vir sum equidem. *DÆ.* quære vir porrò patrem.
Filiolam ego unam habui, eam unam perdidi.
Virile sexus nunquam ullum habui. *PL.* at Dî DABUNT.
SC. Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hîc nos occupatos occupes.
PL. Istîccine vos habitatis? *SC.* quid tu id quæritas?
An quò furatum mox venias, vestigas loca?
PL. Peculiosum esse decet servum & probum,
Quem hero præsente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
„ *SC.* Et IMPUDICUM & impudentem hominem addecet,

INTERPRETATIO.

Nunc contendo huc ad Templum Veneris in quo dixerat se sacrificaturum ad *videndum* utrum sit. SC. *Si sanus sum, subigam hoc lutum, quod me conficit.* PL. *Est aliquis qui loquitur hinc juxtà me.* DÆ. *Heus! Sceparnio.* SC. *Quis me appellat meo nomine?* DÆ. *Qui te emit numeratâ pecuniâ.* SC. *Quasi innuas me esse tuum servum, Dæmones?* DÆ. *Opus est multo luto, effode multam terram: video mihi operiendam omnem villam: nam ea nunc est perforata crebrius, quàm cribrum.* PL. *Salvus sis pater! adeoque ambo.* DÆ. *Salve.* SC. *At tu, qui appellas eum patrem, esne mas an fœmina?* PL. *Profectò ego sum vir.* DÆ. *Vir, perge quærere patrem. Fuit mihi una nata; ego eam perdidi unam. Nunquam mihi fuit ulla proles sexus virilis.* PL. *Sed Dii dabunt.* SC. *Dabunt tibi magnum malum, quisquis es, qui nos obtundis hîc tua garrulitate, dum sumus intenti labori.* PL. *Manetisne vos hic?* SC. *Quare rogas tu id? An observas loca in quæ venias mox prædatum?* PL. *Est servi locupletis & boni hero præsente loqui, aut qui alloquatur inurbanè hominem liberum.* SC. *Est hominis, & impuri & perfricta frontis,*

ANNOTATIONES.

15. *Pater.*] Dæmones non est pater Pleusidippi; sed quia juventutis rectè institutæ est Venerari senes ut patres, appellat etiam patrem Dæmonetem Pleusidippus.

19. *Virile sexus.*] Pro, *Virilem sexum.* Varro: *Secus pro sexus neutri generis, & unius casus.* Salustius, Agellius, Ausonius; sic utuntur.

24. *Probum.*] Antiphrasis.

25. *Prætereat oratio.*] Hoc loco innuit Pleusidippus boni esse servi tacere in conspectu Domini, quasi nihil dicatur. Quem *prætereat* oratio, id est, *quasi nesciat* quid dicatur. Quasi surdus sit.

„ Molestum

„ Moleſtum ultrò advenire ad alienam domum,
Cui debeatur nihil. *DÆ.* tace, Sceparnio.
Quid opus adoleſcens, *eſt*? *PL.* iſti infortunium,
Qui præfeſtinet, ubi herus aſſit, præloqui.
Sed niſi moleſtum'ſt, paucis percontarier
Volo ego ex te. *DÆ.* dabitur opera, atque in negotio.
SC. Quin tu in paludem is, exſicasque arundines.
Qui pertegamus villam, dum ſudum'ſt? *DÆ.* tace.
Tu, ſi quid opus eſt, dice. *PL.* dic quod te rogo.
Ecquem tu hîc hominem criſpum, incanum videris,
Malum, perjurum, palpatorem? *DÆ.* plurimos.
Nam ego propter ejusmodi viros vivo miſer.
PL. Hîc dico in fanum Veneris qui mulierculas
Duas ſecum adduxit: quique adornaret ſibi,
Ut rem divinam faciat aut hodie aut heri.
DÆ. Non hercle, adoleſcens, jam hos dies compluſculos
Quenquam iſtîc vidi ſacruficare: neque poteſt
Clam me eſſe, ſi qui ſacruficant. ſemper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid: quid verbis opu'ſt?
Veneri paravi vaſa & puteum, non mihi.
Nunc intervallum jam hos dies multos fuit.
PL. Ut verba præhibes, me periiſſe prædicas.
DÆ. Meâ quidem hercle cauſsâ ſalvus ſis licet.

INTERPRETATIO.

ſeſe inferre ultrò in ædes alienas moleſtum, cui debeatur nihil, & eſſe importunum. DÆ. *Sile, Sceparnio. Quid vis adoleſcens?* PL. *Mactari infortunio eum, qui audeat loqui ibi, ubi herus adeſt. At niſi eſt grave, cupio rogare ex te pauca.* DÆ. *Audiam te, tametſi occupatus.* SC. *Quare tu non is in paludem, ut ſeces arundines, quibus protegamus villam, dum tempus eſt ſudum?* DÆ. *Sile. Dic tu, ſi quid eſt opus.* PL. *Aperi quod à te poſtulo. Num tu aliquem conſpicatus es hîc hominem criſpum canum, improbum, perjurum, adulatorem?* DÆ. *Plurimos. Nam ego ſum infelix propter complures viros ejuſmodi.* PL. *Loquor jam de eo qui adduxit ſecum duas mulieres in Templum Veneris: & qui ſeſe comparavit ut faceret rem divinam, aut heri, aut hodiè.* DÆ. *Non vidi, adoleſcens, quemquam hîc ſacrificare, jam per complures dies: & ſi non poſſum ignorare, ſi qui ſint qui ſacrificent. Nam petunt ſemper à nobis, aut aquam, aut ignem, aut vaſa, aut cultrum, aut veru, aut ollam ad coquenda exta; aut aliquid* aliud. *Quid eſt opus verbis? Emi vaſa & puteum pro Venere, non pro me. A longo tempore nullum fuit oblatum ſacrificium.* PL. *Ut loqueris, dicis me interiiſſe.* DÆ. *Per me tibi licet eſſe ſalvo.*

ANNOTATIONES.

37. *Incanum.*] Id eſt, *Valde canum.* Virgilius: *Incanaque barba.*

47. *Aulam extarem.*] Id eſt, *ollam*, in quâ coquantur exta victimarum. *Extar*, ſignificat illam ollam. Feſtus: *Aulicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur.*

SC. Heus tu! qui fana ventris caussâ circumis,
Jubere melius est prandium ornari domi;
Fortasse tu huc vocatus es ad prandium.
Ille, qui vocavit, nullus venit. *PL.* admodum.
SC. Nullum'st periculum te hinc ire impransum domum.
Cererem te melius quàm Venerem sectarier,
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
PL. Deludificavit me ille homo indignis modis.
DÆ. Prô dii immortales, quid illuc est, Sceparnio,
Hominum secundum littus? *SC.* ut mea est opinio,
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
DÆ. Quî? *SC.* quia post cœnam, credo, laverunt heri,
Confracta navis in mari est illis. *DÆ.* ita est.
SC. At hercle nobis villa in terrâ & tegulæ. *DÆ.* hui!
„ HOMUNCULI, QUANTI ESTIS! ejecti ut natant!
PL. Ubi sunt ii homines, obsecro? *DÆ.* hàc ad dexteram,
Viden' secundum littus? *PL.* video. sequimini.
Vtinam sit is, quem ego quæro, vir sacerrimus!
Valete. *SC.* si non moneas, nosmet meminimus.
Sed ô Palæmon, sancte Neptuni comes,
Quique hercule illi socius esse diceris,
Quod facinus video! *DÆ.* quid vides? *SC.* mulierculas

INTERPRETATIO.

SC. *Heus tu! qui lustras templa ventris gratiâ, est satius jubere ornari prandium domi; forsitan tu es invitatus huc ad prandium; & ille qui invitavit non venit.* PL. *Maximè.* SC. *Nihil vetat, te repetere hinc incœnatum ades. Est satius te studere Cereri quàm Veneri. Venus amore, Ceres reficit cibo.* PL. *Ille homo illusit mihi indignissimè.* DÆ. *O Dii immortales, Sceparnio, qui sunt illi homines qui sunt ad littus?* SC. *Ut equidem arbitror, illi invitati sunt juxta viam ad prandium.* DÆ. *Quare?* SC. *Quia puto loti sunt heri post cœnam; illis est navis lacera in mari.* DÆ. *Sic est.* SC. *At per Herculem villa & tegulæ sunt in terra.* DÆ. *Heus! Homunculi, quàm minimi estis faciendi! ut natant ejecti!* PL. *Obsecro, ubi sunt ii homines?* DÆ. *Videsne hàc ad dextram juxta littus?* PL. *Video. Sequimini. Vtinam is vir sacrilegus, quem ego quæro, sit ex iis! Valete.* SC. *Si non admoneas, nosmet recordamur. Sed, ô Palæmon, sancte comes Neptuni, & qui diceris esse illius socius, quid cerno!* DÆ. *Quid cernis?* SC. *Cerno duas mulieres*

ANNOTATIONES.

62. *Propter viam.*] Id est, vocati sunt ad prandium sacrificii, quod vocant, *propter viam.* Festus: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus. Facere* est *sacrificare. Facientes, sacrificantes.*

63. *Post cœnam.*] Ante cœnam lavabant veteres fermè omnes, post cœnam soli fere nepotes & luxu perditi. Hic jocatur Sceparnio, dicitque eos laviisse post cœnam hesternâ die, ut interessent prandio sacrificii, quod vocabatur *propter viam* ab iis, qui profectionem adornarent.

66. *Homunculi.*] Petronius: *Hæc sunt consilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodum natat!*

71. *Palæmon.*] Atamantis & Inus filius; aliter Melicertes, & Portunus appellatus.

Video ſedenteis in ſcaphâ ſolas duas.
Ut afflictantur miſeræ! euge euge, perbene,
Ab ſaxo avortit fluctus ad littus ſcapham.
Neque gubernator unquam potuit.
Non vidiſſe undas me majoris cenſeo.
Salvæ ſunt, ſi illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculum'ſt! ejecit alteram,
At in vado 'ſt. jam facilè enabit. eugepæ!
Viden', alteram illam ut fluctus ejecit foras!
Surrexit: horſum ſe capeſſit: ſalva res!
Deſiluit hæc autem altera in terram è ſcaphâ.
Ut præ timore in genua in undas concidit!
Salva 'ſt! evaſit ex aquâ; jam in littore eſt.
Sed dextrovorſum averſa it in malam crucem.
Hem! errabit illæc hodie. *DÆ.* quid id refert tuâ?
SC. Si ad ſaxum quò capeſſit, ea deorſum cadit,
Errationis fecerit compendium.
DÆ. Si tu de illarum cœnaturus veſperies,
Illis curandum cenſeo, Sceparnio:
Si apud me eſurus es, mihi dari operam volo.
SC. Bonum æquumque oras. *DÆ.* ſequere me hàc ergò. *SC.* ſequor.

INTERPRETATIO.

ſedentes ſolas in ſcaphâ. Ut jactantur infœlices! euge euge, optimè, fluctus avertit ſcapham à ſcopulo ad ripam. Et gubernator nunquam potuit avertere. *Credo me non conſpicatum eſſe unquam majores fluctus. Sunt incolumes, ſi declinaverunt undas illas. Nunc, nunc eſt periculum! Ejecit alteram, ſed eſt in vado, enabit jam facilè. Eugepæ! videsne, ut unda ejecit foràs illam alteram! Surrexit: in hanc partem ſe confert; res eſt ſalva! hæc altera deſiliit è ſcapha in terram. Ut corruit in genua præ metu in undas! Eſt ſalva! exceſſit ex aquâ; eſt jam in littore. Sed vadit in malam crucem, ad dextram partem rapta. Hem! illa errabit hodie.* DÆ. *Quid id tuâ intereſt?* SC. *Si ea deciderit ad rupem, ad quam contendit, deſierit errare.* DÆ. *Si tu es cœnaturus ad veſperam de illorum cœna, Sceparnio, exiſtimo tibi eſſe eas curandas: ſi cœnaturus es apud me, volo te incumbere meo operi.* SC. *Poſtulas quod æquum bonumque eſt. ſequere me hàc.* SC. *Sequor.*

ANNOTATIO.

91. *Cœnaturus veſperies.*] Veſperna cœna dicebatur.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PALÆSTRA fluctibus ejecta in littus, deplorat vicem suam, tum propter casum suum, tum vel maximè, quòd Ampelisca socia periculorum non inveniat.

PALÆSTRA mulier.

NIMIO HOMINUM FORTUNÆ minus miseræ memorantur,
Quàm reapse experiundo iis datur acerbum!
Hoc Deo complacitum est? me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones, timidam, ejectam?
Hanccine ego rem natam miseram me memorabo?
Hanccine ego ad partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori est laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut Deos me impiavi:
Sed id si paratè curavi ut caverem;
Tum hoc mihi indecorè, iniquè, immodestè
Datis dî! nam quid habebunt sibi igitur impii
Posthac, si ad hunc modum est innoxiis honor
Apud vos? nam me si sciam feciſſe
Aut parentes sceleste, minus me miserer.
Sed herile scelus me sollicicitat, ejus me impietas malè
Habet, is navem atque omnia perdidit in mari.

INTERPRETATIO.

PA. SOrs *hominum dicitur multò minus acerba, quàm re ipsâ licet experiri ejus acerbitatem! Hoc sic videtur Deo? ut induta his vestibus, trepida, ejiciar in ignotas plagas? Sumne nata ut perferam ejusmodi calamitates? Estne illa merces, quâ afficior propter singularem pietatem? Nam hoc mihi non est acerbum incidere in hanc calamitatem, si fui impia erga parentes aut Deos: at si providi diligenter, ut me præstarem immunem ab hac culpâ, conflatis id, ô dii, turpiter, injustè, immoderatè! Nam quas pœnas dabunt deinceps impii, si honor habetur innocentibus hoc pacto apud vos? Nam si intelligerem me aut meos parentes admisisse quoddam scelus, mea me calamitas non ita afficeret, At crimen heri* lenonis *me angit: ejus impietas me divexat. Is amisit in mari navem & universa.*

ANNOTATIONES.

4. *Ejectam.*] Sup. *esse.*
6. *Partem.*] Præmium.
7. *Laborem potiri.*] Laborem perferre.
8. *Si erga parentem aut Deos.*] Hoc fermè fit, ut quidquid accidit adversi hominibus, id in ultionem scelerum à numine infligi putemus.

Hæc bonorum ejus ſunt reliquiæ. etiam, quæ ſimul
Vecta mecum in ſcapha'ſt, excidit. ego nunc ſola ſum.
Quæ ſi mihi fores ſalva ſaltem, labor
Lenior eſſet hîc mihi ejus operâ.
Nunc quam ſpem, aut opem, aut conſilii quid capeſſam?
Ita hîc ſolis locis compotita ſum!
Hîc ſaxa ſunt! hîc mare ſonat! nec quiſquam
Homo mihi obviam venit.
Hoc quod induta ſum, ſummæ opes oppidò,
Nec cibo, nec loco, tecta quo ſim, ſcio.
Quæ mihi eſt ſpes, quâ me vivere velim?
Nec loci gnara ſum, nec diu hîc fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut ſemitam monſtret: ita nunc hâc
An illâc eam, incerta ſum conſilii:
Nec propè uſquam hîc quidem cultum agrum conſpicor.
Algor, error, pavor, membra omnia tenent:
Hæc parentes haud mei ſcitis miſeri,
Me nunc miſeram ita eſſe uti ſum. libera ego
Prognata fui maximè; nequiquam fui.
Nunc quî minus ſervio, quàm ſi forem ſerva nata?
Neque quicquam unquam iis profui, qui me ſibi eduxerunt.

INTERPRETATIO.

Ha ſunt' reliquiæ ejus fortunarum, Illa quæ erat mecum in ſcaphâ periit etiam. Ego ſum nunc ſola. Si ſocia mea eſſet ſaltem incolumis, dolor mihi eſſet minus gravis ejus adjutorio. Nunc quam ſpem, aut adjutorium, aut conſilium captam? Sic ſum conſtituta hîc in ſolitudine! hîc ſunt rupes ſolæ! hîc mare fremit! & nullus homo occurrit mihi. Omnes meæ divitiæ ſunt hæ veſtimenta. Neque video aut quo cibo utar, aut quo loco tegar. Quam ſpem habeo, quâ optem me vivere? Hæc loca mihi ignota ſunt, & nunquam vera ſata ſum in his regionibus. Utinam ſaltem eſſet aliquis, qui mihi indicaret in his locis, aut viam aut ſemitam: ſum inops conſilii utrum eam hâc, an illâc. Nequidem intueor hîc uſquam agrum cultum. Algor, error, pavor, occupant cuncta membra: mei parentes neſcitis infelices, me eſſe nunc adeò infelicem, uti ſum. Ego nata fui maximè libera; ſed incaſſum fui. In quo minus ſervio jam, quàm ſi forem nata ſerva? & nunquam fui utilis iis, qui me aluerunt.

ACTUS PRIMUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

AMPELISCA Palæſtram, & Palæſtra Ampeliſcam quærit & invenit. Pergunt unà ad Templum veneris madidæ è naufragio.

AMPELISCA, PALÆSTRA mulieres duæ.

AMPELISCA.

QUID mihi melius est, quid magis in rem est, quàm corpore vitam secludam?
Ita malè vivo: atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.
Nunc dein vitæ haud parco: perdidi spem, quâ me oblectabam.
Omnia jam circumcursavi, atque omnibus in latebris pereptavi.
Quærere conservam voce, oculis, auribus; ut pervestigarem.
Neque eam usquam invenio, neque quò eam, neque quà quæram consultum'st,
Neque quem rogitem responsorem, quemquam interea invenio.
Neque magis solæ terræ sunt, quàm hæc loca atque hæ regiones.
Neque si vivit, eam vivam unquam quin inveniam, desistam.
PA. Quænam vox mihi propè hîc sonat? *AM.* pertimui.
Quis hîc loquitur propè? *PA.* Spes bona, obsecro subventa
Mihi! *AM.* mulier est. muliebris vox mihi ad aures
Venit. *an* eximes ex hoc miseram metu?
PA. Certò vox muliebris auris tetigit meas.
Num Ampelisca obsecro'st? *AM.* ten' Palæstra audio?
PA. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo.
Ampelisca. *AM.* hem quis est? *PA.* ego Palæstra sum.

INTERPRETATIO.

AM. *Quid est mihi optabilius, quid utilius, quàm si mihi conscisscam mortem? Adeò traho vitam infœlicem: adeò mihi sunt multæ curæ in pectore, quæ me exanimant. Nunc deinceps, nequaquam mihi parcam: abjeci spem, quæ me reficiebat. Jam circumlustravi cuncta* loca, *atque perambulavi omnes latebras ad quærendam, & pervestigandam conservam, voce, oculis, auribus; neque eam reperio usquam; neque video, aut quò proficiscar, aut quà investigem; neque interim reperio ullum à quo petam responsionem. Et terra sunt nullæ magis deserta, quàm hæc loca, atque hæ regiones. Neque unquam desistam, antequam eam reperiam vivam, si vivit.* PA. *Quænam vox auditur hìc juxtà me.* AM. *Expavi. Quis auditur propè?* PA. *O spes bona! amabo, succurre mihi!* AM. *Est mulier. Vox mulieris pervenit ad meas aures. An vindicabis infœlicem ab hoc timore?* PÆ. *Sine dubio vox mulieris accidit ad meas aures. Annon est, amabo, Ampelisca?* AM. *Tene audio, Palæstra?* PA. *Cur non eam appello suo nomine, ut me intelligat: heus, Ampelisca!* AM. *Hem, quis est?* PA. *Ego sum Palæstra.*

ANNOTATIONES.

1. *Secludam.*] Pro excludam, quia *c* post *x* paulò durius est: *se* hoc loco idem significat ac *ex*. Ut in *secerno*, *separo*.

2. *Exanimales.*] Quæ exanimant, quæ conficiunt; pestiferæ.

AM. Dic, ubi es? *PA.* pol ego nunc in malis plurimis.
AM. Socia ſum; nec minor pars mea'ſt quàm tua.
Sed videre expeto te. *PA.* mihi es æmula.
AM. Conſequamur gradu vocem. ubi es? *PA.* ecce me.
Accede ad me, atque adi contrà. *AM.* fit ſedulò.
PA. Cedò manum. *AM.* accipe. *PA.* dic, viviſne obſecro?
AM. Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere: ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! obſecro, amplectere,
Spes mea! ut me omnium jam laborum levas!
PA. Occupas præloqui, quæ mea eſt oratio.
Nunc abire hinc decet nos. *AM.* quò, amabo, ibimus?
PA. Littus hoc perſequamur. *AM.* ſequor quò lubet.
PA. Siccine hîc cum uvidâ veſte graſſabimur?
AM. Hoc quod eſt, id neceſſarium eſt perpeti.
Sed quid hoc obſecro eſt? *PA.* quid? *AM.* viden' amabo,
Fanum, vidéſne hoc? *PA.* ubi eſt? *AM.* ad dexteram.
PA. Video decorum dîs locum viderier.
AM. Haud longè abeſſe oportet homines hinc: ita hic
Lepidu'ſt locus. *nunc, quiſquis* eſt deus, veneror,
Ut nos ex hâc ærumnâ miſeras eximat,
Inopes, ærumnoſas ut aliquo auxilio adjuvet.

INTERPRETATIO.

AM. *Fare, ubi es?* PA. *Profectò ego ſum nunc in plurimis calamitatibus.* AM. *Sum tua ſocia; & mea pars non eſt minor quàm tua. Sed cupio te cernere.* PA. *Ego viciſſim deſidero* AM. *Conſectemur vocem pedibus. Ubi es?* PA. *Adſum. Accede ad me, & veni obviam.* AM. *Accedo ſedulò.* PA. *Da manum.* AM. *Accipe.* PA. *Quæſo, loquere, vivisne?* AM. *Tu quidem es in causâ cur optem nunc vivere, quoniam mihi contigit te contingere: ut vix mihi perſuadere poſſum, te à me teneri! Complectere, ambo, mea ſpes! ut me recreas jam ab omnibus moleſtiis!* PA. *Prævertis tua oratione meam orationem. Nunc decet nos proficiſci hinc.* AM. *Quò pergemus, obſecro?* PA. *Proſequamur hanc ripam.* AM. *Sequor quò voles.* PA. *Itáne verò hîc gradiemur ægrè cum veſte madida?* AM. *Oportet pati id quod eſt neceſſarium. Sed quid eſt hoc amabo?* PA. *Quid?* AM. *Videsne, obſecro, Templum, videsne id?* PA. *Ubi eſt?* AM. *Ad dextram.* PA. *Videor conſpicari locum ornatum pro diis.* AM. *Oportet homines non abeſſe longè hinc; adeò hic locus eſt pulcher. Nunc precor Deum, quiſquis eſt, ut nos eripiat miſeras ex hâc calamitate, ut ferat opem inopibus ærumnarum plenis.*

ANNOTATIONES.

28. *Occupas præloqui.*] Eſt prævenire & antevertere. Phædrus: *Quoniam occuparat alter*, ſcilicet, Æſopus, *ne primus forem: ne ſolus eſſet ſtudui, quod ſuperfuit.*
31. *Graſſabimur.*] *Gradiemur.*
37. *Nunc quiſquis eſt Deus.*] Veteres, quoniam quidquid boni contingeret præter ſpem & expectationem, id numini cuidam tribuebant, cujus nomen ignorarent, nihilominus gratias agebant. Virgilius: *Sequimur te ſancte Deorum quiſquis es.*

ACTUS PRIMUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

IN ædem Veneris excipiuntur recentes à mari & fluctibus Virgines Palæstra & Ampelisca à Sacerdote Veneris.

SACERDOS VENERIS, PALÆSTRA, AMPELISCA mulieres.

SACERDOS.

QUI sunt, qui à patronâ preces meâ expetessunt?
Nam vox precantum me huc foras excitavit.
Bonam atque obsequentem deam, atque haud gravatam
Patronam exequuntur, benignámque multum.
PA. Jubemus te salvere, mater! *SA.* salvete
Puellæ! sed unde vos ire cum uvidâ
Veste dicam, obsecro! tam mœstiter vestitas?
PA. Illicò hinc imus, haud longulè ex hoc loco.
Verùm longè hinc abest unde huc vectæ sumus.
SA. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vectæ. *PA.* admodum. *SA.* ergo æquius vos erat
Candidatas venire hostiatasque. ad hoc
Fanum ad istunc modum non veniri solet.
PA. Quæné ejectæ è mari sumus ambæ, obsecro!
Unde nos hostias agere voluisti huc?

INTERPRETATIO.

SA. *QUi sunt, qui veniunt precatum meam patronam? Nam vox orantum me vocavit foràs. Certè adeunt clementem Deam exorabilem, & non difficilem patronam, & valde beneficam.* PA. *Salva sis, mater!* SA. *Salva sitis, puellæ! Sed unde, quæso, venitis veste madidâ indutæ! tam tristes?* PA. *Jamjam advenimus ex loco, non longè hinc* remoto. *Sed locus unde sumus advectæ, longè distat hinc.* SA. *Nimirum estis huc delatæ equo ligneo per campos cæruleos.* PA. *Maximè.* SA. *Igitur erat magis par vos accedere huc indutas candidis vestibus, & ducentes hostias. Est insolens accedere ad hoc Templum cum hoc commeatu.* PA. *Unde vis nos adducere victimas, amabo, qui sumus ambæ ejectæ è mari?*

ANNOTATIONES.

10. *Equo ligneo.*] Id est, *navi.*

11. *Candidatas.*] Vestibus candidis induti adibant ad Deos, veteres. Persius: *negato Jupiter hæc illi quamvis te albata rogarit.*

Hostiatas.] Hostiis instructas.

Nunc

Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,
Quæ in locis neſciis neſcia ſpe ſumus,
Ut tuo recipias tecto, ſervésque nos,
Miſerarúmque te ambarum uti miſereat,
Quibus nec locus ullus, nec ſpes parata eſt,
Neque hoc amplius, quàm quod vides, nobis quicquam'ſt.
SA. Manus mihi date; exſurgite à genibus ambæ:
Miſericordior nulla me eſt fæminarum.
Sed hîc pauperes res ſunt inopesque, puellæ:
Egomet vix vitam colo: Veneri cibo meo
Servio. *AM.* Veneris fanum, obſecro, hoc eſt? *SA.* fateor. ego
Hujus fani Sacerdos clueo. verùm, quicquid eſt,
Comiter fiet à me, quò noſtra copia
Valebit. ite hàc mecum. *PA.* amicè benignéque
Honorem, mater, noſtrûm habes. *SA.* oportet.

INTERPRETATIO.

Nunc inopes tibi amplectimur genua, quæ verſamur in locis ignotis ſine ſpe; precamurque, ut nos recipias in tuas ædes & ſerves, ut te miſereat duarum miſerarum, quibus nec eſt ullus locus apertus, nec ſpes certa; neque aliquid amplius, quàm quod cernis. SA. Præbete mihi manus, exſurgite ambæ à genibus: nulla eſt fœmina magis miſericors quam ego; at res ſunt hîc anguſtæ & egenæ, ô puellæ; ego ipſa vix tolero vitam: miniſtro Veneri meo ſumptu. AM. Eſtne hoc Templum Veneris, quæſo? SA. Fateor. Ego ſum Sacerdos hujus Templi. Sed quidquid ſit, faciam urbaniter quidquid erit in mea poteſtate. Venite mecum. PA. Tueris, mater, benevolè & comiter noſtrum honorem. SA. Decet.

ANNOTATIO.

15. Neſciis.] Id eſt, *ignotis.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

SACERDOS Veneris mittit Ampeliſcam ad villam proximam, quæ Dæmonetis eſt cum urna ad rogandam aquam Lenones duo, labrax, & Charmides veniunt in Templum Veneris, in quo inveniunt Palaſtram & Ampeliſcam.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

DOLENT lusam operam tota nocte piscatores, & fortunam piscatorum suis coloribus depingunt.

PISCATORES.

OMNIBUS MODIS, qui pauperes sunt homines, miseri vivunt,
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicêre artem ullam,
Necessitate, quicquid est domi, id sat est habendum.
Nos jam de ornatu propemodum ut locupletes simus, scitis.
Hisce hami, atque hæ harundines sunt nobis quæstu & cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnastico & palæstrico, hoc habemus,
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, musculos, plagusias, striatas.
Post id piscatum hamatilem & saxatilem aggredimur.
Cibum captamus è mari: sin eventus non venit,

INTERPRETATIO.

HOmines qui sunt inopes agunt vitam quâvis ratione infelicem, potissimum ii, qui neque faciunt quidquam lucri, neque callent ullam artem: est necesse eos esse contentos iis quæ habent domi. Animadvertitis jam fermè ex vestibus, quemadmodum simus divites. Hi hami, & hæ arundines sunt nobis pro quæstu & vestitu. Huc venimus ex urbe ad mare ad quærenda pabula: hoc est nobis exercitio gymnastico & palestrico. Insidiamur Echinis, lepadibus, ostreis, balanis, conchis, urticis marinis, musculis, plagusiis, striatis. Deinde oppugnamus pisces qui capiuntur hamis, & qui adhærent saxis. Accipimus escas à mari: si piscatio non succedit,

ANNOTATIONES.

5. *Hisce.*] Alii *Hi schœni*, à σχοῖνος juncus: junceæ enim erant nassæ. Hinc *scœniculæ* dictæ meretrices, à juncis, quibus sese præcingebant ut ostenderent, quàm facile zona solveretur. Unde manavit vox: dissolutus.

6. *Pabulatum.*] Pabulari vox castrensis: *aller au fourrage.*

7. *Pro exercitu gymnastico & palæstrico.*] Hic locus seu exercitium nobis gymnasii & palæstræ vicem exhibet. Hic alludunt piscatores ad habitum corporis; nudi enim gymnastæ exercentur & palæstritæ luctantur, ut piscantur piscatores.

8. *Lepadas.*] Lepas est ostrei genus, cujus extus concha, scabra & aspera, intus polita & splendida auri similis humanæ.

9. *Plagusias.*] Aliqui putant esse purpuram.

Neque quicquam captum est piscium, salsi lautique purè
Domum redimus clanculum; dormimus incœnati.
Atque ut nunc validè fluctuat mare, nulla nobis spes est.
Nisi quid concharum capsimus, incœnati sumus profectò.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepidè adjuverit hodie.

INTERPRETATIO.

neque capimus nonnullos pisces, revertimur clàm domum, maris sale, & aqua puri; somnum capimus impransi. Et nunc quia mare fluctuat tantopere, nullam habemus spem. Nisi capiamus nonnullas conchas, sanè sumus impransi. Nunc veneremur hanc bonam venerem, ut nobis auxilietur hodie.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

TRACHALIO rogat à mercatoribus, nunquid viderint Pleusidippum herum cum tribus amicis armatis, qui cum eo venerant, ad impediendum lenonem Labracem, ne vela faceret in Siciliam. Negant Piscatores: pergit Trachalio ad Templum Veneris, in quo herum expectet.

TRACHALIO servus PLEVSIDIPPI, PISCATORES.

TRACHALIO.

ANIMO adversavi sedulò, ne herum usquam præterirem.
Nam cùm modò exibat foràs, ad portum se aiebat ire,
Me huc obviam jussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed quos perconter, commodè eccos video astare! adibo.
Salvete fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio! quid agitis? ut peritis?
PI. Ut piscatorem æquum est; fame, siti, spèque. *TR.* ecquem adolescentem huc,

INTERPRETATIO.

TR. *Animadverti diligenter, ne prætergrederer alicubi herum. Scilicet quando egressus est modò ex ædibus, dicebat se proficisci ad portum; mihi mandavit ut occurrerem huc sibi ad Templum Veneris. Sed ecce oportunè homines consistentes, quos interrogem! Accedam ad eos. Salvi sitis latrones maritimi, conchārum captores, & hamorum latores, genus hominum fame perditum! Quid facitis? Ut interitis?* PI. *Ut decet piscatorem? fame, siti & spe.* TR. *Nonne conspexistis,*

ANNOTATIO.

5. *Hamiotæ.*] Nonius: *Hamiotæ piscatores ab hamis.*

Dum hîc aſtatis, ſtrenuâ facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum machæriis, vidiſtis venire?
PI. Nullum iſtâc facie, ut prædicas, veniſſe huc ſcimus. *TR.* ecquem
Recalvum ac ſilonem ſenem, ſtatutum, ventrioſum,
Tortis ſuperciliis, contractâ fronte, fraudulentum,
Deorum odium atque hominum; malum, mali vitii probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas ſecum ſatis venuſtas?
PI. Cum iſtius modi virtutibus operiſque natus qui ſit,
Eum quidem ad carnificem eſt æquius, quàm ad Venerem commeare.
TR. At ſi vidiſtis, dicite. *PI.* huc profectò nullus venit.
Vale! *TR.* valete! credidi: factum eſt quod ſuſpicabar.
Data verba hero ſunt; leno abiit ſceleſtus exultatum,
In navem aſcendit, mulieres avexit, ariolus ſum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit ſceleris ſemen.
Nunquid mihi meliu'ſt, quàm illico hîc opperiar herum dum veniat?
Eâdem hanc ſacerdotem Veneriam, ſi quid amplius ſcit,
Si videro, exquiſivero: faciet me certiorem.

INTERPRETATIO.

intereadum harebatis hîc adoleſcentem liberali vultu, rubicundum, valentẽ contendere huc, qui haberet ſecum tres accinctos gladiis? PI. *Habemus pro certo neminem contendiſſe huc iſto vultu quo loqueris.* TR. *Num* vidiſtis *unum ſenem calvum, ſimum, procerum, abdomine protuberanti, obtortis ſuperciliis, adſtrictâ fronte, fallacem, inviſum Diis & hominibus, nequam, refertum ſcelere & dedecore, qui haberet ſecum duas mulieres ſatis formoſas?* PI. *Eſt ſatius eum qui eſt ornatus ejuſmodi dotibus & factis, iter habere ad carnificem, quàm ad Venerem.* TR. *Sed ſi conſpexiſtis, dicite nobis.* PI. *Sanè nullus venit huc. Vale!* TR. *Valete!* Satis *mihi perſuaſi; quod augurabar accidit. Herus eſt fraudatus; nefarius leno profectus eſt in exilium; ſeſe conjecit in navem; abſtulit mulieres, ſum vates. Ille artifex criminum invitavit etiam herum ad prandium. Quid ſatius eſt mihi, quàm ſi expectem herum, uſque eodum adveniat? Eodem tempore, ſi videro hanc Sacerdotem Veneris, ab ea ſiſcitabor, utrum ſciat, aliquid amplius: me faciet certiorem.*

ANNOTATIONES.

11. *Silonem.*] Feſtus: *Silo qui eſt ſilus à σιμός, qui naſum habet* reſimum; id eſt, *ſurſum verſus repandum ut ſimia.* Alii *Silenum*, id eſt, *Simum inſtar Sileni.*

Statutum.] Magnæ ſtaturæ, quæ eſt ſeptem pedum; Authoribus, Varrone, Agellio & Solino. Vide Notas Aſinariæ, Act. 2. Sc. 3.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

TRACHALIO prodeuntem è Templo Veneris Ampeliscam reperit, quæ rogatu Sacerdotis ibat cum urna ad quærendam aquam: ab ea discit naufragium.

AMPELISCA mulier, TRACHALIO servus.

AMPELISCA.

INTELLEGO: hanc quæ proxima est villam Veneris fano
Pulsare jussisti, atque aquam rogare. *TR.* cuja ad auris
Vox mihi advolavit? *AM.* obsecro! quis hic loquitur? quem ego video?
TR. Estne Ampelisca hæc, quæ foras è fano egreditur?
AM. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
TR. Ea est. *AM.* is est. Trachalio, salve! *TR.* salve, Ampelisca!
Quid agis tu? *AM.* ætatem haud mala malè. *TR.* melius ominare!
AM. VERUM OMNES sapientes decet conferre & fabulari.
Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est? *TR.* eja verò!
Quasi non sit intus. *AM.* neque pol est, neque ullus quidem huc venit.

INTERPRETATIO.

AM. *Audio: mandas ferire ostium hujus villæ, quæ est juxta Templum Veneris, & petere aquam.* TR. *Quæ vox pervenit ad meas aures?* AM. *Quæso! Quis verba facit hìc? quem ego conspicio?* TR. *Estne hæc Ampelisca, quæ exit foràs è Templo?* AM. *Estne hic Trachalio servus Pleusidippi, quem cerno?* TR. *Ea est.* AM. *Est is. Sis salvus, Trachalio!* TR. *Sis salva, Ampelisca! Quid facis tu?* AM. *Traho vitam infelicem*, quamvis *sim innocens.* TR. *Dic meliora!* AM. *Oportet omnes qui sapiunt colere veritatem, & loqui. Ubi est, obsecro, tuus herus Pleusidippus?* TR. *Eja verò! Quasi non sit in Templo.* AM. *Neque est, neque ullus quidem sese contulit hùc.*

ANNOTATIONES.

1. *Intellego.*] Respondet ex proscenio Ampelisca Sacerdoti, & postscenio præcipienti, ut roget aquam ex proxima villa, in quâ Dæmones manet.

5. *Calator.*] Seu, *calo*, servus militis. Festus: *Calatores dicebantur servi, ἀπὸ τῦ καλεῖν, quod est vocare, quia semper vocari possunt ad necessitatem servitutis.* Revera calones erant servi militum, qui manu gerebant clavas ligneas, seu fustes graviores, & qui ministrabant ligna militibus. Itaq; à ligno quod Græcè κάλον, dicti *calones*, & à *clavis* ligneis in hoc eodem Autore vocabantur, *clavatores*, in Pœnulo Act. 3. Sc. 1. v. 27.

7. *Ætatem.*] Æthnicis bona ætas est juventus, mala senectus. Ecclesiastæ, *Dies mali* sunt senectus.

TR. Non venit! *AM.* vera prædicas. *TR.* non est meum, Ampelisca.
Sed quàm mox coctum est prandium? *AM.* quod prandium,
obsecro te?
TR. Nempe rem divinam facitis hîc. *AM.* quid somnias, amabo!
TR. Certè huc Labrax Pleusidippum ad prandium vocavit
Herum meum, herus vester. *AM.* pol haud miranda facta dicis.
Si deos decepit & homines, lenonum more fecit.
TR. Non rem divinam facitis hîc vos, neque herus? *AM.* ariolâre.
TR. Quid tu agis hîc igitur? *AM.* ex malis multis, metuque summo,
Capitalique ex periculo, orbas auxiliique opúmque huc
Recepit ad se Veneria hæc sacerdos, me, & Palæstram.
TR. AN hîc Palæstra'st, obsecro! heri mei amica? *AM.* certò.
TR. Inest lepos in nuncio tuo magnus, mea Ampelisca.
Sed istuc periculum perlubet quod fuerit vobis scire.
AM. Confracta est, mi Trachalio, hâc nocte navis nobis.
TR. Quid, navis? quæ istæc fabula est! *AM.* non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, & quicquid domi fuit, in navem imposivit?
Ea nunc perierunt omnia. *TR.* oh! Neptune lepide, salve?
Nec te aleator ullus est sapientior. profectò
Nimis lepidè jecisti bolum: perjurum perdidisti.
Sed nunc ubi est leno Labrax? *AM.* perit potando opinor.
Neptunus magnis poculis hâc nocte eum invitavit.

INTERPRETATIO.

TR. *Non venit!* AM. *Dicis verum.* TR. *Ampelisca, non est meus* mos. *At prandium eritne modò paratum?* AM. *Quod prandium, quæso?* TR. *Nimirum sacrificatis hìc.* AM. *Deliras, quæso!* TR. *Profectò Labrax vester herus invitavit huc Pleusidippum meum herum ad prandium.* AM. *Non loqueris mira: egit more lenonum, si fraudavit Deos & homines.* TR. *Vos non sacrificatis hìc, neque herus?* AM. *Divinas.* TR. *Quid facis hìc ergo?* AM. *Hæc Sacerdos Veneris nos admisit ad se, me & Palæstram elapsas ex multis calamitatibus & summo timore, & ex discrimine vitæ, destitutas omni præsidio & ope.* TR. *Palæstra estne hìc, quæso! amica mei heri?* AM. *Est.* TR. *Mea Ampelisca, est magna jucunditas in tuo nuntio; sed peroptarem audire, quod periculum vobis fuerit.* AM. *Nostra navis, Trachalio, confracta est hâc nocte.* TR. *Quid, navis! quid fabularis!* AM. *Non accepisti, quæso, quomodo leno voluit nos avehere hinc clam, in Siciliam, & quomodo contulit in navim universa, quæ erant domi? Nunc ea omnia perdita sunt.* TR. *Oh! salvus sis, Neptune optime? est nullus aleator melior te. Sanè jecisti tesseras nimis fausté: absorbsisti purjurum. Sed ubi est nunc Labrax leno?* AM. *Abitror eum interiisse bibendo. Nam Neptunus eum provocavit ingentibus scyphis hâc nocte.*

ANNOTATIO.

30. *Jecisti bolum.*] Quasi bolum jecerit seu aleam, & perdiderit lenonem Neptunus. Eubulon dicebant veteres pro venereo jactu, qui & erat fœliciſſimus. Bolus dicitur & de jactu retis in mari. Quando verò prima est producta, significat globulum quemdam, quantum os capere potest. Terentius: *Crucior bolum tantum mihi esse ereptum subitò è faucibus.*

TR. Credo herele anancæo datum quod biberet. *TR.* ut ego amo te,
Mea Ampeliſca! ut dulcis es! ut mulſa dicta dicis!
Sed tu & Palæſtra quomodo ſalvæ eſtis? *AM.* ſcibis faxo.
E navi timidæ ambæ in ſcapham inſiluimus: quia videmus
Ad ſaxa navem ferrier, properans exſolvi reſtim:
Dum illi timent, nos cum ſcapha tempeſtas dextrovorſum
Differt ab illis. itaque nos ventisque fluctibusque
Jactatæ exemplis plurimis miſeræ perpetuam noctem,
Vix hodie ad littus pertulit nos ventus exanimatas.
TR. Novi, Neptunus ita ſolet: quamvis faſtidioſus
Ædilis eſt: ſi quæ improbæ ſunt merces, jactat omnes.
AM. Væ capiti atque ætati tuæ! *TR.* tuo! mea Ampeliſca,
Scivi lenonem facere hoc quod fecit. ſæpe dixi.
Capillum promittam optumum'ſt, occipiámque ariolari.
AM. Caviſtis ergo tu atque herus, ne abiret, cùm ſcibatis?
TR. Quid faceret? *AM.* ſi amabat, rogas quid faceret? aſſervaret
Dies noctesque: in cuſtodiâ eſſet ſemper. verùm ecaſtor
Ut multi fecit: ita probè curavit Pleuſidippus.
„ *TR.* Cur tu iſtuc dicis? *AM.* res palàm eſt. *TR.* ſcin tu etiam,
„ QUI IT LAVATUM
„ IN BALINEAS, ibi cùm ſedulò ſua veſtimenta ſervat,

INTERPRETATIO.

TR. *Opinor propinatum anancæo quod potaret.* TR. *Ut ego te diligo, mea Ampeliſca! ut es ſuavis! ut loqueris ſuavia verba! Sed quomodo eſtis ſalvæ tu & Palæſtra?* AM. *Operam dabo ut perſpectum habeas. Ambæ perterritæ noſmet conjecimus è navi in ſcapham: intuitæ navem impelli ad ſcopulos, abſcidi ſtatim rudentem. Intereadum illi trepidant, procella nos abripit ab illis in dextram partem cum ſcaphâ. Itaque vix ventus nos compulit una die ad littora fermè mortuas* metu, *jactatas nimbis & undis per totam noctem, infelices omni ratione.* TR. *Hoc ſcio, Neptunus ſic conſuevit: tametſi eſt moroſus ædilis: ſi qua merces ſunt malæ ejicit univerſas.* AM. *Malum ingruat tibi, & tuæ vitæ!* TR. *Ingruat tibi! mea Ampeliſca, prævidi lenonem facturum hoc quod fecit. Affirmavi frequenter. Ut æquum eſt, ſinam creſcere capillos, & inciam profiteri artem ariolandi.* AM. *Igitur tu & herus impediviſtis, quominus fugeret, quandoquidem habebatis* ejus conſilium? TR. *Quid moliretur* herus? AM. *Si amore tenebatur, poſtulas quid moliretur? Cuſtodiret diu noctuque: eſſet ſemper in præſidiis; ſed Pleuſidippus ſe geſſit, ut complures ſe gerere ſolent: ſic benè tuitus eſt.* TR. *Quare tu ſic loqueris?* AM. *Id patet.* TR. *Ignorasne tu ſubduci furto veſtimenta ei, qui it lavatum in balneos.*

ANNOTATIONES.

35. *Anancæo.*] Heſichius, ἀναγκαῖον ἡ ἀναγκαῖα κλεψύδρα: *anange judicialis clepſydra.* Unde anancæum poculum perinde capax atque urna judicialis. Anancæum autem ſic dictum, quaſi poſt id ſiccatum, *neceſſe ſit perire*; ut verſu 31. innuit. *Periit potando*: alii exiſtimant eſſe alluſum à Poëta ſicutæ, quam cogebantur haurire ſontes, aut pro ſontibus damnati; ut Socrates. Alii, & flumini Lethæo.

43. *Ædilis eſt.*] Ædiles ſolebant improbas merces in profluentem jactare.

46. *Capillum promittam.*] Quaſi dicat, *divinus ſum; oportet promittam & ſinam creſcere capillum*, quod erat divinorum & ariolorum.

„ Tamen furripiuntur : quippe qui , quem illorum obſervet, falſus eſt:
„ Fur facilè , quem obſervet, videt : cuſtos , qui fur ſit , neſcit.
Sed duce me ad illam , ubi eſt? *AM.* i ſanè in Veneris fanum huc intrò,
Sedentem flentemque opprimes. *TR.* ut jam iſtuc mihi moleſtum eſt!
Sed quid flet? *AM.* ego dicam tibi. hoc ſeſe excruciat animi,
Quia leno ademit ciſtulam ei, quam habebat, ubîque habebat
Quî ſuos parentes noſcere poſſet : eam veretur
Ne perierit. *TR.* ubi nam ea fuit ciſtellula? *AM.* ibidem in navi
Concluſit ipſe in vidulum, ne copia eſſet ejus,
Quî ſuos parentes noſceret. *TR.* ô facinus impudicum,
Quam liberam eſſe oporteat, ſervire poſtulare!
AM. Nunc eam cum navi ſcilicet abiviſſe peſſum in altum.
Et aurum & argentum fuit lenonis omne ibidem.
Credo aliquem immerſiſſe, atque eum excepiſſe. id miſera mœſta'ſt,
Sibi eorum eveniſſe inopiam. *TR.* jam iſtoc magis uſus facto'ſt,
Ut eam intrò, conſolerque eam. ne ſe ſic excruciet animi:
„ Nam MULTA PRÆTER ſpem ſcio multis bona eveniſſe.
„ *AM.* At ego etiam, qui ſperaverint, ſpem decepiſſe multos.
„ *TR.* Ergo ANIMUS ÆQUUS optimum eſt ærumnæ condimentum.
Ego eo intrò, niſi quid vis. *AM.* eas : ego, quod mihi imperavit
Sacerdos, id faciam; atque aquam hinc de proximo rogabo.
Nam extemplò ſi verbis ſuis peterem, daturos dixit:
Neque digniorem cenſeo vidiſſe anum me quenquam,
Cui deos atque homines cenſeam benefacere magis decere.

INTERPRETATIO.

tametſi ea cuſtodiat diligenter, tamen furripiuntur : nimirum ignorat, à quo eorum qui adſunt, *caveat. Fur cernit facilè cui inſidiatur; qui tuetur, ignorat qui ſit latro. Sed duc me ad illam, ubi eſt?* AM. *Perge certè in Templum Veneris : in eo deprehendes ſedentem, & lachrymantem.* TR. *Quàm id* quod dicis *mihi eſt acerbum! Sed quare lachrymatur?* AM. *Ego tibi aperiam. Angitur animo, quia leno ei furripuit arculam qua illi erat, in quâ erant quædam quibus ſui parentes innoteſcerent. Timet ne ea perdita ſit.* TR. *Ubinam fuit ea ciſtella?* AM. *Ipſe incluſit in vidulo in navi, ne eſſet in ejus poteſtate ad detegendos ſuos parentes.* TR. *O facinus atrox! Velle eam adeſſe ſervam, quam par eſſet eſſe liberam!* AM. *Videlicet* lachrymatur, *quòd ciſtella ſubmerſa ſit in mari cum navi : univerſum aurum & argentum lenonis fuit in eodem vidulo. Arbitror quemdam ſubiiſſe fluctus, atque vidulum retraxiſſe. Hæc mulier eſt triſtis, quia ſpoliata eſt crepundiorum ope.* TR. *Eſt operæpretium nunc ingrediar, & leniam ejus dolorem, ne adeò angatur animo : nam nemo ignorat multa bene ſucceſſiſſe multis contra expectationem.* AM. *Sed nemo etiam ignorat expectationem fefelliſſe complures, qui ſperaverint.* TR. *Igitur mens æquabilis eſt certiſſimum delinimentum ægritudinis. Ego ingredior, niſi vis aliquid.* AM. *Ingredere : ego obeam id quod Sacerdos mihi mandavit; atque petam aquam à vicinis. Nam dixit eos daturos eſſe ſtatim ſi peterem ejus nomine : nec puto me conſpexiſſe ullam anum, quam exiſtimem digniorem affici beneficiis Deorum & hominum.*

Ut

Ut lepidè, ut liberaliter, ut honestè, atque haud gravatè
Timidas, egentes, uvidas, ejectas, exanimatas
Accepit ad sese! haud secus, quàm si ex se simus natæ:
Ut cápse *sic* succincta aquam calefactat, ut lavemus!
Nunc ne moræ illi sim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Heus! ecquis in villa'st? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

INTERPRETATIO.

Quàm admisit in ædes venustè, quàm urbaniter, quàm humaniter, & lubenter, trepidas, inopes, madidas, expulsas, mortuas metu! *non aliter ac si essemus ex ea orta: ut ipsa sese succingit, ut subdit ignem aquæ, quâ proluamur! Jam ne illam retardem, rogabo in his ædibus aquam, in quibus mihi mandavit* ut rogarem. *Heus! estne aliquis in villâ? Quis aperit ostium? Quis egreditur?*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

AMPELISCA pulsat ad ostium Dæmonetis, ad rogandam aquam; sed intereadum Sceparnio servus Dæmonetis, acceptâ ejus urnâ, pergit ad hauriendam aquam, recurrit in Templum Veneris Ampelisca, metu advenientis Labracis lenonis.

SCEPARNIO servus, AMPELISCA mulier.

SCEPARNIO.

QUis est, qui nostris tam protervè foribus facit injuriam?
AM. Ego sum. *SC.* hem! quid hoc boni est? heu! edepol specie lepidâ mulier!
AM. Salve adolescens. *SC.* & tu multum salveto, adolescentula.
AM. Ad vos venio. *SC.* accipiam hospitio, si mox venis,

INTEPRETATIO.

SC. *Quis est, qui insultat tam petulanter in nostrum ostium?* AM. AM. *Ego sum.* SC. *Hem! quid est id probi? Heu! profectò est mulier formâ venustâ!* AM. *Sis salvus, adolescens.* SC. *Et tu, adolescentula, sis salva plurimùm.* AM. *Me confero ad vos.* SC. *Admittam in ædes, si redieris modò.*

ANNOTATIONES.

2. *Quid hoc boni est?*] Verba sunt Sceparnionis servi, nondum videntis Ampelisçam. Quasi dicat. Videamus utrum fit aliquid boni, quod tam graviter impellit nostras fores.

4. *Accipiam hospitio.*] Hic maxima mala crux videtur esse fixa ab autore nostro interpretibus omnibus, qui in eo uno conveniunt, ut locum obscœnum per sese certatim reddant obscœniorem;

Item ut affectam: nam nunc nihil est qui te inanem.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? *AM.* aha! nimium familiariter
Me attrectas. *SC.* prò dî immortales! Veneris effigia hæc quidem est.
Ut in ocellis hilaritudo est! eja, corpus cujusmodi!
Subvolturium! illud quidem, subaquilum volui dicere.
Vel papillæ cujusmodi! tum quæ indoles in savio est!
AM. Non ego sum pollucta pâgo. potin' ut me abstineas manum?

INTERPRETATIO.

utut sis madida: nam nihil habeo nunc, quo repleam tuam urnam inanem. At quid dicis, mea venusta, lata? AM. *Aha! me attingis paulò liberius.* SC. *Proh Dii immortales est hæc imago Veneris. Ut lætia est in oculis! Eia, quale corpus! subvolturium! Profectò hoc putabam appellare subaquilum! vel quales papillæ! tum quæ forma oris!* AM. *Non ego sum expectata pagano. Visne coercere manum à me?*

ANNOTATIONES.

quod ut faciant, alii alios accusant librarios exemplariaque, elementa, vocésque mutant; & ne sic quidem contenti videntur interpretatione. Primùm subesse nonnihil obscœnitatis non est negandum; sed tectum esse contendo & propemodum in inverecundo servo verecundum. Quod ita planum fieri posse arbitror. Pullat ad ostium Dæmonetis Ampelisca. Aperit Sceparnio. Videt Ampeliscam cum urna ad rogandam aquam. Dicit Ampelisca, *venio ad vos*, additura, *rogatum aquam* petulans servus obturbat dicentem. Videt enim satis quid roget. Dicitque *accipiam modò te hospitio.* Item *ut affectam*, id est, *utut es madida. Sed nunc* puella *ex ornatu*, ut est versu 15. hujus Scenæ. *Nihil est*, id est, *non est aqua qui te inanem*, id est, *ut te inanem non remittam.* Quod erat additurus, nisi obturbatus conspectu repentino pulchritudinis ejus, quæ rogat aquam. Nemo enim dubitat Latinè dici, *inanem aliquem remittere*, pro *remittere sine iis quæ expectabat.* Dicit autem jocando protervus Sceparnio non esse sibi aquam, ut quam cuivis dedisset ultrò etiam, *hostis hosti*, ut Ampelisca versu 21. ejusdem Scenæ, monet, puellæ non largiatur, nisi interpositis precibus, & ut impurus verna urget *blanditiis*, versib. 18. & 20. hæc interpretatio propius, propiusque intuenti, & eam conferenti cum tota Scena, aut vera, aut veræ propior videatur.

7. *Effigia.*] Antiquum pro *effigies.*

9. *Subvolturium.*] Si de colore in cute Ampelisæ dictum; id est, corpus subfuscum; qui color est commendabilis, *une brune.* Si de alacritate corporis, & non de colore cutis; inde sumitur comparatio, quòd vultur, utpotè prædatoria avis, est expeditissimus & velocissimus.

9. *Subaquilum.*] Sceparnio id subjicit per correctionem: quia dixit subvolturium, Ampelisæ corpus dicit esse non subvolturium, sed subaquilum; quæ correctio fulsit sententiam eorum, qui hoc versu non de colore, sed de alacritate dictū putant: est enim idem, & vulturum color, & aquilarum; itaque innuit hoc loco Sceparnio mallè se conferre puellam cum avium Regina aquila, quàm cum vulture.

11. *Non ego sum pollucta pago.*] Non sum qui cedam in partem amatoris agrestis. *Pollucta* est verbum sumptum ex sacris Herculis in quibus aræ hujus Numinis, ut est dictum sæpè superius, imponebantur decimæ rerum omnium; & ex iis epulum fiebat populo. Quum autem ritus ille servaretur tam in urbibus, quam in agris, Ampelisca dedignata significationes amoris paulò liberiores Sceparnionis innuit, non esse se & illum conditione pares, ut audeat ad ejus amores aspirare; esse se ex urbe, illum agrestem. Quasi dicat, *Sum delicatior quàm ut apponar palato agresti* Decimæ enim quæ imponebantur aræ Herculis in urbibus erant deliciatiores, quàm quæ imponebantur aræ ejusdē Nummis in agris.

SC. Non licet te ſiccè placidè bellam bellè tangere ?
AM. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo & delitiæ dabo :
Nunc, quamobrem huc ſum miſſa, amabo, vel tu mihi ajas, vel neges.
SC. Quid nunc vis ? *AM.* ſapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
SC. Meus quoque hic ſapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
AM. Hæc ſacerdos Veneris hinc me petere juſſit à vobis aquam.
SC. At ego baſilicus ſum : quem niſi oras, guttam non feres.
Noſtro illum puteum periculo & ferramentis fodimus,
Niſi multis bladitiis, à me gutta non ferri poteſt.
AM. Cur tu aquam gravâre amabo, quam hoſtis hoſti commodat ?
SC. Cur tu operam gravâre mihi, quam civis civi commodat ?
AM. Imò etiam tibi, mea voluptas, quæ voles faciam omnia.
SC. Eugepæ ! ſalvus ſum ! hæc jam me ſuam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequicquam me ames : cedò mihi urnam.
AM. cape,
Propera, amabo, efferre. *SC.* manta : jam hîc ero, voluptas mea.
AM. Quid ſacerdoti me dicam hîc demoratam tam diu ?
Ut etiam nunc miſera timeo, ubi oculis intueor mare !
Sed quid ego miſera video procul in littore,
Meum herum lenonem Sicilienſemque hoſpitem,
Quos periiſſe ambos miſera cenſebam in mari.

INTERPRETATIO.

SC. *Non concedes oblandiri ſobriè, leniter, lepidè, lepidam ?* AM. *Quando erit tempus, uſurpabo tecum jocum & voluptatem : nunc, quæſo, vel tu mihi da, vel non da id, propter quod ego veni huc.* SC. *Quid petis nunc ?* AM. *Hic commeatus oſtendit ſapienti, quid petam.* SC. *Hic meus commeatus indicat quoque ſapienti, quid cupiam.* AM. *Hæc ſacerdos Veneris mandavit rogare hinc aquam à vobis.* SC. *At ego ſum miniſter regius : niſi me rogaveris, non accipies,* vel *guttam. Fodimus illum puteum noſtro periculo & inſtrumentis ; gutta non poteſt obtineri à me, niſi multis blandimentis.* AM. *Quare ægrè das tu aquam, quam inimicus largitur inimico ?* SC. *Quare mihi tu negas id, quod civis dat ultrò civi ?* AM. *Imò, mea voluptas agam, quidquid libitum fuerit.* SC. *Geſtio lætitiâ : mea res bene ſe habent ! hæc me appellat jam ſuam voluptatem. Tibi dabo aquam ne me ames incaſſum : da mihi hydriam.* AM. *Tene ; accelera, quæſo, afferre.* SC. *Expecta : revertar quamprimùm hîc, mea voluptas.* AM. *Quam cauſam afferam Sacerdoti, tantæ moræ à me factæ ? Quam formido etiamnum, quando conſpicio mare ! At quid ego cerno longè in littore, infœlix !* Cerno *meum herum lenonem, & ejus hoſpitem* ſiculum, *quos putabam, infœlix, ſubmerſos fuiſſe ambos fluctibus.*

ANNOTATIONES.

18. *Ego baſilicus ſum.*] Id eſt, regius miniſter. Et ut ſunt magnatum miniſtri impotentes, & feroces, & vulgò ipſis ſuis dominis ferociores, eos obliquè carpit Plautus in perſona Sceparnionis prædicantis ſe fore difficilem & moroſum Ampeliſcæ, neque daturum aquam, niſi emptam, precibus obnixis, blanditiis plurimis.

21. *Cur tu aquam gravâre.*] Gravare hoc loco dicitur, pro *gravatè dare, ægrè, invito animo.*

Jam illud mali plus nobis vivit, quàm ratæ.
Sed quid ego cessо fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæstræ; in aram uti confugiamus prius,
Quàm huc sceleſtus leno veniat, nosque hîc opprimat?
Confugiam hinc, res ita ſuppetit ſubitò *mihi*.

INTERPRETATIO.

Nobis ſupereſt plus arumnarum, quàm arbitrabamur. Sed quid ego cunctor me conjicere in Templum, ac nunciare hæc Palæstræ: ut confugiamus ad aram, an-tequàm nefarius leno accedat huc, & nos occupet incautas hìc? Fugiam hinc; ea res ſic mihi venit in mentem repente.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

SCEPARNIO ſervus Dæmonetis, poſtquam hauſit aquam, refert urnam ad Ampeliſcam, quam ad oſtium villæ reliquerat: ſed ea, metu labracis lenonis, inde in Templum Veneris ſeſe receperat.

SCEPARNIO ſervus.

PRò dî immortales! in aquâ nunquam credidi
Voluptatem ineſſe tantam, ut hanc traxi lubens!
Nimio minùs altus puteus viſus eſt, quàm priùs.
Ut ſine labore hanc extraxi! præfiſcinè,
Satis nequam ſum: ut pote qui hodie inceperim
Amare. hem tibi aquam, mea tu bella. hem! ſic volo
Te ferre honeſtè, ut ego fero: ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? cape aquam hanc ſis. ubi es?
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala.
Ubi tu es? etiámne hanc urnam acceptura? ubi es?

INTERPRETATIO.

PRoh Dii immortales! nunquam exiſtimavi eſſe tantam oblectationem, in aquâ hauriendâ. *Quàm eam eduxi alacriter! Credidi puteum multò minùs profundum, quàm anteà. Quam hanc hauſi ſine conatu! abſit dicto invidia; ſum ſatis improbus: ut qui initium faciam hodie amandi. Hem! tene aquam, mea bella. Hem! Exopto te geſtare, ſic decorè, ut ego geſto: ut mihi ſis grata. Sed ubi es lepida? Tene, ſi libet hanc aquam. Ubi es! Profectò me amat, ut ego animadverto: ſeſe abſcondit, nequam. Ubi es tu? Accipiesne tandem hanc urnam? ubi es?*

ANNOTATIO.

4. *Præfiſcinè.*] *Præfiſcinè* eſt vox quâ utebantur veteres ad præfationem modeſtiæ, quando quid dicebant unde gloriari poſſent: quaſi dicat; *abſit verbo invidia.* Unde patet hic jocum captari à Sceparnione, qui profitetur ſe eſſe ſatis, nequam. Quod quem locum gloriæ faciat, nemo eſt qui non videat.

Commodulè melius: tandem verò ſeriò.
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam hercle equidem illam video. ludos me facit.
Apponam hercle urnam jam ego hanc in mediâ viâ.
Sed autem, quid ſi hanc hinc abſtulerit quiſpiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle, ne illa mulier mihi inſidias locet,
Ut comprehendar cum ſacrâ urnâ Veneriâ.
Nempe optimo *me* jure in vinculis enicet
Magiſtratus: ſi quis me hanc habere viderit.
Nam hæc literata'ſt: ab ſe cantat cuja ſit.
Jam hercle evocabo hinc hanc ſacerdotem foràs,
Ut hanc accipiat urnam. accedam huc ad fores.
Heus ſis, Ptolemocratia! cape hanc urnam tibi:
Muliercula hanc neſcio quæ huc ad me detulit.
Intrò ferunda eſt. repperi negotium:
Siquidem his mihi ultrò aggerunda etiam eſt aqua.

INTERPRETATIO.

Hactenus joco: tandem verò age ſerio. Accipiesne tandem aliquando hanc urnam? In quo loco deliteſcis? Nullibi illam conſpicio; me ludificat. Ego collocabo hanc urnam hìc in mediâ viâ. At verò ſi quis hanc abſtulerit hinc urnam ſacram Veneris? Mihi faceſſat negotium. Profectò vereor, ne illa mulier mihi ſtruat inſidias, ut inveniar cum urnâ ſacrâ Veneris. Nimirum judex me interficiat meritò in carcere: ſi quis viderit me hanc tenere.

Nam hæc inſcripta litteris: nuntiat per ſeſe ad quem pertineat. Nunc certè vocabo hanc ſacerdotem è fano, *ut auferat hanc urnam. Accedam huc ad januam. Heus ſi libet, Ptolemocratia! ſume tuam urnam: neſcio qua muliercula ad me hanc attulit huc. Oportet eam inferam in fanum. Si mihi ferenda eſt ultrò aqua iis* qui hauſtam veniunt, *non inveni parum negotii.*

ANNOTATIO.

11. *Litterata'ſt.*] Id eſt, litteris inſcripta.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

LABRAX leno Cyrenenſis, & Charmides leno Agrigentinus, emerſi è tempeſtate, pergunt ad templum Veneris, & ſeſe mutuis maledictis laceſſunt.

LABRAX leno, CHARMIDES Siculus.

LABRAX.

QUI HOMO SESE miserum & mendicum volet,
Neptuno credat sese atque ætatem suam:
Nam si quis quid cum eo rei commiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol libertas lepida es, quæ nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule unà imponere.
Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit! *CH.* quò, malùm, properas Labrax?
Nam equidem te nequeo consequi tam strenuè.
LA. Utinam te priùs quàm oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Siciliam perbiteres;
Quem propter hoc mihi obtigit misero mali!
CH. Utinam, cùm in ædes me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deósque immortales quæso, dum vivas, uti
Omnis tui similes hospites habeas tibi.
LA. Malam Fortunam in ædis te adduxi meas.

INTERPRETATIO.

LA. *Qui optabit esse infelix & egenus sese commitat mari & suam vitam: nam si quis contraxit aliquid commercii cum eo, illum remittit domum instructum hoc modo. Sine dubio fuisti callida libertas, quæ nunquam voluisti inferre pedem in navem unà cum Hercule. At ubi est ille meus hospes, qui me vocavit in periculum? Atque ecce huc venit!* CH. *Quò vadis, malùm, Labrax? Nam non valeo te sequi tam celeriter.* LA. *Utinam antequam conspexissem te meis oculis periisses in Sicilià malo cruciatu, cujus causâ hæc calamitas mihi accidit infœlici!* CH. *Utinam illo die, quo me adduxisti in tuas ædes, dormivissem potius in carcere! Et rogo Deos immortales, ut sint tibi, dum vitam ages, omnes hospitio tui similes.* LA. *Induxi malum fortunam in ædes meas*, quando *te* adduxi in eas.

ANNOTATIONES.

1. *Qui homo.*] Terentius:
Nescis quid mali præterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Ovidius:
Et propè tam lethum quàm propè cernit aquam
Navita. [*tus*
Juvenalis: *Nauta est digitis à morte remotus*
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

2. *Ætatem suam.*] Id est, *vitam suam.* Quod idem est ac se: unde suprà, *Væ ætati tuæ*: id est, *væ tibi.*

4. *Ornatum.*] Adjuvat orationem suam labrax indicatis laciniis vestimenti manantis aquâ marinâ.

6. *Cum Hercule.*] Quæ sit ea Libertas, quæ noluerit inferre pedem cum Hercule in navem, ignoratur. Ego crediderim esse hanc Fabulam ex earum numero, quæ circumferuntur in imâ plebe, & quæ cum tempore exolescant ab eruditis non usurpatæ, & monumentis litterarum minimè consignatæ.

Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navem inſcenſio?
Ubi perdidi etiam plus boni quàm mihi fuit.
CH. Pol minimè miror, navis ſi fracta'ſt tibi;
Scelus te, & ſceleſtè parta quæ vexit bona.
LA. Peſſum dediſti me blandimentis tuis.
CH. Sceleſtiorem cœnam cœnavi tuam,
Quàm quæ Thyeſtæ quondam antepoſita eſt, & Tereo.
LA. Perii, animo malè fit, contine, quæſo, caput.
CH. Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas.
LA. Eheu Palæſtra atque Ampeliſca! ubi eſtis nunc?
CH. Piſcibus in alto credo præbent pabulum.
LA. Mendicitatem mihi obtuliſti operâ tuâ,
Dum tuis auſculto magnidicis mendaciis.
CH. Bonam eſt quod habeas gratiam meritò mihi,
Qui te ex inſulſo ſalſum feci operâ meâ.
LA. Quin tu hinc is à me in maximam malam crucem.
CH. Eas! easque res agebam commodùm.
LA. Eheu! quis vivit me mortalis miſerior!
CH. Ego multo tanto miſerior, quàm tu Labrax.
LA. Quî? *CH.* quia ego indignus ſum, tu dignus, qui ſies.

INTERPRETATIO.

Quare tibi præbui aures ſceleſte? Quare hinc ſum profectus? Quare conſcendi navem? In quâ periit plus fortunarum quàm habebam. CH. *Sanè minimè miror, ſi tuâ navis eſt ſcopulis alliſa, quæ te portavit ſceleſtum, & fortunas comparatas ſcelere.* LA. *Me perdidiſti tuis blanditiis.* CH. *Sumpſi cœnam magis nefariam apud te, quàm quæ eſt appoſita olim Thieſtæ & Tereo.* LA. *Perii, eſt ægrè animo; rogo, tene caput.* CH. *Utinam exerees pulmonem.* LA. *Heu Palæſtra, atque Ampeliſca! ubi eſtis jam?* CH. *Puto ſunt pabulo piſcibus in mari.* LA. *Me compuliſti in ſummam inopiam, tuâ culpâ, dum aurem præbeo tuis mendaciis magnificis.* CH. *Eſt in quo mihi habeas jurè gratiam, qui te reddidi meo beneficio ex inſulſo ſalſum.* LA. *Quin tu abis hinc à me in maximam malam crucem.* CH. *Abi tu ipſe! molitus ſum id in te feliciter ut abeas.* LA. *Heu! quis homo eſt infœlicior me!* CH. *Ego ſum tanto infœlicior, quàm tu, Labrax.* LA. *Quomodò?* CH. *Quia ego ſum indignus, qui ſim miſer: tu verò dignus.*

ANNOTATIONES.

25. *Thyeſtæ.*] Fabula nota eſt, quâ Atreus Thyeſtæ frater ſuos liberos epulandos appoſuiſſe narratur. Neque minus notum Prognen Thereo viro ſuo, quòd is Philomelam Prognes ſororem vitiaſſet, eique poſtea ne enuntiaret, linguam præcidiſſet, Itim communem filium dilaceratum patri comedendum objeciſſe.

33. *Ex inſulſo ſalſum feci.*] Charmides labracem irridet: habet enim gratiam ei quivis qui ab aliquo ex inſipiente ſapiens factus ſit; ſed non qui è ſicco madidum.

35. *Eas! easque res?*] Labrax dixit Charmidi, quin is in malam crucem? Reſpondet Charmides; *eas res*, id eſt, id agebam; id eſt, ibam in malam crucem, quando ſubibam tecum tempeſtatem. Sed eſt & jocus in *eas res*: eas enim verbum ſignificat; *eas ipſe in malam crucem*: & præterea inſeruit phraſi, *eas res agebam.*

LA. O ſcirpe, ſcirpe! laudo fortunas tuas,
Qui ſemper ſervas gloriam aritudinis.
CH. Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia coruſca præ tremore fabulor.
LA. Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum veſtimentis poſteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum inſtruit:
Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.
CH. Ut fortunati ſunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones aſſident! ſemper calent.
LA. Utinam fortunâ nunc anatinâ uterer,
Uti cùm exiviſſem ex aquâ, arerem tamen!
CH. Quid, ſi aliquò ad ludos me pro manduco locem?
LA. Quapropter? *CH.* quia pol clarè crepito dentibus.
Jure optimo me laviſſe arbitror.
LA. Quî? *CH.* quia auderem tecum in navem aſcendere
Qui à fundamento mihi uſque moviſti mare.
LA. Tibi auſcultavi, tu promittebas mihi
Illic eſſe quæſtum maximum meretricibus,
Ibi me corruere poſſe aiebas divitias.

INTERPRETATIO.

LA. *O ſcirpe, ſcirpe! laudo tuam ſortem, qui tueris ſemper laudem ſiccitatis.* CH. *Equidem me exercito ad pugnam velitarem: nam mitto præ trepidatione verba vibrantia.* LA. *Certe, Neptune, es balneator gelidus: rigeo ex quo exceſſi à te cum veſtibus. Sanè non eſt apud eum Thermopolium, ſic propinat potionem ſalſam & frigidam.* CH. *Quam fabri ferrarii ſunt fœlices, qui ſemper ſtant ad prunas! fruuntur calore perpetuo.* LA. *Utinam eſſem ſimilis anati, ut quando prodirem ex aquâ eſſem ſiccus!* CH. *Quid, ſi me collocem ad ludos pro manduco?* LA. *Quare?* CH. *Quia crepito clarè dentibus. Exiſtimo me naufragium feciſſe meritò.* LA. *Quare?* CH. *Quia ſum auſus me conferre tecum in navem, quia concitaſti mare ab imò.* LA. *Tibi credidi; tu mihi affirmabas meretrices facere illic maximum lucrum; dicebas me poſſe corradere illic opes.*

ANNOTATIONES.

39. *O ſcirpe.*] Scirpus etiam aquâ immerſus non madet.

41. *Ad velitationem.*] Feſtus: *Velitatio dicta eſt ultrò citròque probrorum objectio ab exemplo velitaris pugnæ.* Hic de trepidatione, quâ membra vibrantur.

42. *Coruſca.*] Coruſcat maximè lux, quando tremula eſt. Sic coruſcantia ſua verba dixit Labrax propter trepidationem vocis. Coruſcè verò lux videtur radios circum quaque vibrare.

49. *Fortunâ anatinâ.*] Anas eſt perpetuò in aquâ: neque tamen, aut alget, aut madet, quando exit.

51. *Manduco.*] Manducus erat formidoloſa perſona, magnis malis, latéque dehiſcens, & clarè crepitans dentibus, terriculamentum puerorum.

58. *Corruere.*] Coacervare magnas divitias. Varro: *Corruuntur ſpice in corbem.* Inde *rutrum*; *inſtrument à remuer du mortier. Ruere*, eſt *de medio cumulum dejicere, & æquare.* Cicero de laudibus Dolabellæ, *diruam cumulum.*

CH. Jam

CH. Jam postulabas te, impurata belua,
Totam Siciliam devoraturum insulam.
LA. Quænam balæna meum voravit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne compactum fuit?
CH. Eadem illa, credo, quæ meum marsupium,
Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
LA. Eheu! redactus sum usque ad hanc unam tuniculam,
Et ad hoc misellum pallium. perii oppidò!
CH. Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus partes. *LA.* saltem si mihi
Mulierculæ essent salvæ! spes aliquæ forent.
Nunc si me adolescens Pleusidippus viderit,
A quo arrabonem pro Palæstrâ acceperam,
Jam se exhibebit hîc mihi negotium.
CH. Quid, stulte, ploras? tibi quidem edepol copia'st,
Dum lingua vivet, quî rem solvas omnibus.

INTERPRETATIO.

CH. *Impura bestia, putabas jam te voraturum universam insulam Siciliam.* LA. *Quod cete voravit meum vidulum, in quo fuit inclusum omne aurum, atque argentum?* CH. *Illa eadem, ut puto, quæ voravit meum marsupium, quod plenum erat pecuniâ, in sacco.* LA. *Heu! hæc una tunicula mihi supereſt, & hoc miserum pallium. Interii planè!* CH. *Mihi licet quidem inire societatem fortunarum tecum. Sumus pares in fortunis.* LA. *Saltem si mulierculæ essent incolumes! esset spes aliqua. Nunc si adolescens Pleusidippus, qui dedit mihi arrabonem pro Palæstrâ, me conspicatus sit, mihi conflabit jam hîc negotium.* CH. *Quare lachrymaris, insane? Profectò semper poteris reddere rem cuivis dum lingua valebit.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

SCEPARNIO servus Dæmonetis nunciat Labraci & Charmidi Slænonibus, Palæstram & Ampeliscam esse in Templo Veneris.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

SCEPARNIO servus, CHARMIDES Siculus, LABRAX leno.

SCEPARNIO.

QUID illuc obsecro est negotii, quòd duæ mulierculæ
Hic in fano Veneris signum flentes amplexæ tenent;

INTERPRETATIO.

SC. *Quare, amabo, duæ mulierculæ lachrymantes amplectuntur imaginem Veneris in Templo?*

Neſcio quem metuentes miſeræ? nocte hâc verò proximâ
Se jactatas atque ejectas hodie eſſe ajunt è mari. [mulieres?
LA. Obſecro hercle adoleſcens, ubi iſtæc ſunt, quas memoras,
SC. Hîc in fano Veneris. *LA.* quot ſunt? *SC.* totidem quot ego &
tu ſumus. [*SC.* ſcitulâ.
LA. Nempe meæ. *SC.* nempe neſcio iſtuc. *LA.* quâ ſunt facie?
Vel ego amare utramvis poſſim ſi probè appotus ſiem.
LA. Nempe puellæ? *SC.* nempe moleſtus es: viſe, ſi lubet.
LA. Meas oportet intus eſſe hîc mulieres, mi Charmides.
CH. Juppiter te perdat, & ſi ſunt, & ſi non ſunt tamen!
LA. Intrò rumpam jam huc in Veneris fanum. *CH.* in barathrum
mavelim.
Obſecro, hoſpes, da mihi aliquid, ubi condormiſcam, loci.
SC. Iſtic ubi vis condormiſce: nemo prohibet, publicum eſt.
CH. At vides me, ornatus ut ſim veſtimentis uvidis:
Recipe me in tectum, da mihi veſtimenti aliquid aridi,
Dum mea areſcunt: in quo tibi referam gratiam.
SC. Tegillum eccillud mihi unum areſcit: id ſi vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo, ſi pluvit.
Tu iſtæc mihi dato: exareſcunt faxo. *CH.* eho! an te pœnitet
In mari quod elavi, ni hîc in terrâ iterum eluam?
SC. Eluas tu an exungâre, ciccum non interduim:

INTERPRETATIO.

formidantes neſcio quem infœlices? Narrant autem ſupremâ nocte ſe fuiſſe jactatas tempeſtate, *atque ejectas è fluctibus.* LA. *Ubi ſunt, quæſo, iſtæ mulieres, quas dicis?* SC. *Sunt hìc in Templo Veneris.* LA. *Quot ſunt?* SC. *Totidem quot ſumus ego & tu.* LA. *Nimirum ſunt meæ* SC. *Nimirum me latet iſtud.* LA. *Quo ſunt vultu?* SC. *Venuſto. Vel ego poſſim amare utramque, ſi ſim bene potus.* LA. *Videlicet ſunt puellæ?* SC. *Videlicet es importunus: vide ſi vis.* LA. *Mi Charmides, oportet meas mulieres eſſe in hoc Templo.* CH. *Jupiter te perdat, ſive ſint, ſive non ſint!* LA. *Nunc irrumpam illuc in Templum Veneris.* CH. *Malim in barathrum* irrumpere. *Quæſo, hoſpes, præbe mihi aliquem locum in quo ſomnum capiam.* SC. *Somnum cape hìc ubi libet: nullus impeditus eſt commune.* CH. *Sed cernis quemadmodum ego ſum indutus veſtibus madidis. Admitte me in ædes, cedò mihi aliquam veſtem ſiccam, uſque eodum mea exareſcat; tibi agam gratias aliquando.* SC. *Ecce veſtimentum anguſtum ſiccum: commodabo, id ſi libet. Conſuevi eſſe indutus eodem & tectus, ſi pluit. Tu date mihi tua veſtimenta; curabo ut ſiccentur.* CH. *Eho! an doles quòd naufragium feci in mari, niſi faciam hìc iterum in terrâ?* SC. *Tu laves an ungaris nihili curo:*

ANNOTATIONÆS.

18. *Tegillum.*] Feſtus: *Tegillum, integumentum corporis vile & plebeium.*

21. *Elavi.*] Tranſlatione ductâ à balneis. Dicitur *eluere & elavare*, qui bona in deliciis conſumit. Hìc Charmides dicit ſe *elaviſſe in mari*, id eſt, in doloribus, non in voluptatibus.

22. *Exungare.*] Id eſt, utrum in balneis an in unguentis rem tuam dilapides, non magnopere curo.

Ciccum non interduim.] Membrana tenuis, quæ eſt in malo punico, cellularum diſcrimen. *Pluma non intereſt. Flocci facio. Interduim*, id eſt, *dem.*

Tibi ego nunquam credam, nisi accepto pignore.
Tu vel suda, vel peri algu; vel tu ægrota, vel vale:
Barbarum hospitem mihi in ædeis, nihil moror: sat litium est.
CH. Jámne abis? venales illic ductitavit, quisquis est:
Non est misericors. sed quid ego hîc asto infelix, uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,
Quam potavi præter animi, quàm libuit, sententiam.
Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare:
Itaque alvum prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opu'st verbis? si invitare nos pauliſper pergeret,
Ibidem obdormissemus: nunc vix vivos amisit domum.
Nunc lenonem, quid agit intus, visam, convivam meum.

INTERPRETATIO.

Ego nunquam tibi tradam vestes, nisi accepto arrhabone. Vel suda, vel morere frigore, vel ægrota, vel sis sanus: nolo habere in ædibus hospitem peregrinum: est satis controversiarum. CH. *Jámne excedis? Iste quisquis est, fuit mango: est ferus. Sed quid sto hic miser madidus? Quare non ingredior in Templum Veneris, ut edormiscam hanc crapulam, quam exhausi præter voluntatem, ac libidinem. Quasi Neptunus miscuerit vina Græca in mari: itaque voluit solvi ventrem, laticibus salsis. Quid est opus verbis? Si nobis plura pocula propinasset, obdormissemus ibidem: nunc remisit viros in ædes ferè mortuos. Nunc videro, quid agat in Templo leno, meus compotor.*

ANNOTATIONES.

31. *Prodi speravit.*] Id est, Neptunus largioribus poculis invitatos nos prodere voluit; id est, nos extinguere. Qui enim invitatos largioribus poculis provocant, quàm sanitati vitæque conducat, eos prodere dicuntur.

34. *Convivam.*] Charmides jocatur de tempestate, à quâ elapsi sunt ipse & Labrax; & convivam appellat, quia simul potaverunt.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

CYRENENSIS & Agrigentinus lenones irrumpunt in Templum Veneris. A signo Deæ detrahere decertant Virgines duas, Palæstram, & Ampeliscam. Trachalio Pleusidippi servus primùm, mox Dæmones cum lorariis, demum & Pleusidippus ipse auxilio sunt.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

DÆMONES sollicitus de explicatione somnii, quod suprema nocte contigit, audit clamores Palæstræ & Ampelisceæ in Templo Veneris proximo, quas à signo Veneris, quod tenent amplexæ, detrahere decertant lenones ambo.

DÆMONES.

MIRIS MODIS dî ludos faciunt hominibus,
MIRISQUE exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientes quidem sinunt quiescere.
Velut ego hâc nocte, quæ præcessit, proximâ
Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Ad hirundininum nidum visa est simia
Ascensionem ut faceret, admolirier:
Neque eas eripere quibat inde. postibi
Videbatur ad me simia aggredirier,
Rogare, scalas ut darem utendas sibi.
Ego ad hoc exemplum simiæ respondeo,
Natas ex Philomelâ atque ex Progne esse hirundines.
Ago cum illâ, ne quid noceat meis popularibus.

INTERPRETATIO.

DÆ. *Dii ludificantur homines mirum in modum, & mittunt somnia dormientibus mirifica. Ne patiuntur quidem dormientes somnum capere quietum. Mihi contigit somnium admirabile atque obscurum, hâc nocte, quæ præcessit, ultimâ. Simia visa est conari ascendere ad nidum hirundineum: neque poterat eam detrahere inde. Posteà simia videbatur venire ad me rogatum, ut sibi commodarem scalas ad ascendendum. Ego repono hoc modo simiæ, hirundines esse natas ex Philomelâ atque ex Progne. Illi præcipio ne injuriam faciat meis civibus.*

ANNOTATIONES.

2. *Somnia.*] Alii, *Dii omnia in somniis danunt*, id est, *dant*.

6. *Hirundininum.*] Pro *hirundineum*, possessivo.

8. *Postibi.*] Id est, *postea, interibi, interea, postidem & postidea*, dicuntur pro *postea*.

12. *Natas.*] Philomela & Progne duæ filiæ sunt Pandionis Athenienſium regis. Altera dicitur mutata in Philomelam, altera in hirundinem. Quare Comicâ licentiâ dixisse videtur ambas esse mutatas in hirundines. Finguntur enim Comicæ personæ parum esse versatæ in Historiâ & Fabulâ. Reverâ tamen fortè Plautus occasionem sumpsit hujus Metamorphoseos confundendæ; quòd non defuerint Autores, qui dicant Philomelam esse versam in hirundinem: talis est Gorgias apud Aristotelem.

13. *Popularibus.*] Dæmones erat Athenienſis exul; Progne & Philomela Athenienses: idcircò hirundines vocat populares suas.

Atque illa animo jam fieri ferocior,
Videtur ultrò mihi malum minitarier.
In jus vocat me. ibi ego neſcio quomodo
Iratus videor mediam arripere ſimiam:
Concludo in vincla beſtiam nequiſſimam.
Nunc quam ad rem dicam hoc attinere ſomnium,
Nunquam hodie quivi ad conjecturam evadere.
Sed quid hîc in Veneris fano
Clamoris oritur! animus mirat.

INTERPRETATIO.

Simia videtur fieri jam iracundior. Videtur mihi minitari ultrò malum. Me appellat ad judicem. Tum ego neſcio quomodo videor occupare ſimiam mediam iratus: conjicio beſtiam peſſimam in vincula.

Nunc nunquam potui aſſequi conjecturâ ad quam rem potiſſimum attineat hoc ſomnium. Sed quis clamor auditur hîc in Templo Veneris! animus ſtupet.

ANNOTATIO.

22. *Mirat.*] Miratur.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

TRACHALIO & ipſe excitatus clamoribus Virginum duarum, non ſolum illis auxilio eſt; ſed & obvios quoſvis vocat ad earum deffenſionem.

DÆMONES ſenex, TRACHALIO ſervus.

TRACHALIO.

PRo, Cyrenenſes populares! veſtram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui qui eſtis his regionibus,
Ferte opem inopiæ, atque exemplum peſſumum peſſundate,
Vindicate: ne impiorum potior ſit pollentia,
Quàm innocentium, qui ſe ſcelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.
Facite hîc lege potius liceat, quàm vi, victo vivere.

INTERPRETATIO.

TR. *PRoh Cyrenenſes mei Cives! Ego invoco veſtram opem, Agricolæ, vicini, qui eſtis finitimi his plagis, opitulemini deſtitutis ope, & prohibete rem peſſimam, ulciſcamini: ne potentia impiorum ſit major, quàm innocentum, qui nolunt evadere celebres crimine. Infligite pœnas inverecundos afficite mercede verecundiam. Date operam ut liceat potius civi Cyrenaico vivere ex legum præſcripto, quàm ex vi.*

ANNOTATIO.

7. *Victo.*] Id eſt, liceat potius civi Cyrenaico vivere ſub legibus, quàm ſub poteſtate ejus, qui eum vi oppreſſit. Id eſt, non vis, ſed leges in Republicâ valeant.

Currite huc in Veneris fanum : vestram iterum imploro fidem,
Qui propè hîc adestis, quique auditis clamorem meum,
Ferte suppetias, qui Veneri, Veneriæque antistitæ
More antiquo in custodiam suum commiserunt caput.
Prætorquete injuriæ priùs collum, quàm ad vos perveniat.
DÆ. Quid istuc est negotii? *TR.* per ego te hæc genua obtestor senex,
Quisquis es. *DÆ.* quin tu ergo omitte genua, & quid sit, mihi expedi,
Quid tumultues? *TR.* teque oro & quæso, si speras tibi
Hoc anno multum futurum sirpe & laserpitium,
Eámque eventuram exagogam Capuam salvam & sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi.
DÆ. Sanun'es? *TR.* seu tibi confidis fore multam magudarim,
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
DÆ. At ego te per crura & talos, tergumque obtestor tuum,
Si tibi ulmeam uberem esse speres virgidemiam,
Et tibi esse eventuram hoc anno uberem messem mali,
Ut mihi istuc dicas negotii quid sit, quod tumultues.
TR. Quî lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
DÆ. Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.

Interpretatio.

Accelerate huc in delubrum Veneris : invoco rursus vestram opem, qui habitatis in vicinia ; quique accipitis meam vociferationem, ferte auxilium iis, qui ex veteri instituto commendarunt suum caput in tutelam Veneris, & Veneriæ Sacerdotis. Obtorquete collum iniquitati, ante quam accedat ad vos. DÆ. *Quid rei est id?* TR. *Quisquis es senex, ego te precor per hæc genua.* DÆ. *Quin ergo tu non dimittis genua, & mihi exponis cur tumultueris?* TR. *Et te precor, rogoque, si speras te habiturum multum silphium & laserpitium, & eam copiam venturam salvam & incolumem, ad Capuam, & sis semper sanus à lippitudine.* DÆ. *Etne compos mentis?* TR. *Seu speras te habiturum magnam copiam Magudaris, ut non ægrè feras exaudire, quod te rogo.* DÆ. *At ego te rogo per femora & talos, & tuum tergum, si speras te facturum vindemiam copiosam virgarum ulmearum, & te collecturum hoc anno messem copiosam malorum, ut mihi aperias, quamobrem tumultuaris.* TR. *Quare mihi convitiaris? Profectò tibi comprecatus sum omnia genera bonorũ.* DÆ. *Equidem tibi bene dico, qui oro, ut tibi contingant ea quæ merers.*

Annotationes.

10. *Ferte suppetias.*] In more positum erat apud veteres, ut neque liberi neque servi per vim educi possent è Templis, locisque sacris in quæ confugissent. Cicero: *Hìc aræ sunt, hìc foci, hìc Dii penates, hìc sacra Religionis ceremoniæ continentur. Hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.*

13. *Obtestor.*] Donatus : *Obtestatio est precatio cum mentione earum rerum per quas petimus.*

15. *Tumultues.*] Vetus, *tumultuerĭ*.

16. *Sirpe.*] Par quædam silphii arboris thuriferæ.

Laserpitium.] Quasi dicas, *lac sirpium*, seu *silphium*; *du benjoin*. *Laserpicio* autem fœlix erat Cyrenensis ager.

17. *Exagogam.*] Id est, exportationem, sive evectionem eam, ut eas merces Cyrenis, aut ex Lybiâ exportatas salvas capuam venturas.

19. *Magudarim.*] Radix est silphii.

22. *Virgidemiam.*] Virgarum vindemiam, nomen factum è duobus.

TR. Obsecro!, hoc prævortere ergo. *DÆ.* quid negotii est?
TR. mulieres
Duæ innocentes intus hîc sunt, tui indigentes auxilii,
Quibus advorsum jus, legesque insignitè injuria hîc
Facta est, sitque in Veneris fano. tum sacerdos Veneria
Indignè afflictatur. *DÆ.* quis homo est tantâ confidentiâ,
Qui sacerdotem audeat violare? sed eæ mulieres
Quæ sunt? aut quid iis iniqui fit? *TR.* si das operam, eloquar.
Veneris signum sunt amplexæ. nunc .....
Eas deripere vult. eas ambas esse oportet.....
DÆ. Quis istic est, qui deos tam parvipendit?
TR. Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenus,
Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus:
Uno verbo absolvam, Leno'st: quid illum porrò prædicem?
DÆ. Edepol infortunio hominem prædicas donabilem.
TR. Qui sacerdoti sceleſtus fauces interpresserit.
DÆ. At malo cum magno suo fecit hercle. ite istinc foras,
Turbalio, Sparax! ubi estis? *TR.* i obsecro intrò, subveni
Illis. *DÆ.* iterum haud imperabo. sequimini hàc. *TR.* age nunc jam,
Jube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.
DÆ. Proripite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem.
TR. Audio tumultum: opinor leno pugnis pectitur.

Interpretatio.

TR. *Prohibe id, obtestor.* DÆ. *Quid rei impediam?* TR. *Sunt hìc duæ mulieres immunes à crimine, quibus est opus tuo adjutorio; nam his infertur atrox injuria, contra jus & leges, & fit etiamnum in Templo Veneris. Quin etiam Sacerdos Veneris vexatur indignè.* DÆ. *Quis est homo adeò audax, ut non verbatur afferre vim Sacerdoti? Sed quæ sunt illæ mulieres? Aut quid iis fit contra fas?* TR. *Aperiam, si audias. Complexæ sunt imaginem Veneris. Nunc vult eas avellere. Oportet eas esse ambas.* DÆ. *Quis est ille, qui aspernatur adeò Deos?* TR. *Homo conflatus ex dolis, crimine, parricidio, perjurio, qui violavit leges; effrons, inverecundus, impudentissimus: uno verbo complectar, est Leno: quid dicam amplius de illo?* DÆ. *Sanè commemoras hominem dignum infortunio.* TR. *Qui nequam invaserit in jugulum Sacerdotis.* DÆ. *Sed non impunè fecerit. Exite, Turbalio, Sparax! ubi estis?* TR. *Ingredere quæso, succurre illis.* DÆ. *Non jubebo rursus. Sequamini me.* TR. *Age nunc; mãda, à lorariis erui oculos, ut à coquis eruũtur sepiis.* DÆ. *Protrahite huc hominem pedibus, sicut suem occisam.* TR. *Audio tumultum: arbitror leno pectitur pugnis.*

Annotationes.

31. *Sacerdotem audeat violare.*] Omnibus sæculis nationes omnes eumdem fermè honorem habuere ordini Sacerdotali, quem ipsis quibus ministrarent Numinibus.

40. *Donabilem.*] Donandum, mactabilem.

43. *Turbalio Sparax.*] Lorarii Dæmonetis mutæ personæ.

47. *Pectitur.*] Pugnis pectere est allegoricum pro impactis in os, caputque pugnis hominem verberare.

Nimis velim improbissimo homini mâlas edentaverint.
Sed ecce ipsæ huc egrediuntur timidæ è fano mulieres.

INTERPRETATIO.

Utinam excussérint dentes malis nequissimi hominis. Sed ecce mulieres ipsæ egrediuntur huc trepidæ è Templo.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

TRACHALIO servus Pleusidippi pollicetur præsidium suum Palæstræ & Ampelisæ adversus lenones duos.

PALÆSTRA, AMPELISCA duæ mulieres, TRACHALIO servus.

PALESTRA.

NUNC id est, cùm omnium copiarum atque opum,
Auxilii, præsidii viduitas nos tenet,
*Nec ulla spe*cula est, quæ salutem afferat:
Nec scimus quam in partem ingredi persequamur.
Maximo miseræ in metu nunc sumus ambæ,
Tanta importunitas, tantaque injuria
Facta in nos est modò hîc intus ab nostro hero,
Qui sceleſtus sacerdotem anum præcipem
Reppulit, propulit, perquàm indignis modis,
Nosque ab Signo intimo vi deripuit suâ.
Sed nunc sese ut ferunt res fortunæque nostræ,
Par est moriri. NEQUE EST MELIUS morte, in malis
Rebus, miseris. *TR.* quid est? quæ illæc oratio'st?

INTERPRETATIO.

PA. *JAm inopia omnium divitiarum & fortunarum, adjutoris atque defensionis nos circumvenit, neque est ulla spes, vel minima, quæ ostendat incolumitatem: neque intelligimus in quam partem nos conferamus. Jam versamur utraque in summo timore; adeò magna est molestia, adeò magna est contumelia, quæ nobis allata est à nostro hero in hoc Templo; hic nefarius, qui egit præcipitem atque exturbavit Sacerdotem anum per summam contumeliam, & nos detraxit ab imagine, quæ est in ipso sanctuario vi aperiâ. At nunc ut res nostræ & fortunæ sese habent est æquum oppetere mortem. Neque est quidquam optabilius exitio in arumnis & adversis.* TR. *Quid est? qualis est ille sermo?*

ANNOTATIO.

8. *Præcipem.*] Pro *præcipitem*. Veteres pro *præceps*, dicebant *præcipes*, pro *anceps*, *ancipes*.

Cesso

Cessō ego has consolari ? heus, Palæstra ! *PA.* qui vocat ?
TR. Heus, Ampelisca. *AM.* obsecro, quis est qui vocat ?
PA. Quis is est, qui nominat ? *TR.* si respexis, scies.
PA. O salutis meæ spes ! *TR.* tace, ac bono animo es.
Me vide. *PA.* si modò id liceat, vis ne opprimat : [inepta es.
Quæ vis, vim mihi afferam ipsa, adigit ? *TR.* ah desine ! nimis
AM. Desiste dictis nunc jam miseram me consolari.
PA. Nisi quid re præsidium apparas, Trachalio, acta hæc res est:
Certum'st moriri, quàm hunc pati *grassari* lenonem in me.
Sed muliebri animo sum tamen : miseræ *ubi venit* in mentem
Mihi mortis ; metus membra occupat edepol. *TR. etsi* hoc acerbum,
Bonum animum habete. *PA.* nam, obsecro, unde *animus* mihi invenitur ?
TR. Ne, inquam, timete : assidite hîc in arâ. *AM.* istæc quid ara
Prodesse nobis *plus* potest, quàm signum in fano hîc intus
Veneris, quod amplexæ modò, unde abreptæ per vim miseræ ?
TR. Sedete hîc modò : ego hinc vos tamen tutabor. aram habete hanc
Vobis pro castris : mœnia hinc ego defensabo.
Præsidio Veneris malitiæ lenonis contrà incedam.
AM. Tibi auscultamus. &, Venus alma, ambæ te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrimantes, genibus nixæ,
Nos in custodiam tuam ut recipias, & tutêre :
Illos sceleslos, qui tuum fecerunt fanum parvi,
Ut ulciscare, nosque ut hanc tuâ pace aram obsidere

INTERPRETATIO.

Quid, moror illas consolari ? Heus Palæstra ! PA. *Quis me nominat ?* TR. *Heus, Ampelisca.* AM. *Quæso, quis est qui me nominat ?* PA. *Quis est ille qui appellat ?* TR. *Si retrò spectaveris, videbis quis te vocet.* PA. *O spes meæ salutis.* TR. *Sile, ac esto æquo animo : intuere me.* PA. *Da operam, si fieri possit, ne mihi afferatur vis : quæ vis me cogit mihi violentas manus afferre ?* TR. *Ah, ne sic loquaris ; es injulsior.* AM. *Ne mihi afferas solatium tuis verbis.* PA. *Nisi afferas reverà aliquod auxilium, ô Trachalio, actum est de me : deliberatum est mortem obire potius, quàm sinere hunc lenonem invadere in me. Attamen sum animo muliebri : quando mors venit in animum, timor occupat artus.* TR. *Quamvis hoc est crudele, estote æquo animo.* PA. *Nam, quæso, unde mihi adesset animus ?* TR. *Ne metuite, inquam : considete hîc ad aram.* AM. *Quid ista ara nobis magis salutaris erit, quàm imago Veneris, quæ est in hoc Templo, quam sumus amplexæ modò, & unde sumus avulsæ vi apertâ ?* TR. *Sedete hîc : ego vos defendam, ne hinc avellamini : hæc ara vobis erit vallum ; ego propugnabo muros. Ibo obviam nequitiæ lenonis, favente Venere.* AM. *Te audimus, ô* Trachalio. *Et te obtestamur utraque, ô Venus alma, flentes amplexæ hanc aram tuam, provolutæ genibus, ut nos admittas in tuum præsidium & tutelam, ut animadvertas illos in sceleratos, qui aspernati sunt tuum delubrum, & ut liceat per te occupare hanc tuam aram,*

ANNOTATIO.

30. *Mania defensabo.*] Pro, *hîc vobis ero præsidio.*

Patiâre, quæ elautæ ambæ ſumus operâ Neptuni noctu:
Ne inviſas habeas, neve iccirco nobis vitio vortas,
Si quippiam'ſt, minus quod bene eſſe lautum arbitrâre.
TR. Æquum has petere intellego: decet abs te id impetrarier.
Ignoſcere his te convenit: metus has, id ut faciant, ſubigit.
Te ex conchâ natam eſſe autumant: cave tu harum conchas ſpernas,
Sed optumè eccum exit ſenex, patronus mihique & vobis.

INTERPRETATIO.

quæ ſumus lautæ utraque hâc nocte à Neptuno: ne ſimus tibi odioſæ, & ne nobis crimini vertas, ſi eſt aliquid quod putes non eſſe ſatis bene lautum. TR. *Video has rogare quod par eſt. Oportet eas obtinere id à te. Expedit te his parcere: timor eas cogit, ut amplectantur tuam aram. Sciunt te genitam ex conchâ: vide ne tu contemnas harum conchas. Sed ecce ſenex prodit opportunè, qui eſt meus patronus & veſter.*

ANNOTATIO.

42. *Cave tu conchas ſpernas.*] In mundo muliebri eſſe ſolebant conchæ multæ; aliæ quibus in vultum aqua inſtillaretur ad lavandum; aliæ in quibus purpuriſſum aut ceruſſa ad pingendum vultum; aliæ in quibus odores reponerentur. Mundum autem muliebrem duarū puellarum periiſſe putabat Trachalio. Nonnulli hæc verba detorquent in obcœnum ſenſum.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

ADEST Dæmones cum lorariis; mandat Sparaci & Turbalioni, ut in os Labracis pugnum impingant; parent.

DÆMONES ſenex, LABRAX leno, PALÆSTRA, AMPELISCA mulieres duæ, LORARII, TRACHALIO ſervus.

DÆMONES.

EXI è fano, natum quantum eſt hominum ſacrilegiſſime.
Vos in aram abite ſeſſum. ſed ubi ſunt? *TR.* huc reſpice.
DÆ. Optumè. *LO.* iſtuc volueramus. jube modò accedat propè.
DÆ. Túne legirupionem hîc nobis cum dîs facere poſtulas?

INTERPRETATIO.

DÆ. *Egredere è Templo ſceleratiſſime omnium hominum, qui hactenus nati ſunt. Vos puellæ pergite occupatum aram; ſed ubi ſunt* puellæ. TR. *Aſpice huc.* DÆ. *Benè eſt.* LO. *Optabamus illud. Impera jam* ut leno *veniat propius.* DA. *Visne violator legum ſacrificare Diis nobiſcum?*

ANNOTATIONES.

2. *Seſſum.*] Jubet Dæmones puellas ſedere ad aram Veneris. Veteres enim ſedentes adorabant Deos ſuos.

4. *Tûne legirupionem.*] *Legirupio*, à legibus rumpendis, ſeu violandis; id eſt, túne putas, ô leno, nos paſſuros te, qui

Pugnum in os impinge. *LA.* iniqua hæc patior cum pretio tuo.
DÆ. At etiam minitatur audax! *LA.* jus meum ereptum est mihi,
Meas mihi ancillas invito me eripis. *TR. ergo dato*
De senatu Cyrenensi quemvis opulentum *arbitrum*,
Si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas,
Nivé te in carcerem compingi est æquum, ætatémque ibi
Te usque habitare, donec totum carcerem contriveris.
LA. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler.
Te ego appello. *DÆ.* cum istoc primùm, qui te novit, disputa.
LA. Tecum ago. *TR.* atqui mecum agendum'st. suntne illæ ancillæ tuæ?
LA. Sunt. *TR.* agedum ergo, tange utramvis digitulo minimo modò.
LA. Quid, si attigero? *TR.* extemplò hercle ego te follem pugilatorium
Faciam, & pendentem incursabo pugnis, perjuriſſime!
LA. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de arâ abducere?
DAE. Non licet: ita est lex apud nos. *LA.* Nihil cum vestis legibus,
Nihil est commercii. equidem istas jam ambas educam foras.
Tu senex, si istas amas, huc arido argento'st opus.

INTERPRETATIO.

Incute pugnum in os. LA. *Perfero id injustè; sed dabis pœnas.* DÆ. *At temerarius minas intentat etiamnum!* LA. *Mea justa sunt ablata, mihi adimis invitò meas ancillas.* TR. *Igitur sume quemvis judicem locupletem de Senatu Cyrenensi, ut statuat, si tuæ sint, an non oporteat eas esse liberas, & utrum non sit par te conjici in carcerem, & te in eo manere, usque eodum detriveris universum carcerem.* LA. *Auspicia non mihi ostenderunt hodiernâ die, ut differerem cum isto cruciario. Ego te appello ad judicem Dæmones.* DÆ. *Litiga antea cum illo, cui notus es.* LA. *Lis est mihi tecum.* TR. *Sed tibi decertandum est mecum. Illæ mulieres suntne tuæ ancillæ?* LA. *Sunt.* TR. *Age ergo, admove ad alterutram, vel minimum digitum.* LA. *Quid fiet si admovero?* TR. *Profectò ego te agitabo illicò, ut follem pugilatorium; persequar pugnis suspensum in aëre, infidissime!* LA. *Prohibebor avocare ab arâ Veneris meas ancillas?* DÆ. *Prohibeberis: est ejusmodi lex apud nos.* LA. *Nullum habeo commercium cum vestris legibus. Profectò jamjam extraham foràs istas duas. Tu verò, senex, si diligis istas, opus est præsenti pecuniâ.*

ANNOTATIONES.

violator es legum, nobiscum sacrificium offerre? Nimirum etiam ab Ethnicis putabatur sacrificium non nisi puris manibus offerendum. Itaque Dæmones labracem lenonem ejicit è Templo; aut certè se dicit eo consilio ejicere, ne suum sacrificium minimè gratum sit Deæ, si homo impurus interfit.

5. *Cum pretio.*] Id est, *cum malo tuo.* Horatius: *Et peccare nefas, aut pretium est mori:* id est, *mors pretium peccati.*

12. *Isti rei auspicavi.*] Non hodie primum consilium cepi.

16. *Follem pugilatorium.*] *Follis pugilatorius* est vesica, seu pellis vento distenta. Pugilatorius à pugil, & pugil à pugno. In eo ludo certatur ne terram attingat follis, sed semper sit in aëre sublimis.

21. *Arido argento.*] Siccum, seu *aridum argentum* dicitur; ut differat ab hydrargyro; quasi dicas humido, liquido. Hic putavero Labracem de *arido argento* mentionem facere, quia de Virginibus aquâ marinâ manantibus agitur; quasi dicat: madidæ quidem illæ sunt; sed siccâ pecuniâ tibi opus est, si eas emere vis.

DÆ. Hæ autem Veneri complacuerunt. *LA.* habeat, si argentum dabit.

DÆ. Do tibi argentum. nunc adeò ut scias meam sententiam,
Occipito modò illis afferre vim joculo pausillulum,
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris.
Vos adeò, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis;
Quasi myrteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.
LA. Vi agis mecum. *TR.* etiam vim opprobras, flagitii flagrantia?
LA. Tun' trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
TR. Fateor, ego trifurcifer sum: tu es homo apprimè probus.
Num quî minus hasce esse oportet liberas? *LA.* quid, liberas?
TR. Atque heras tuas quidem hercle, atque ex germanâ Græciâ:
Nam altera hæc est nata Athenis ingenuis parentibus.
DÆ. Quid ego ex te audio? *TR.* hanc Athenis esse natam liberam?
DÆ. Mea popularis, obsecro, hæc est? *TR.* non tu Cyrenensis es?
DÆ. Imò Athenis natus altusque educatusque Atticis.
TR. Obsecro, defende cives tuas, senex. *DÆ.* ô filia [mones,
Mea! cùm ego hanc video, mearum me absens miseriarum com-
Trima quæ periit mihi: jam tanta esset, si vivit, scio.
LA. Argentum ego pro istisce ambabus, cujæ erant, domino dedi?

INTERPRETATIO.

DÆ. At hæ sunt gratæ Veneri. LA. *Si* Venus *numeret pecuniam, ei dabuntur.* DÆ *Tibi numero pecuniam. Demum, ut teneas meam mentem, incipe illis facere vim tantillum vel joco; ego te dimittam hinc ita comptum, ut ignores quis sis. Tum vos,* ô Lorarii, *nisi statimatque vobis nutu significavero, illi erueritis oculos de capite, ego vos succingam virgis, itaut cinguntur myrteta junco.* LA. *Contendis mecum vi.* TR. *Mihi objicis quoque vim, flagitiosissimè?* LA. *Tuque trinâ cruce dignus, adeò temerarius es, ut mihi insultes verbis?* TR. *Haud nego, ego sum dignus trina cruce: tu es homo apprimè probus. An oportet idcircò eas non esse liberas?* LA. *Quid* dicis, *liberas?* TR. *Et quidem tuas heras, & ex verâ Græciâ: nam hæc altera est nata Athenis parentibus liberis.* DÆ. *Quid ego audio ex te?* TR. *Hanc esse natam liberam Athenis.* DÆ. *Hæc est mea civis, quæso?* TR. *Non tu es Cyrenensis?* DÆ. *Imò sum ortus Athenis in Atticâ, nutritusque & instructus.* TR. *Propugna, ô senex, quæso, tuas populares.* DÆ. *O mea filia! quando ego conspicio hanc, mihi refricas memoriam, quam vis absens, meæ orbitatis. Hæc perdita est nata tribus annis si vivit, est tanta,* quanta est hæc. LA. *Ego numeravi pecuniam domino, ad quem pertinebant, pro hisce duabus:*

ANNOTATIONES.

23. *Do tibi argentum.*] Per ironiam dictum.

26. *Exoculassitis.*] Si oculos ipsi non erueritis. Cyprianus: *Cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis oculare.*

27. *Quasi myrteta.*] Fasciculi myrtorum junco colligati Veneri offerebantur. Est enim myrtus Veneri sacra: similitudo capta è re nata, quia versabantur in Templo Veneris, & fortè ante oculos erant ejusmodi fasces quando hæc dicebat Dæmones: quasi dicat; vos sic succingam flagris, ut succinguntur myrthei fasciculi: id dicit ad significandas lorariorum vires in verberando.

Quid meâ refert, hæ Athenis natæ, an Thebis sient,
Dum mihi rectè servitutem serviant? *TR.* itáne impudens,
Túne hîc felles virginalis liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quæstu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ sit, profectò nescio,
Nisi scio probiorem hanc esse, quàm te, impuratissime.
LA. Tuæ istæ sunt? *TR.* contende ergò, uter sit tergo verior.
Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo,
Quàm ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissimus:
Postea aspicito meum, quando ego tuum inspectavero,
Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optimum esse opere faciundo corium, & sinceriſſimum;
Quid caussæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
Quid illas spectas? quas si attigeris, oculos eripiam tibi.
LA. Atqui, quia vetas, utramque jam mecum abducam simul.
DÆ. Quid facies? *LA.* Volcanum adducam, is Veneris est adversarius.
DÆ. Quò illic it? *LA.* heus ecquis hic est? heus. *DÆ.* si attigeris ostium,
Jam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis.

Interpretatio.

quid meâ interest, si hæ sint natæ Athenis, an Thebis, dummodò mihi ministrent benè? TR. *Siccine impudens prædo virginum, tu habebis hîc liberos subductos parentibus, & expones ad indignum lucrum? Nam non constat quidem, quæ sit patria hujus alterius; unum scio hanc esse meliorem te, ô homo impure.* LA. *Istæ sunt tuæ?* TR. *Decerta mecum scapulis nudatis uter sit mendacior. Nisi geras plures vibices in tuo tergo impressas, quàm navis longa clavos, tum ego sum mendacissimus. Deinde, quando ego conspexero tuum tergum, aspice meum, nisi erit tam integrum, ut quivis ampularius dicat esse optimum corium, & integerrimum in faciendo suo opere. Quamobrem non te plectam virgis usque ad satietatem? Quare eas intueris? Si eas attigeris, tibi effodiam oculos.* LA. *Atqui, quia prohibes, abducam jam utramque mecum.* DÆ. *Quid ages?* LA. *Adducam Vulcanum; ille est inimicus Veneris.* DÆ. *Quo it ille?* LA. *Heus ecquis est hic? heus.* DÆ. *Si vel attigeris limen, tibi fiet in ore messis pugnis tanquam furcis.*

Annotationes.

44. *Sublectos.*] Furto ablatos.

Conteres.] Id est, conterendas dabis: flagitii plena vox; unde Tribades, & Pædotribæ.

48. *Offerumentas.*] Plagæ & vibices. Festus: *Offerumenta sunt quæ offeruntur præsertim Diis. Donaria autem Deorum parietibus Templorum defigebantur.* Sic plagæ & vibices tergo offeruntur, & quasi defiguntur.

51. *Ampullarius.*] Qui ampullas facit, id est, lagenas coreaceas. Recentiores vocaverunt *pilascas*, quasi dicas *pelliceas: flacons.* Isidorus: *vas vinarium ex corio.* Varro: *antiquissimi in conviviis utres vini primò, posteà tinas ponebant.*

58. *Mergis pugneis.*] *Mergi* est, aut à mergus, vel à merga. Mergi aves sunt, quæ crebrò aquas subeunt. Vernaculè, *un plongeon.* Minatur Dæmones pugnos tam crebrò esse Labracis ore condendos, quàm merguntur in aquâ Mergi. *Mergæ* verò, autore Festo: *Sunt furculæ quibus acervi frugũ fiunt, dictæ à volucribus*

LO. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis.
DÆ. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflandi copia'st.
LA. Ibo hercle aliquò quæritatum ignem. *DÆ.* quid, cùm inveneris?
LA. Ignem magnum hîc faciam. *DÆ.* quin ut humanum exuras tibi.
LA. Imò hasce ambas hîc in arâ ut vivas comburam. *DÆ.* id volo:
Nam hercle ego te barbâ continuò arripiam, & in ignem conjiciam,
Teque ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.
Cùm conjecturam egomet mecum facio, hæc illa est simia,
Quæ has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
Quod ego in somnis somniavi. *TR.* scin' quid? tecum oro senex,
Ut illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
DAE. Quære herum atque adduce. *TR.* at hic ne. *DAE.* maximo malo suo,
Si attigerit, sive occeptassit. *TR.* cura. *DAE.* curatum est, abi.
TR. Hunc quoque asserva ipsum, ne quò abitat. nam promisimus
Carnifici aut talentum magnum, aut hunc hodie sistere.

INTERPRETATIO.

LO. *Non est nobis ignis; manducamus ficos siccos.* DÆ. *Ego tradam ignem; nam potest accendi supra tuum caput.* LA. *Pergam sanè aliquò ad quærendum ignem.* DÆ. *Quid* ages *cum nactus fueris?* LA. *Excitabo hìc magnum ignem.* DÆ. *Videlicet ut tibi exuras sacrificium ferale.* LA. *Imò ut incendam hìc in arâ hasce ambas vivas.* DÆ. *Id velim* videre: *nam ego statim te occupabo barbâ, & præcipitem dabo in ignem, & te apponam ambustum escam prædatoriis avibus. Quando egomet conjicio mecum, est illa simia, qua vult detrahere crudeliter hirundines ex nido, ut ego vidi in somnis.* TR. *Scisne quid* agendum? *Te, obsecro senex, ut eas tuearis, arceas vim usque eodum reversus fuero cum meo hero.* DÆ. *Quære herum, atque revertere cum eo.* TR. *Sed interim vide, ne hic* attingat. DÆ. *Profectò, si vel attigerit, fecerit suo maximo periculo, vel si egressus fuerit.* TR. *Cura.* DÆ. *Est curatum, perge.* TR. *Observa etiam hunc ipsum, ne abeat aliquò. Videlicet polliciti sumus hodie carnifici, aut hunc tradere, aut magnum talentum, nisi traderemus.*

ANNOTATIONES.

mergis, quia ut illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur; sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos. De *mergis*, ac *mirgæ* hìc verba facere Plautus videtur, quia ibidem de messe mentio: quasi dicat, quemadmodum in messe demerguntur mergæ in manipulos; ita mergam in os tuum pugnos.

62. *Ut humanum exuras.*] Festus: *Sacrificium est humanum, quod mortui causâ fit.* Igitur exurere sibi humanum est se exurere.

65. *Ambustulatum.*] Cicero: *Simiustulatum.*

Magnis avibus.] Hoc nomine rapaces aves intelligit, ut vultures, aquilas, corvos.

68. *Tecum oro.*] Oro te.

71. *Occeptassit.*] Id est, *inceperit.*

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

DÆMONETEM inter & Labracem incrudeſcit magis magisque contentio de Palæſtra & Ampeliſca, uſque eodum ſuperveniat Pleuſidippus à Trachalione ſeruo ſubmonitus.

DÆMONES ſenex, LABRAX leno, PALÆSTRA, AMPELISCA, LORARII.

DAEMONES.

UTRUM, tu, leno, cum malo libentius
Quieſcis, an ſic ſine malo, ſi copia eſt?
LA. Ego, quæ tu loquere, flocci non facio, ſenex.
Meas quidem te invito, & Venere, & ſummo Jove,
De arâ capillo jam deripiam. *DAE.* tange dum.
TA. Tangam hercle verò. *DAE.* agedum ergò! accede huc modò.
LA. Jube dum recedere iſtos ambo illuc modò.
DAE. Imò ad te accedent. *LA.* non hercle egomet cenſeo.
DAE. Quid ages, ſe accedent propius? *LA.* ego receſſero.
Verùm, ſenex, ſi te unquam in urbe offendero,
Nunquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos peſſimos dimiſero.
DAE. Facito iſtuc quod minitaris. ſed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
LA. Quàm magnum verò? *DAE.* quantum lenoni ſat eſt.
LA. Minacias ego iſtas flocci non facio tuas.
Equidem te invito jam ambas rapiam. *DAE.* tange dum.
LA. Tangam hercle verò. *DAE.* tange! ſed ſcin, quomodo?

INTERPRETATIO.

DÆ. *Mavisne ceſſare, ô leno, cum infortunio, an ſine infortunio, quando potes?* LA. *Senex nihili pendo tua verba; ſtatim avellam etiam capillis de arâ meas mulieres te reclamante, & Venere, & ſummo Jove.* DÆ. *Vel admove manum.* LA. *Admovebo enim verò.* DÆ. *Age igitur! fer huc pedem.* LA. *Manda modò illos duos* lorarios *hinc abſiſtere.* DÆ. *Imò te convenient.* LA. *Profectò non eis autor ſim* ut accedant. DÆ. *Quid ages, ſi ſeſe conferant propius?* LA. *Ego abſiſtam. Sed ſi unquam te invenero in urbe, ô ſenex, nunquam quiſquam me vocaverit lenonem, ſi te ſivero abire, niſi ludificatum peſſimè.* DÆ. *Age id quod dicis te acturum. Sed interea ſi illis manum admoveris, dabis magnas pœnas.* LA. *Quantas verò?* DÆ. *Quanta ſatis erunt lenoni.* LA. *Ego nihili pendo iſtas tuas comminationes. Profectò in illas invadam duas, te reluctante.* DÆ. *Vel attinge illas.* LA. *Attingam enimverò.* DÆ. *Attinge! At intelligisne, quâ ratione?*

I dum, Turbalio, curriculo affer
Duas clavas. *LA.* clavas? *DAE.* sed probas: propera citò.
Ego te hodie faxo rectè acceptum, ut dignus es.
LA. Eheu! sceleſtus galeam in navi perdidi:
Nunc mihi opportuna hîc eſſet, ſalva ſi foret.
Licet ſaltem iſtas mihi appellare. *DAE.* non licet.
Ehem! optimè edepol, eccum, clavator advenit.
LA. Illud quidem edepol tinnimentum eſt auribus.
DAE. Agè accipe illanc alteram clavam, Sparax:
Agè alter iſtinc, alter hinc aſſiſtite.
Aſſiſtite ambo. ſic! audite nunc jam:
Si hercle illic illas hodie digito titigerit
Invitas, ni iſtunc iſtis invitaſſitis
Uſque adeò, donec, quà domum abeat, neſciat,
Periſtis ambo. ſi appellabit quempiam,
Vos reſpondetote iſtinc iſtarum vicem:
Sin ipſe abire hinc volet, quantum poteſt,
Extemplò amplectitote crura fuſtibus.
LA. Etiam me abire hinc non ſinent? *DAE.* dixi ſatis.
Et ille ubi ſervus cum hero huc advenerit,
Qui herum arceſſivit, itote extemplò domum.
Curate hæc ſultis magnâ diligentiâ.
LA. Heu hercle! ne iſtîc fana mutantur citò.
Jam hoc Herculis eſt, Veneris fanum quod fuit.

INTERPRETATIO.

I jam, Turbalio, affer duas clavas celeriter. LA. *Clavas?* DÆ. *Sed graves: accelera velociter. Ego curabo, ut excipiaris rectè, ſicut mereris.* LA. *Heu! infœlix amiſi caſſidem in navi: mihi eſſet nunc hîc commoda, ſi foret ſalva. Saltem mihi licitum eſt vocare injus iſtas* puellas. DÆ. *Non ſinam. Ehem! ecce opportunè clavarum faber accedit.* LA. *Profectò ille tinnitus eſt aurium.* DÆ. *Age, Sparax, ſume illam alteram clavam. Agite! adſtate unus ab hâc parte & alter ab illa. Adſtate uterque. Sic! auſcultate nunc: ſi hic illas contigerit hodiernâ die contra voluntatem vel digito, occidiſtis ambo, niſi exceptrix, ſic iſtis clavis iſtum, ut ignoret quà tetat ſuas ædes. Si vocaverit aliquem, vos reponite iſtinc vice iſtarum* puellarum: *ſi ipſe tentet proficiſci, ſtatim ſuccingite, quantum in vobis erit, ejus crura fuſtibus.* LA. *Non patientur quoque me proficiſci ex hoc fano.* DÆ. *Feci ſatis verborum. Et quando ille ſervus, qui ivit vocatum herum, ſeſe contulerit huc cum hero, revertimini è veſtigio in ædes. Curam agite harum rerum, ſi libet, ſedulò.* LA. *Heu! profectò templa ſubitò mutantur. Hoc templum, quod Veneris erat eſt, jam Herculis,*

ANNOTATIONES.

25. *Clavator.*] Qui clavam geſtat.

26. *Tinnimentum.*] *Clavam* intelligit. Quia cum caput eâ tunditur, aures tinnitum audiunt.

31. *Invitaſſitis.*] Metaphora ab iis ducta, qui largioribus poculis invitati, quà domum eant neſciunt. De lenone fuſtibus implendo loquitur. Vel ludit in verbis *invitas*, & *invitaſſitis*.

42. *Herculis.*] Hoc eò dicit leno, quòd Dæmones duos ſervos cum clavis juſſerat adſtare, ac ſi eſſent duæ ſtatuæ clavas ſicut Hercules gerentes. Silius: *Clavigeri venerantur numinis aras*, id eſt, *Herculis*,

Ita

Ita duo deſtituit Signa hîc cum clavis ſenex.
Non hercle quò hinc nunc gentium aufugiam ſcio,
Ita nunc mihi utrumque ſævit & terra & mare.
Palæſtra! *LO.* quid vis? *LA.* apage! controverſia eſt.
Hæc equidem Palæſtra, quæ reſpondit, non mea eſt.
Heus Ampeliſca! *LO.* caveſis infortunio.
LA. Ut poteſt, ignavi homines ſatis rectè monent.
Sed vobis dico, heus vos! num moleſtia eſt,
Me adire ad illas propiùs? *LO.* nihil nobis quidem.
LA. Nunquid moleſtum mihi erit? *LO.* nihil, ſi caveris.
LA. Quid eſt quod caveam? *LO.* hem à craſſo infortunio.
LA. Quæſo hercle, abire ut liceat. *LO.* abeas, ſi velis.
LA. Benè hercle factum! habeo vobis gratiam.
Non, accedam potiùs. *LO.* illic tu aſta illicò.
LA. Edepol proveni nequiter multis modis.
Certum'ſt haſce hodie uſque obſidione vincere.

INTERPRETATIO.

Idcircò ſenex collocavit has duas imagines tenentes clavas. Ego ignoro in quem locum me conferam, adeò terra & mare debacchantur nunc in me, Palæſtra! LO. *Quid rogas?* LA. *Apage! eſt certamen inter te & me. Profectò illa quæ* mihi *repoſuit, non eſt mea Palæſtra. Heus, Ampeliſca!* LO. *Vide, ſi libet, ne in te irruat malum.* LA. *Imbelles homines admonent prudenter, quantum in ſe eſt. At vobis dico, heus vos! vobune eſt moleſtum me accedere propiùs ad illas?* LO. *Non nobis quidem* erit moleſtum. LA. *Mihine erit acerbum?* LO. *Non erit ſi tibi cautum eſſe volueris.* LA. *A quo mihi cautum eſſe velim?* LO. *Hem à gravi infortunio.* LA. *Obſecro, ut concedatur hinc proficiſci.* LO. *Proficiſcere, ſi libet.* LA. *Profectò, eſt rectè factum! devinxiſtis me beneficio. Non proficiſcar; adibo potius ad eas propius.* LO. *Conſiſte tu illic ſtatim.* LA. *Profectò res proceſſerunt infeliciter multis rationibus. Deliberatum eſt haſce expugnare hodie.*

ANNOTATIONES.

43. *Deſtituit.*] Id eſt, ſtatuit, defigit. Cicero: *Deſtituit omnes ſervos ad menſam ante ſe.* Livius: *Duo armati in medio deſtituuntur.*

53. *Craſſo infortunio.*] Id eſt, à craſſis, & gravibus clavis impendente.

57. *Proveni.*] Proveniſſe dicuntur, qui re vel liberis aucti. Bene provenire: contrarium; nequiter provenire.

ACTUS TERTIUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

TANDEM Pleuſidippus Palæſtræ amator adeſt ad calamitatis Labracis cumulum. Rapit hominem ad Prætorem, quia Labrax eum fraudaverat arrhabone pro Palæſtra dato.

PLEVSIDIPPVS adolescens, TRACHALIO servus, PALÆSTRA, AMPELISCA mulieres duæ, LABRAX leno, LORARII, CHARMIDES.

PLEVSIDIPPVS.

MEAMNE ille amicam leno vi, violentiâ
De arâ deripere Veneris voluit? *TR.* admodum.
PL. Quin occidisti extemplò? *TR.* gladius non erat.
PL. Caperes aut fustem, aut lapidem. *TR.* quid ego, quasi canem?
Hominem insectarer lapidibus nequissimum?
LA. Nunc pol ego perii! Pleusidippus eccum adest:
Converret jam hic me totum cum pulvisculo.
PL. Etiámne in arâ tunc sedebant mulieres,
Cùm ad me profectus ire? *TR.* ibidem nunc sedent.
PL. Quis illas nunc illîc servat, *TR.* nescio quis senex,
Vicinus Veneris. is dedit operam optimam.
Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.
PL. Duc me ad lenonem rectâ. ubi illic est homo?
LA Salve. *PL.* nihil salutem moror. opta ocius;
Rapi te obtorto collo mâvis, an trahi?
Utrumvis opta, dum licet. *LA.* neutrum volo.
PL. Abi sanè ad littus curriculo, Trachalio:
Jube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent:

INTERPRETATIO.

PL. *ILle leno aggressusne est avellere meam amicam vi atque impetu in eas facto de arâ Veneris?* TR. *Maxime.* PL. *Quin interfeciſti è vestigio?* TR. *Non habebam ensem.* PL. *Debebas arripere, aut baculum, aut saxum.* TR. *Quid? Ego insequerer hominem sceleſtiſſimum saxis, quasi canem?* LA. *Nunc profectò ego interii! Adest Pleusidippus: hic me deterget jam funditus cum pulvere vel minimo.* PL. *Mulieres sedebantne tum ad aram, quando discessisti è Templo ut venires ad me?* TR. *Sedent ibidem etiamnum.* PL. *Quis eas custodit nunc in illo loco?* TR. *Nescio quis senex, finitimus* Templo *Veneris. Ille opitulatus est maximè. Ille tuetur nunc cum servis: ego eas illi commendavi.* PL. *Duc me rectà ad lenonem. Ubi est ille homo?* LA. *Salvus sis.* PL. *Non curo tuam salutem. Elige velociter; utrum libet raptari obtorto collo, an trahi? Elige utrum placuerit, dum potes.* LA. *Neutrum placet.* PL *Trachalio, perge, curre ad littus: impera illos occurrere mihi ad portum ubi proximum, qui venerunt mecum, ut hunc raperent ad tortorem:*

ANNOTATIONES.

9. *Profectus ire.*] Id est, cùm profectus es, ut ad me venires.

11. *Vicinus Veneris.*] Id est, *Templi Veneris.*

Post huc redito, atque agitato hîc custodiam:
Ego hunc scelestum in jus rapiam exulem.
Agè, ambula in jus. *LA.* quid ego deliqui? *PL.* rogas?
Quin arrabonem à me accepisti ob mulierem, &
Eam hinc abduxisti. *LA.* non avexi. *PL.* cur negas?
LA. Quia pol provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram præstò fore
Apud Veneris fanum: quid muto? sumne ibi?
PL. In jure causſam dicito: hîc verbum sat est:
Sequere. *LA.* obsecro te, subveni, mi Charmides!
Rapior obtorto collo. *CH.* quis me nominat?
LA. Viden' me ut rapior? *CH.* video, atque inspecto lubens.
LA. Non subvenire mihi audes? *CH.* quis homo te rapit?
LA. Adolescens Pleusidippus. *CH.* ut nactu'st, habe
Bono animo: melius est te in nervum correpere.
Tibi obtigit quod plurimi exoptant sibi.
LA. Quid id est? *CH.* ut id quod quærant, inveniant sibi.
LA. Sequere, obsecro, me! *CH.* pariter suades, qualis es.
Tu in nervum rapere: eò me obsecras, ut te sequar.
Etiam retentas? *LA.* perii. *PL.* verum sit velim!
Tu, mea Palæstra & Ampelisca, ibidem illicò
Manete, dum huc ego redeo. *LO.* equidem suadeo

INTERPRETATIO.

postea revertere huc, atque esto hîc in præsidiis: ego traham ad judicem hunc nefarium extorrem. Agè, perge ad prætorem. LA. *Quid ego commisi?* PL. *Petis? nonne dedi tibi arrhabonem pro muliere, & eam abstuliſti hinc?* LA. *Non abstuli.* PL. *Quare id inficias?* LA. *Quia protuli; infœlix, non potui auferre. Equidem pollicitus eram me affuturum apud delubrum Veneris: nonne sto promissis? Versorne in hoc* Templo? PL. *Perorabis causam apud judicem: est satis verborum: sequere.* LA. *Obtestor te, mi Charmides! Fer opem; trahor obtorto collo.* CH. *Quis me nominat?* LA. *Cernisne quemadmodum ego trahor?* CH. *Cerno, atque conspicor ultrò.* LA. *Non vis mihi ferre opem?* CH. *Quis homo te trahit?* LA. *Adolescens Pleusidippus.* CH. *Perfer animo æquo malum, quod tibi accidit. Præstat te mitti in vincula.* Cæterum *id quod plurimi expetunt tibi evenit.* LA. *Quid est?* CH. *Ut reperiant id quod quærunt.* LA. *Quæso, sequere me!* CH. *Das consilium dignum te: tu in vincula traheris, & me obtestaris, ut te comiter. Etiam apprehendis?* LA. *Interii.* PL. *Utinam sit verum! Tu, mea Palæstra & Ampelisca, manete ibidem illic usque eodum ego revertar huc.* LO. *Profectò si mihi credant,*

ANNOTATIONES.

10. *Agitato custodiam.*] *Agitare vigilias; agitare excubias*, idem.

11. *In jus.*] Id est, ad locum Judiciorum, sive ad sellam Prætoris.

23. *Ob mulierem.*] Id est, pro muliere.

27. *Quid muto.*] Id est, quid contra promissum facio, nonne sum in Templo?

33. *Ut nactu'st.*] Ut tibi accidit.

36. *Inveniant sibi.*] Id est, te damnum & malum inveniat. Horatius: *Rarò antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo.*

37. *Pariter suades qualis es.*] Id est, malus malè consulis.

Ut ad nos abeant potiùs, dum recipis. *PL.* placet:
Benefacitis. *LA.* fures mihi estis. *LO.* quid, fures? *PL.* rape.
LA. Oro, obsecro, Palæstra. *PL.* sequere, carnifex.
LA. Hospes! *CH.* non sum hospes: repudio hospitium tuum.
LA. Siccine me spernis? *CH.* sic ago: semel bibo.
LA. Di te infelicent. *CH.* isti capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier.
Illic in columbum, credo, leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo pòst erit:
In nervum ille hodie nidamenta congeret.
Veruntamen ibo, ei advocatus ut siem,
Si quî meâ operâ citius addici potest.

INTERPRETATIO.

pergant potiùs in nostras ædes, donec eas recuperes. PL. *Placet: facitis rectè.* LA. *Estis prædones mearum fortunarum.* LO. *Quid dicis, fures?* PL. *Trahe.* LA. *Rogo, obtestor, Palæstra.* PL. *Sequere, carnifex.* LA. *Hospes!* CH. *Non sum hospes: recuso tuum hospitium.* LA. *Itane verò me contemnis?* CH. *Sic ago: nolo potare denuo* aquam marinam. LA. *Dii te perdant.* CH. *Impretare* id *capiti* tuo. *Arbitror alios homines mutari in aliam belluam. Credo illum lenonem mutari in columbam: nam ejus collum erit mox in vinculo columbario: ille conferet hodie res idoneas nido struendo in carcerem. Attamen pergam, ut ei patrociner, ut addicatur* Pleusidippo *velocius meâ ope.*

ANNOTATIONES.

46. *Semel bibo.*] Quasi dicat Charmides Labraci; semel periclitatus sum tecum; non periclitabor iterum. Tempestatis recordatur.

47. *Te infelicent.*] Id est, te infœlicitent; infœlicem reddant.

50. *In columbari.*] Columbar est genus vinculi, quo inseritur collum reorum, quasi dicas collarium.

51. *In nervum.*] *Nervus*, quodvis genus vinculi.

Nidamenta.] Pergit ludere in verbo columbar, quasi non vinculum, sed peristerostrophium significet: ludit autem in hoc verbo Poëta; nam quia columbar est, & vinculi genus ad continendos reos, & foraminis, in quo ponit columba nidum, dicit Labracem lenonem vulturem rapacem esse mutandum in columbam, quia in columbari insertum habebit collum.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

INTEREA dum rapitur in judicium Labrax à Pleusidippo, Grypus retibus suis educit è mari vidulum Labracis, in quo erant &

divitiæ Labracis & ciſtella Palæſtræ, in quâ erant incluſa crepundia, quibus in conſpectu Dæmonetis depromptis agnoſcit ipſe Dæmones Palæſtram eſſe filiam ſuam.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

DÆMONES gratulatur ſibi, quòd auxilium tulerit duabus Virginibus Palæſtræ & Ampeliſcæ.

DÆMONES ſenex.

BENE FACTUM, & volupe eſt, hodie me his mulierculis
Tetuliſſe auxilium. jam clientas repperi,
Atque ambas formâ ſcitulâ atque ætatulâ.
Sed uxor ſceleſta me omnibus ſervat modis,
Ne quî ſignificem quippiam mulierculis.
Sed Gripus ſervus noſter, quid rerum gerat
Miror, de nocte qui abiit piſcatum ad mare.
Pol magis ſapiſſet, ſi dormiviſſet domi.
Nam nunc & operam ludos facit, & retia:
Ut tempeſtas eſt nunc, atque ut noctu fuit.
In digitis hodie percoquam quod ceperit;
Ita fluctuare video vehementer mare.

INTERPRETATIO.

ACtum rectè, & eſt jucundum, me fuiſſe auxilio hus mulieribus. Habeo jam clientas, atque duas egregias pulchritudine atque ætate. Sed moleſta conjux me obſervat omnibus rationibus, ne dem aliquod indicium amoris *mulierculis. At ſcire velim, quid agat Grypus, noſter ſervus, qui ivit piſcatum hâc nocte ad mare. Feciſſet melius, ſi ſomno indulſiſſet domi. Nam perdit nunc & operam & retia; adeò magna tempeſtas eſt nunc, & fuit nocte. Coquam hodie in digitis quod piſcatus fuerit; adeò mare agitatur vehementer.*

ANNOTATIONES.

1. *Mulierculis.*] *Mulierculæ* alibi nonnunquam per contemptum; quaſi dicas mulieres ſortis infimæ. Hìc laudi tribuitur; quaſi dicas mulieres juvenes, ſeu virgines adoleſcentes.

3. *Formâ ſcitulâ.*] *Scitula*, à *ſcita*; ſed diminutivo utitur ad blandiendum.

5. *Ne qui.*] Id eſt, ne *aliquo modo.*

8. *Sapiſſet.*] Pro, *ſapuiſſet.*

11. *In digitis.*] Hyperbolica parœmia: tam parum piſcium capiet Grypus, quàm in digitis, ſeu in crate *torreri* poſſit.

Sed ad prandium uxor me vocat; redeo domum;
Jam meas opplebit aures suâ vaniloquentiâ.

INTERPRETATIO.

Sed uxor me monet ire ad prandium; revertor in ædes: ejus loquacitas vana obtendet meas aures.

ANNOTATIO.

14. *Opplebit.*] Alii *oppilabit*. Lucretius: *Congestus arenas oppilat ostia*, id est, *ostia* fluviorum implet & occludit. *Oppilatio* aurium dicitur *obstructio*. Cicero: *Nisi se ille sub scalas tabernæ librariæ conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset*. *Oppilare* est, quasi pilâ injectâ obstruere.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SIBI educto è mari vidulo Labracis, in quo divitiæ Labracis erant, & cistella Palæstræ, sumptus suos futuros copiosissimè enumerat Grypus, & ex Grypo fieri Regem sibi proponit.

GRYPVS piscator.

NEPTUNO has ago meo patrono gratias,
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Cùm me ex suis pulcrè ornatum expedivit
Templis reducem, plurimâ prædâ onustum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi compotivit.
Miróque modo atque incredibili hic piscatus mihi
Lepidè evenit: neque piscium ullam unciam hodie
Pondo cepi, nisi hoc quod fero hîc in rete.

INTERPRETATIO.

EGo ago gratias Neptuno meo Deo tutelari, qui habitat in locis salsis, quæ abundant piscibus, quia me dimisit ex suis Templis egregiè instructum, & me reduxit huc oneratum maximo quæstu, salvâ navi piscatoriâ, quæ me cumulavit, hac piscatione novâ & fœlici in mari infesto fluctibus. Hæc piscatio jucunda mihi contigit, & ratione mirâ atque præter expectationem: neque cepi hodiè ullos pisces, præter id quod gero in hoc rete.

ANNOTATIONES.

2. *Incolit locis pisculentis.*] Pro *habitat in locis pisculentis*.

4. *Templis.*] Neptuni templa fluctus sunt.

5. *Salute horiæ.*] Id est, salvâ atque incolumi horiâ. Horia autem est navicula piscatoria.

6. *Compotivit.*] Id est, compotem fecit.

Nam ut de nocte multâ impigréque exſurrexi,
Lucrum præpoſivi ſopori & quieti:
Tempeſtate ſævâ experiri expetivi
Paupertatem heri, quî & meam ſententiam
„Tolerarem, operâ haud fui parcus meâ. NIMIS HOMO
„NIHILI EST, QUI piger eſt: nimisque id genus odi ego malè.
„VIGILARE DECET hominem, qui vult ſua tempori conficere officia.
Non enim illum exſpectare oportet, dum herus ſe ad ſuum ſuſcitet officium.
„Nam qui dormivit libenter, ſine lucto & cum malo quieſcunt.
Nam ego nunc mihi, qui impiger fui, repperi, ut piger ſi velim ſiem.
Hoc ego in mari, quidquid ineſt, reperi: quicquid ineſt, grave quidem eſt: aurum
Hîc ego ineſſe reor. nec mihi conſcius eſt ullus homo. nunc hæc tibi Occaſio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo Prætor te.
Nunc ſic faciam, ſic conſilium eſt, ad herum ut veniam doctè atque aſtutè.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut ſim liber.
Jam ubi liber ero; igitur demum inſtruam agrum, ædes, mancipia:
Navibus magnis mercaturam faciam: apud reges rex perhibebor.
Pòſt animi cauſsâ mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum:

INTERPRETATIO.

Quando enim ſurrexi diligenter de mediâ nocte, pratuli quæſtum ſomno & quieti: exoptavi ut mihi contingeret quo levarem paupertatem heri, & meam ſervitutem. Non peperci meo labori. Qui eſt negligens eſt nihili faciendus: & ego averſor ejuſmodi homines. Oportet hominem eſſe vigilem, qui gaudet fungi ſuo officio tempeſtivè. Nam non par eſt quieſcere, uſque dum herus eum excitet, ut obeat ſuum munus. Nam qui ſomno delectantur non faciunt quæſtum, & ſibi accerſunt infortunium. Nam ego qui fui diligens, inveni id cujus operâ poſsim quieſcere, ſi libeat. Ego inveni in mari, hoc quidquid ſit. Quidquid ineſt, eſt ſanè grave: ego arbitror ineſſe aurum. Neque ullus eſt qui ſciat mecum. Hoc tibi obtigit nunc, ô Grype, ut Prætor te inſignem faciat inter populares. Agam ſic nunc; ſic decrevi, ut conveniam herum prudenter & callidè. Offeram paulatim pecuniam pro me ut manumittar. Deinde quando ero liber; concinnabo villam, extruam domum, *mancipia* parabo, *faciam mercaturam magnis navibus; habebor rex inter reges. Deinde condam navem animi gratiâ exemplo Stratonicum;*

ANNOTATIONES.

14. *Tolerarem.*] Saluſtius: *Tolerare inopiam mercede manuum.* Virgilius:
Tolerare colo vitam tenuique Minerva.
16. *Tempori.*] *Tempeſtivè.*
21. *Expopulo.*] Alii extemplo. Adumbratur hic lætitia hominis, qui ſemper in ſummâ inopiâ ſit verſatus, & qui nunc primùm habet aliquid. Ille enim ſibi videtur habere non vidulum, qui ne ſic quidem gravis eſt, ut portare non poſſit; ſed montem quendam aureum ærariumque totius reipublicæ.
25. *Igitur demum.*] Tum demum.
27. *Navem faciam.*] De navi cubiculatâ & luſoriâ loquitur, quæ Thalamegus dicitur & Parada. Hæc autem navis

Oppida circumvectabor. ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum communibo: ejiego urbi Gripo indam nomen,
Monimentum meæ famæ & factis: ibique regnum magnum instituam.
Magnas res hîc agito in mentem instruere. nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pransurus est & sale, sine bono pulmento.

INTERPRETATIO.

circumnavigabo per urbes: quando meum nomen erit nobilitatum, condam magnam urbem: ego eam vocabo nomine meo Grypum, ut sit monumentum meæ celebritatis & facinorum: inibi faciam fundamenta magni regni. Statuo in animo meliri res magnas. Nunc occultabo hanc peram. Sed prandium hujus regis erit acetum & sale, cum malo cibo.

ANNOTATIONES.

erat tecta, ut tamen liber esset venti, ad refrigerandos eos qui in eâ versarentur, transitus: intus autem erat toris & culcitris strata. Hujus usus erat in Garumnâ frequentissimus.

Stratonicum.] Stratonicus fuit quæstor Regis Philippi, & deinde Alexandri Magni filii, quem rectè vocaverimus Crassum Græcorum propter divitias, ut Crassus fuit Stratonicus Romanorum.

33 *Sed hic rex.*] Paucis contrahit apparatum cœnæ servilis, cujus condimentum est universum sal & acetum.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

GRYPUM educentem ex aquâ vidulum Labracis, Trachalio servus Pleusidippi videt; statim recordatur eorum quæ dixit Palæstra in Templo Veneris: decidisse in mare vidulum in quo divitiæ omnes Labracis lenonis erant, & cistella, in quâ crepundiâ erant, quibus posset agnoscere parentes. Accedit. Contendit vidulum sibi esse dividendum cum Grypo. Grypus recusat. Arbitrum eligunt Dominum villæ vicinæ Dæmonetem, quem ignorat Trachalio esse herum Grypi.

GRYPVS piscator, TRACHALIO servus.

TRACHALIO.

HEus mane. *GR.* quid maneam? *TR.* dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.

INTERPRETATIO.

HEus, tu Grype, *consiste*. GR. *Quare consistam?* TR. *Donec ego tibi complicem hunc funem nauticum quem trahis.*

ANNOTATIO.

1. *Rudentem.*] *Rudens*, Nonius: *Funis nauticus*, Utriusque generis.

„*GR.* Mitte

„ *GR.* Mitte modò. *TR.* at pol ego te adjuvabo. nam BONIS QUOD
BENEFIT, haud perit. *GR.* turbida tempestas heri fuit,
Nihil habeo, adolescens, piscium: ne tu mihi esse postules.
Non vides, referre me uvidum rete, sine squamoso pecu?
TR. Non edepol pisces expeto, quàm tui sermonis sum indigens.
GR. Enicas jam me odio, quisquis es! *TR.* non sinam ego abire
hinc te. mane.
GR. Cavesis malo. quid tu, malùm, nam me retrahis? *TR.* audi.
GR. Non audio. *TR.* at pol quin audies. *GR.* quin pòst loquere
quid vis.
TR. Eho, modò est operæ pretium quod tibi ego narrare volo.
GR. Eloquere, quid id est? *TR.* vide num quispiam consequitur
prope nos.
GR. Ecquid est quod meâ referat? *TR.* scilicet! sed boni consilii
Ecquid in te mihi est? *GR.* quid negotii est? modò dic. *TR.* dicam,
Tace-, si fidem modò das mihi te non fore infidum.
GR. Do fidem tibi, fidus ero, quisquis es. *TR.* audi. furtum
ego vidi
Qui faciebat: noveram dominum, id cui fiebat: post ad
Furem egomet devenio, feroque ei conditionem hoc pacto:
Ego istuc furtum scio cui factum est. nunc mihi si vis
Dare dimidium, indicium domino non faciam. is mihi nihil
Etiam respondit. quid inde æquum est dari mihi? dimidium
Volo ut dicas. *GR.* imò hercle etiam amplius: nam nisi dat, do-
mino dicundum

INTERPRETATIO.

GR. Ne me retine. TR. *Sed ego tibi opitulabor. Nam beneficium quo afficiuntur viri probi, non perditur.* GR. *Mare fuit hesternâ die procellis infestissimum; adolescens, nulli sunt mihi pisces: ne arbitreris mihi esse. Non cernis me reportare retia madentia, sine ulla pecude squammatâ.* TR. *Per ædem Pollucis non* tam à te *postulo pisces, quàm ego tuis verbis.* GR. *Mihi vitam adimis odio, quisquis es!* TR. *Ego non patiar te discedere hinc: consiste.* GR. *Cave si libet* ab incommodo. *Quare me revocas, malum?* TR. *Ausculta.* GR. *Non auscultо.* TR. *At per Pollucem auscultabis.* GR. *Quin dicis, quod cupias.* TR. *Eho! est res magni momenti quam tibi opto proponere.* GR. *Dic, quid sit illud.* TR. *Observa an aliquis nos subsequatur.* GR. *Quid meâ interest?* TR. *Scilicet! Sed quod bonum consilium mihi dabis!* GR. *Quid rei est? cedo.* TR. *Eloquar: sile, si mihi spondes te fore fidum.* GR. *Tibi spondeo; ero fidus, quisquis es.* TR. *Ausculta; ego vidi* hominem *qui committebat furtum: dominus in quem id committebatur, mihi erat notus. Postea ego accedo ad prædonem, & ei propono conditionem hoc modo: is in quem commissum est hoc furtum, mihi notus est. Nunc si libet mihi tribuere dimidiam partem, non indicabo furtum domino. Is nihil mihi adhuc reposuit. Quid par est mihi tribui? Opto ut dicas dimidium.* GR. *Imò per Herculem adhuc amplius etiam: nam nisi tribuat, existimo esse aperiendum Domino.*

ANNOTATIO.

5. *Sine squammoso pecu.*] Sine piscibus. *Periphrasis.* Lucretius: *Squammigerum pecudes*, id est, pisces.

Censeo. *TR.* tuo consilio faciam. nunc advorte animum:
Namque hoc attinet omne ad te. *GR.* quid est factum? *TR.* vidulum
Istum, cujus ille est, novi ego hominem jampridem. *GR.* quid est?
TR. Et quo pacto periit. *GR.* at ego quo pacto inventu'st scio,
Et qui invenit, hominem novi: & dominus qui nunc est, scio.
Nihilo pol pluris tuâ hoc, quàm quanti illud refert meâ.
Ego illum novi, cujus nunc est; tu illum, cujus antehac fuit.
Hunc homo feret à me nemo: ne túte speres potius. *TR.* non ferat,
Si dominus veniat? *GR.* dominus huic nemo, ne frustra sis,
Nisi ego, nemo natu'st; hunc qui cepi in venatu meo.
TR. Itáne verò? *GR.* ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos cùm capio, siquidem cepi, mei sunt; habeo pro meis:
Nec manu asseruntur; neque illinc partem quisquam postulat.
„ In foro palàm omnes vendo pro meis venalibus.
Mare quidem commune certò'st omnibus. *TR.* assentio,
Qui minus hunc communem quæso mihi esse oportet vidulum?
In mari inventu'st, commune est. *GR.* næ impudenter impudens!
Nam si istuc jus sit, quod memoras, piscatores perierint:
Quippe cùm extemplò in macellum pisces prolati sient,
Nemo emat: suam quisque partem piscium poscat sibi:
Dicat, in mari communi captos. *TR.* quid ais, impudens?
Ausus etiam comparare vidulum cum piscibus?

Interpretatio.

TR. *Sic agam te suadente. Nunc animadverte: namque hæc omnia spectant ad te.* GR. *Quid est actum?* TR. *Homo ad quem pertinet ille vidulus, ille mihi est notus jamdudum.* GR. *Quid est?* TR. *Et quo modo perditus est.* GR. *At ego novi quo pacto est repertus, & homo qui eum reperit mihi est notus. Et quis sit nunc hujus dominus per Pollucem hoc nihilo pluris tuâ, quàm meâ interest. Ego illum novi ad quem pertinet nunc; tu illum ad quem pertinebat antea: nullus homo hunc auferet à me. Ne speres te à me* ablaturum *potius quam alii.* TR. *Si dominus sese offerat, non auferat?* GR. *Nullus est dominus hujus viduli, nisi ego, ne erres; hunc comprehendi venando.* TR. *Siccine autem?* GR. *Quem piscem contendes ad me pertinere in mari? Pisces quos comprehendi ad me pertinent: duco eos esse meos: nec manu vindicantur; neque ullus est qui ex illis partem flagitet. Vendo universos publicè in foro, quasi essent mei venales. Profectò mare est commune universis.* TR. *Fateor: sed quæso, obsecro, hic vidulus non debet mihi esse communis tecum? Est repertus in mari, est res communis.* GR. *Profectò es nauciter impudens! Nam si illud esset æquum quod dicis, piscatores essent perditi. Nemirum statimatque pisces proponuntur in macello, nemo mercetur: unusquisque postularet suam partem piscium: alleget deprehensos in mari communi.* TR. *Quid dicis impudens? Non dubitas conferre vidulum cum piscibus?*

Annotationes.

23. *Vidulum istum.*] Id est, jampridem novi hominem cujus est iste vidulus.

29. *Potius.*] Redundat. Nisi addas, quivis alius, quia dixit, *hunc vindulum à me auferet nemo*, subjicit, *ne tu speres potius te ablaturum.*

40. *Cum extemplò.*] Extemplo quam, statim quam, & statim atque.

Eadem tandem res videtur? *GR.* in manu non est meâ,
Ubi demisi retem atque hamum, quicquid hæsit, extraho,
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum'st.
TR. Imò hercle haud est; siquidem quod vas excepisti. *GR.* Philosophe!
TR. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse ullum in forum?
Non enim tu hîc quidem occupabis omnis quæstûs quos voles.
Et victorem & piscatorem te esse, impure, postulas.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus,
Vel, quod in mari non natum est, neque habet squamas, ne feras.
GR. Quid tu, nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem?
TR. scelus,
Nullus est. *GR.* imò est profectò. ego qui sum piscator scio:
Verò rarè capitur; nullus minùs sæpe ad terram venit.
TR. Nil agis! dare verba speras mihi te posse, furcifer.
Quo colore est? *GR.* hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alii puniceo corio, magni item atque atri. *TR.* scio.
Tu hercle opinor in vidulum te piscem convertes, nisi caves:
Fiet tibi puniceum corium, posteà atrum denuò.
GR. Quod scelus hodie hoc inveni! *TR.* verba facimus! it dies:
Vide sis, cujus arbitratu nos facere vis? *GR.* viduli
Arbitratu. *TR.* ita enim verò? stultus es. *GR.* salve, Thales!

INTERPRETATIO.

Putasne esse idem? GR. *Antequam demersi rete & hamum, nihil est in mea potestate; quando demersi, educo quidquid captum est: quod retia, atque hami deprehenderunt, ad me pertinet præsertim.* TR. *Imò per Herculem non est ita. Nam cepisti quoddam vas.* GR. *Philosophe!* TR. *Sed tu, venefice, vidisti ne unquam piscatorem cepisse vidulum piscem? Aut proposuisse venalem ullum in forum? non enim tu hîc quidquid collibuerit lucri habebis: & vis esse mercator viminis, & piscator scelestè. Aut necesse est te mihi ostendere piscem qui sit vidulus, aut ne avehas id, quod non est ortum in mari, neque habet squammas.* GR. *Quid tu, ignoravisti hactenus esse piscem* nomine *vidulum?* TR. *Scelestè, est nullus.* GR. *Imò est sanè. Ego qui sum piscator novi: sed apprehenditur non sæpè. Nullus venit minus frequenter ad terram.* TR. *Nihil assequeris! Putas, cruciarie, te posse mihi imponere. Quo colore est?* GR. *Deprehenduntur non ita multi hoc colore. Alii sunt corio Punicco magni etiam & nigri.* TR. *Te audio. Per Herculem tu mutaberis in vidulum piscem, arbitror, nisi caveas* tibi. *Tua cutis fiet punicea, deinde nigra.* GR. *Quod crimen reperi hodie!* TR. *Sermocinamur! effluit dies: statue si libet, cujus judicio libeat nos agere?* GR. *Judicio viduli.* TR. *Siccine verò? Es amens.* GR. *Salvus sis, Thales!*

ANNOTATIONES.

47. *Philosophe.*] Id est, *ratiocinator.* Dictum ironicè.

48. *En unquam.*] Id est, *umquamne.*

51. *Victorem.*] *Victor* à *vieo*, à quo *vimen*, *Victor* igitur est *viminis mercator.*

64. *Salve, Thales!*] Id est, salve sapiens. Crediderim hoc loco Thaletem Milesium unum è sapientibus Græciæ positum potius quam cæteros, quia piscatores Milesii educto è mari tripode aureo

TR. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum, Cujus hæc res arbitratu fiat. *GR.* quæso sanus es?
TR. Elleboroſus ſum. *GR.* ego cerritus, hunc non amittam tamen.
TR. Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abſtrudam tuo.
Ego jam hîc te, itidem quaſi penicillus novus exurgeri ſolet,
Ni hunc amittis, exurgebo quicquid humoris tibi'ſt.
GR. Tange: affligam ad terram te itidem, ut piſcem ſoleo polypum.
Vis pugnare? *TR.* quid opu'ſt? quin tu potiùs prædam divide.
GR. Hinc tu, niſi malum, fruniſci nihil potes, ne poſtules.
Abeo ego hinc. *TR.* at ego hinc offlectam navem, ne quò abeas: mane.
GR. Si tu proreta iſti navi es, ego gubernator ero.
Mitte rudentem, ſceleſte. *TR.* mittam: omitte vidulum.
GR. Nunquam hercle hinc hodie ramentâ fies fortunatior.

INTERPRETATIO.

TR. *Tu non aſportabis hodie hunc vidulum, niſi aſſignes apud quem deponamus, aut eligas arbitrum cujus judicio hæc res agatur.* GR. *Esne compos mentis obſecro?* TR. *Sum madidus helleboro.* GR. *Ego cerere inſtinctus tamen non patiar mihi eripi hunc* vidulum. TR. *Adjice vel unum verbum. Ego jamjam abſcondam in tuo cerebro colaphos, niſi dimittis hunc vidulum. Ego exſugam jam quidquid eſt humoris in te, quemadmodum novus peniculus ſolet exſugere.* GR. *Attinge me: te proſternam ſolo, ut ſoleo proſternere piſcem Polypum. Vis decertare?* TR. *Quid neceſſe eſt? Quare tu non partires potius inventum?* GR. *Tu nequis quidquam inde adipiſci, niſi infortunium: ne expectes. Ego abeo hinc.* TR. *Sed ego hinc deducam navem, ne quò proficiſcaris: mane.* GR. *Si tu ad proram ſedes iſtius navis, ego ero navarchus. Scelerate, ne tene rudentem,* TR. *Dimittam: dimitte vidulum.* GR. *Per Herculem non evades hinc hodie ditior ramento.*

ANNOTATIONES.

conſuluerunt oraculum cui darent, reſpondit, *Sapientiſſimo totius Græciæ:* itaque ad *Thaletem* communi conſenſu detulerunt. Huc alludit Grypus, quaſi dicat; *tu fortè expectas vidulum judicio arbitri, ut Thales habuit Tripodem judicio Apollinis.* Si *ſapientem* tantum ſignificat hoc loco, *Thales*; id dicit ut joco refutet convitium Trachalionis à quo ſtultus eſt appellatus.

65. *Sequeſtrum.*] Tertullianus: *Satis idoneus patientiæ ſequeſter Deus; ſi injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi dolorem, medicus eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt.*

67. *Elleboroſus ſum.*] Sum ſtultus. Elleborus enim levat inſaniam.

Cerritus.] Cerere iratâ inſtinctus. De hoc in Amphitrio & Menæchmis.

68. *Abſtrudam.*] Id eſt, tam valide feriam, ut ictus ad cerebrum uſque penetrent.

69. *Exurgeri.*] Id eſt, *urgeri.* Quemadmodum exprimitur & urgetur, ſeu premitur manibus ſpongia ut ſiccetur.

71. *Polypum*] Polypus eſt piſcis duriuſculus: ut mollior fiat, & coctu facilior, ſæpius affligitur humo. *Un polype.*

73. *Fruniſci.*] Frui.

74. *Offlectam.*] In contrariam partem flectam.

75. *Proreta.*] Id eſt, qui ſedet ad proram.

Gubernator.] *Gubernator* opponitur *proretæ*; hic ad proram, ille ad puppim ſedet.

77. *Ramenta.*] *Ramentum, ramenta, ſcobs, raſura, raſamen, ſerrago*, hoc à *ſerra.*

TR. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
GR. Quémne ego excepi in mari? *TR.* at ego inspectavi è litore.
GR. Meâ operâ, labore, & rete, & horiâ. *TR.* num quî minus,
Si veniat nunc dominus, cujus est, ego qui inspectavi procul,
Te hunc habere, fur sum, quàm tu? *GR.* nihilo. *TR.* mane, mastigia!
Quo argumento socius non sum, & fur sum? fac dum ex te sciam.
GR. Nescio: neque ego istas vestras leges urbanas scio,
Nisi quia, Hunc meum esse, dico. *TR.* & ego item esse ajo meum.
GR. Mane jam: reperi rem, quo pacto nec fur, nec socius sies.
TR. Quo pacto? *GR.* sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam:
Nec tu me cuiquam indicassis, neque ego tibi quicquam dabo.
Tu taceto; ego mussitabo: hoc optimum atque æquissimum est.
TR. Ecquid conditionis audes ferre? *GR.* jamdudum fero:
Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies.
TR. Mane, dum refero conditionem. *GR.* te obsecro hercle, aufer te modò.
TR. Ecquem in his locis novisti? *GR.* oportet vicinos meos.
TR. Ubi tu hîc habitas? *GR.* porrò illîc longè usque in campis ultimis.
TR. Vin' qui in hâc villâ habitat, ejus arbitratu fieri?
GR. Paulisper remitte restem, dum concedo & consulo.

Interpretatio.

TR. *Non potes mihi probare tuam causam, negando, nisi, aut mihi tribuatur pars, aut deferatur ad arbitrum, aut deponatur apud sequestrum.* GR. Deponamne ego apud sequestrum vidulum, *quem cœpi in mari?* TR. *Sed ego prospexi è litore.* GR. *Meis viribus, meo labore, meo rete, & meâ navi.* TR. *An ego haberer aliquo pacto minus fur quam tu, si dominus cujus est vidulus veniret nunc, quia vidi procul te auferre hanc prædam?* GR. *Nihilo minus.* TR. *Consiste, mastigia! quo indicio non sum sodalis, & sum fur? Fac dum intelligam ex te.* GR. *Nescio: ego ignoro vestras illas leges urbanas, nisi quia contendo hunc vidulum esse meum.* TR. *Et ego contendo etiam esse meum.* GR. *Mane jam: inveni rationem quâ nec sis fur, nec socius furis.* TR. *Quam?* GR. *Per te licet mihi demigrare hinc: tu prosequere tacitus tuum iter; neque tu me indicaveris cuiquam, neque ego tibi dabo quidquam. Sile tu; ego silebo: hoc est rectissimum, atque justissimum.* TR. *Nonne offeres aliquam conditionem?* GR. *Jampridem offero; ut absistas, laxes rudentem, ne sis mihi importunus.* TR. *Mane, dum offero conditionem.* GR. *Per Herculem te obsecro, absiste modò.* TR. *Quem novisti in his locis?* GR. *Oportet* me noscere *meos vicinos.* TR. *Ubi habitas tu?* GR. *Illîc procul usque in campis remotis longissimè.* TR. *Visne nostram controversiam disceptari arbitrio illius qui manet in hâc villâ?* GR. *Remitte paululum funem, donec eò vado & deliberem.*

Annotatio.

79. *Reditur.*] Impersonale, id est, *reditus fit.*

TR. Fiat ! *GR.* euge ! salva res est : præda hæc perpetua est mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me hîc intra præsepis meas.
Nunquam hercle hodie abjudicabit ab suo triobolum.
Næ iste haud scit quam conditionem tetulerit. ibo ad arbitrum.
TR. Quid igitur ? *GR.* quanquam istuc esse jus meum certò scio,
Fiat istuc potiùs, quàm nunc pugnem tecum. *TR.* nunc places.
GR. Quanquam ad ignotum arbitrum me appellis ; si adhibebit fidem,
Etsi est ignotus, notus : si non ; notus, ignotissimus est.

INTERPRETATIO.

TR. *Esto !* GR. *Euge ! res incolumis : hæc præda est mea universa. Me vocat ad meum herum arbitrum intra præsepes meas. Per Herculem herus non eripiet hodie suo judicio ab suo* servo *tres obolos. Hic nescit quam conditionem sibi imposuerit. Pergam ad arbitrum.* TR. *Quid igitur?* GR. *Quanquam non ignoro id ad me pertinere, id fiat potiùs, quàm decertem nunc tecum,* TR. *Nunc mihi probaris.* GR. *Quanquam me ducis ad arbitrum ignotum ; si mihi credideris, tametsi est ignotus ; tamen erit notus : si non* crediderit, *est ignotissimus, tametsi notus.*

ANNOTATIONES.

99. *Præsepis meas.*] Pro *præsepes.* Nonius : *Non solùm ubi pecora pabulantur, sed & omnia loca clausa & tuta præsepia dicta.*

100. *Abjudicabit.*] Eo judice causâ non cadam.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

GRYPUS & Trachalio causam suam deferunt ad Dæmonetem. Trachalio profitetur unum petere à Grypo non ut ex æquo divitiæ, quæ sunt in vidulo, dividantur, sed ut Cistella restituatur Palæstræ. Grypus annuit, modò id teste Dæmonete fiat, & singula crepundia & ex nomine, & ex facie agnoscat Palæstra. Res ita fit. In ensiculo aureo, in securicula aurea nomen matris erat inscriptum. Agnoscit filiam pater, patrem filia.

DÆMONES senex, PALÆSTRA, AMPELISCA, TRACHALIO, GRYPVS.

DÆMONES.

SERIO edepol, quanquam vobis *volo* quæ voltis, mulieres,
Metuo, propter vos, ne uxor mea me extrudat ædibus :

INTERPRETATIO.

DÆ. *QVamvis vobis revera exopto, quæ exoptatis* ipsæ, *mulieres, tamen, per ædem Pollucis, pertimesco ne mea uxor me ejiciat ex ædibus, propter vos :*

Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos.
Vos confugite in aram potius, quàm ego. *MU.* miseræ periimus.
DÆ. Ego vos salvas sistam, ne timete. sed quid vos forâs
Prosequimini? quoniam ego assum, faciet nemo injuriam.
Ite, inquam, domum ambo nunc jam ex præsidio præsides.
GR. O here, salve. *DÆ.* salve Grype. quid fit? *TR.* tuúsne hic servus?
GR. Haud pudet. *TR.* nihil ago tecum. *GR.* ergo abi hinc sis.
TR. quæso responde, senex.
Tuus hic servus est? *DÆ.* meus est. *TR.* hem! istuc optimè, quando tuus est.
Iterùm te saluto. *DÆ.* & ego te. túne es. qui haud multo prius
Abiisti hinc herum arcessitum? *TR.* ego is sum. *DÆ.* quid nunc vis tibi?
TR. Nempe hic tuus est? *DÆ.* meus est. *TR.* istuc optimè, quando tuu'st.
DÆ. Quid negoti'st? *TR.* vir scelestus illic est. *DÆ.* quid fecit tibi
Vir scelestus? *TR.* homini ego isti talos suffringi volo.
DÆ. Quid est? quâ de re litigatis nunc inter vos? *TR.* eloquar.
GR. Imò ego eloquar. *TR.* ego, opinor. rem facesso. *GR.* siquidem

Interpretatio.

hæc exprobrabit me adduxisse in suum conspectum meretrices. Vos confugite potius in aram, quàm ego. MU. *Sumus perditæ infœlices.* DÆ. *Ego vos præstabo incolumes, ne metuite. Sed quid* me *persequimini forâs? Dum ego assum, nullus afficiet injuriâ. Pergite, inquam, in ædes ambo præsidiarii è præsidio.* GR. *Salvus sis, ô here.* DÆ. *Sis salvus, Grype. Quid geritur?* TR. *Estne hic tuus servus?* GR. *Non pudet.* TR. *Est nihil mihi rei tecum.* GR. *Igitur migra hinc, si libet.* TR. *Senex responde, obsecro; hic estne tuus servus?* DÆ. *Est meus.* TR. *Hem! res benè est, quandoquidem est tuus servus. Dico iterum salutem.* DÆ. *Et ego tibi. Esne tu qui non multò antea iviisti hinc ad vocandum herum?* TR. *Sum ego ipse.* DÆ. *Quid vis* dicere *nunc?* TR. *Nimirum hic est tuus* servus? DÆ. *Est meus.* TR. *Bene est, quandoquidem est tuus.* DÆ. *Quid rei est?* TR. *Hìc est vir scelestus.* DÆ. *Quid tibi fecit vir scelestus?* TR. *Ego volo elidi talos isti homini.* DÆ. *Quid est? de quâ re decertatis nunc inter vos?* TR. *Edicam.* GR *Imò ego edicam.* TR. *Ego sum, arbitror, qui accuso reum.* GR. *Profectò si es probus,*

Annotationes.

4. *Vos confugite in aram.*] Id est, malo vos cogi confugere ad aram, ut à vobis vim lenonis deprecemini, quàm me adversus impetum uxoris.

7. *Præsides.*] A præsidio in quo fuerant collocati, dicuntur *præsides* lorarii: quasi dicas, *præsidiarii milites.* Nam cum clavis hinc inde ab utroque latere lenonis fuerant constituti, ut si leno vim pararet adversus Palæstram & Ampelìscam, statim comminuerent caput. Amoto igitur lenone, & in judicium rapto per Pleusidippum, amoventur custodes duo virginũ.

9. *Haud pudet.*] Trachalioni Dæmonetem interroganti nunquid Grypus ejus esset servus, respondet ipse Grypus. *Haud pudet*; id est non est quod pudeat herum me fateri, & agnoscere suum servum.

17. *Rem facesso.*] *Litem moveo.* Accusator priore loco dicere debet.

Sis pudicus, hinc facessas. *DÆ.* Gripe, animum advorte, ac tace.
GR. Utin' istic prius dicat? *DÆ.* audi, loquere tu. *GR.* alienón' prius,
Quàm tuo dabis orationem? *TR.* ut nequitur comprimi!
Ita ut occœpi dicere; illum quem dudum
Lenonem extrusisti; hîc ejus vidulum, eccillum!
GR. Non habeo. *TR.* negas, quod oculis video? *GR.* at ne videas, velim.
Habeo, non habeo, quid tu me curas, quid rerum geram?
TR. QUOMODO HABEAS, illud refert: juréne anné injuriâ.
GR. Ni istum cepi, nulla caussa est quin me condones cruci:
Si in mari reti apprehendi, quî tuum potiùs est, quàm meum?
TR. Verba dat. hoc modo res gesta est, ut ego dico. *GR.* quid tu ais?
TR. Quo ad primarius vir dicat, comprime hunc sis, si tuus est.
GR. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?
Si ille te comprimere solitus, hic noster nos non solet.
DÆ. Verbo illo modò ille vicit. quid nunc tu vis? dic mihi.
TR. Equidem neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo,
Neque meum esse hodie unquam dixi. sed isti inest cistellula
Hujus mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.
DÆ. Nempe tu hanc dicis, quam esse ajebas dudum popularem meam?

INTERPRETATIO.

fuge hinc. DÆ. *Grype ausculta, & sile.* GR. *An ut hic loquatur prior.* DÆ. *Ausculta, dic tu.* GR. *Dabisne locum dicendi alieno, priusquam tuo?* TR. *Quàm difficile potest coerceri! Ecce adest vidulus illius lenonis quem ejecisti jampridem, sicut exorsus eram dicere.* GR. *Non habeo.* TR. *Negas id quod cerno oculis?* GR. *Sed utiñam non videas. Sive habeam, sive non habeam; quid curas tu, quid negotii agam?* TR. *Refert* curare, *si quod habes habeas jure an injuriâ.* GR. *Nisi piscatus sum istum vidulum, nihil est quominus me devoveas cruci: si cœpi in mari vidulum retibus, quare est potiùs tuus quàm meus?* TR. *Fallit: id est actum sicut ego loquor.* GR. *Quid dicis tu?* TR. *Si hic ad te pertinet, comprime eum, si libet; judex jubeat.* GR. *Quid? tu cupis agi mecum, sicut herus consuevit agere tecum? Si ille consuevit te comprimere, hic noster non solet nos* comprimere. DÆ. *Ille te superavit jam illo dicto. Quid cupis tu nunc? Cedo mihi.* TR. *Profectò neque ego postulo fieri particeps istius viduli, neque unquam dixi eum ad me pertinere: at est in hoc* vidulo *cistella hujus mulieris, quam meam jampridem esse liberam.* DÆ. *Nimirum loqueris de hac quam affirmabat, jampridem esse meam civem?*

ANNOTATIONES.

18. *Sis pudicus.*] Si non deposuisti pudorem & verecundiam. Non hìc de pudicitia.

Hinc facessis.] Ludit in verbo *facesso. Hinc facessas*, id est, recede hinc.

29. *Primarius.*] *Primarius* vir dicitur Trachalio à Trachalione, non autoritate, aut dignitate: quâ fronte enim dixisset coram Dæmonete; sed dicendi ordine, ut potè accusator.

TR. Admo-

TR. Admodum : & ea quæ olim parva geſtavit crepundia,
Iſtîc in iſtâ ciſtulâ inſunt, quæ iſtîc ineſt in vidulo.
Hoc neque iſti uſus eſt, & illi miſeræ ſuppetias feret,
Si id dederit, quî ſuos parentes quærat. *DÆ.* faciam ut det, tace.
GR. Nihil hercle ego ſum iſti daturus. *TR.* nihil peto, niſi ciſtulam,
Et crepundia. *GR.* quid ſi ea ſunt aurea? *TR.* quid iſtic tuâ?
Aurum auro expendetur; argentum argento exæquabitur.
GR. Fac ſis aurum ut videam; pòſt ego faciam ut videas ciſtulam.
DÆ. Cave malo, ac tace tu! tu perge, ut occœpiſti, dicere.
TR. Unum te obſecro, hujus ut te commiſereſcat mulieris,
Siquidem hic lenonis ejus eſt vidulus quem ſuſpicor.
Hîc niſi de opinione certum nihil dico tibi.
GR. Viden' ſceleſtus ut aucupatur! *TR.* ſine me, ut occœpi, loqui.
Si ſceleſti illius eſt hic, cujus dico, vidulus,
Hæ poterunt noviſſe: oſtendere his jube. *GR.* ain oſtendere?
DÆ. Haud iniquum dicit, Grype, ut oſtendatur vidulus.
GR. Imò hercle inſignitè iniquè. *DÆ.* quî dum? *GR.* quia ſi oſtendero,
Continuò hunc noviſſe dicent ſcilicet. *TR.* ſcelerum caput,
„Ut tute es, item omnis cenſes eſſe? perjurii caput!
GR. Omnia iſtæc ego facilè patior, dum hic hinc à me ſentiat.
TR. Atqui nunc abs te ſtat. verum hinc ibit teſtimonium.
DÆ. Grype, advorte animum! tu paucis expedi, quid poſtulas.

Interpretatio.

TR. *Maxime: & illa crepundia quæ attulit quondam, quando erat infans, ſunt in illâ ciſtulâ, quæ eſt in vidulo. Hic non habet opus his; & ſi reſtituat, erit adjumento illi infelici ad quærendos ſuos parentes.* DÆ. *Curabo ut reſtituat; ſile.* GR. *Per Herculem nihil ſum iſti daturus.* TR. *Nihil poſtulo, niſi ciſtulam & crepundia.* GR. *Quid ſi ea ſunt aurea?* TR. *Quid id tuâ* refert? *Ponderabitur aurum pro auro, dabitur argentum pro argento, æqualis ponderis.* GR. *Da copiam, ſi placet, videndi auri; poſtea dabo copiam videndæ ciſtulæ.* DÆ. *Cave ab infortunio, ac ſile: tu proſequere loqui, ut exorſus es.* TR. *Te rogo unum, ut miſereatis hujus mulieris, ſi hic vidulus eſt hujus lenonis, ſicut exiſtimo. Nihil affirmo hîc pro certo; ſed tantum ſicut opinor.* GR. *Animadvertisne ut captat animum hominis ille nequam!* TR. *Patere me verba facere, ut inſtitui. Si hic vidulus pertinet ad hunc nefarium, quem nominavi, ha poterunt cognoſcere: manda ut his præbeatur.* GR. *Dicisne ut præbeatur?* DÆ. *Non rogat rem injuſtam, Grype, ut præbeatur vidulus.* GR. *Imò, per Herculem,* dicit *rem manifeſtè injuſtam.* DÆ. *Quare?* GR. *Quia nimirum, ſi præbuero, uno tempore affirmabunt hunc noviſſe.* TR. *Quia es ſceleſtiſſimus, ſimiliter arbitraris quoſvis eſſe* ſceleſtiſſimos? *homo perjuriſſime!* GR. *Ego perfero facilè univerſa hæc, dummodo hic dicat ſententiam pro me.* TR. *Nunc ſtat à tuis partibus. Sed teſtes prodibunt ex hoc* vidulo. DÆ. *Grype, auſculta! aperi,* tu Trachalio, *paucis, quid roges.*

Annotationes.

56. *A me ſentiat.*] Sententiam pro me ferat. *Abs te*, id eſt, *contra te.*
Hinc.] Ex vidulo.

TR. Dixi equidem: sed si parum intellexti, dicam denuo:
Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
Hæc Athenis parva fuit virgo surrepta. *GR.* dic mihi,
Quid ista ad vidulum pertinent, servæ sint istæ an liberæ?
TR. Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies.
DAE. Abstine maledictis, & mihi, quod rogavi, dilue.
TR. Cistellam istîc inesse oportet caudeam in isto vidulo,
Ubi sunt signa, quî parentes noscere hæc possit suos,
Quibus cum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
GR. Juppiter te dique perdant! quid ais, vir venefice?
Quid? istæ mutæ sunt, quæ pro se fabulari non queant?
TR. Eò tacent, quia TACITA BONA'ST MULIER semper, quàm loquens.
GR. Tum pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es.
TR. Quî dum? *GR.* quia enim neque loquens es, neque tacens unquam bonus.
Quæso, en unquam hodie licebit mihi loqui? *DÆ.* si præter hâc *Unum* verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.
TR. Ut id occœpi dicere, senex, eam te quæso cistulam,
Ut jubeas hunc reddere illis. ob eam si quid postulat
Sibi mercedis, dabitur: aliud quicquid ibi est, habeat sibi.
GR. Nunc demum istuc dicis, quoniam jus meum esse intellegis:
Dudum dimidiam petebas partem. *TR.* imò etiam nunc peto.
GR. Vidi petere milvum, etiam cùm nihil auferret tamen.

INTERPRETATIO.

TR. *Aperui equidem: sed aperiam rursus, si non bene audivisti: oportet hasce duas* mulieres *esse liberas, sicut dixi jampridem. Hæc parva virgo fuit furto ablata Athenis.* GR. *Loquere; quid ista spectant ad vidulum, ista sintne serva an libera?* TR. *Cupis me repetere omnia, scelestè, ut dies deficiat.* DÆ. *Tempera à convitiis, & mihi enoda id quod postulavi.* TR. *Oportet cistulam ex pilis caudæ equinæ esse in hoc vidulo; in quâ sunt indicia, cum quibus perdita est Athenis, quibus possit hæc intelligere qui sint sui parentes, sicut dixi antea.* GR. *Jupiter & Dii te perdant! Quid dicis venefice? Quid? Illæ mulieres sunt mutæ, quæ nequeunt loqui pro se?* TR. *Silent, quia mulier tantò est melior quæ silet, quàm quæ loquitur.* GR. *Per Pollucem vero tu neque virum esse, neque mulierem, si ratio habeatur orationis.* TR. *Quare?* GR. *Quia sive taceas, sive loquaris, nunquam es probus. Obsecro, nunquamne mihi dabitur locus loquendi?* DÆ. *Si feceris unum verbum hodie, ego tibi frangam cervices.* TR. *Te obsecro, senex, ut obsecravi, impera hunc restituere illis eam cistellam. Si postulat sibi tribui quandam mercedem ob eam cistellam, ei tribuetur. Retineat vero cætera omnia quæcumque sunt in perâ.* GR. *Nunc demum concedis id, quia vides esse jus meum: mox postulabas dimidiam partem.* TR. *Imò postulo etiamnum.* GR. *Conspicatus sum milvum involare* in prædam, *tametsi aliquando caperet nihil.*

ANNOTATIONES.

65. *Caudeam.*] Festus: *Caudea cistella è junco à similitudine caudæ equinæ facta.*

70. *Bona'st.*] Supp. *magis.* Tacitus: *Agrippa claris majoribus quàm vetustis,* id est, *magis claris.*

DAE. Non ego te comprimere possum sine malo? *GR.* si istic tacet,
Ego tacebo: si iste loquitur, sine me pro re meâ parte loqui.
DAE. Cedò modò mihi istum vidulum, Grype. *GR.* concredam tibi.
At si istorum nihil sit, ut mihi reddas. *DAE.* reddetur. *GR.* tene.
DAE. Audi nunc jam, Palæstra atque Ampelisca, hoc quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse aiebas? *PA.* is est.
GR. Perii hercle ego miser! ut, priusquam planè aspexit, illicò
Eum esse dixit! *PA.* faciam ego hanc rem *ex proclivi planam* tibi:
Cistellam istîc inesse oportet caudeam in isto vidulo.
Ibi ego dicam quicquid inerit nominatim; tu mihi
Nullus ostenderis. si falsa dicam; frustrà dixero.
Vos tamen istæc, quicquid illîc inerit, vobis habebitis.
Sed si erunt vera, tum obsecro te, ut mea mihi reddantur.
DAE. placet!
Jus merum oras, meo quidem animo. *TR.* ac meo hercle.
GR. Quid si ita aut superstitiosa, aut ariola est, atque omnia
Quidquid insit, vera dicet? anné habebit ariola?
DAE. Non feret, nisi vera dicet: nequicquam ariolabitur.
Solve vidulum ergo, ut quicquid sit verum, quamprimum sciam.
GR. Hoc habet! solutum est: ah perii! video cistellam. *DAE.* hæccine est?
PA. Istæc est. ô mei parentes, hîc vos concluſos gero.
Huc opesque spesque vestrûm cognoscendûm condidi.
GR. Tum tibi hercle deos iratos esse oportet, quisquis es.

Interpretatio.

DÆ. *Ego non possum coercere tuam linguam citra pœnas?* GR. *Si iste sileat, ego silebo: si iste loquitur, patere me dicere pro meâ re.* DÆ. *Da mihi modò istum vidulum, Grype.* GR. *Tibi dabo: sed ea lege, ut mihi reddas, si sit nihil eorum.* DÆ. *Restituetur.* GR. *Accipe.* DÆ. *Auscultа nunc jam Palæstra atque Ampeliscа, hoc quod dico. Estne hic vidulus in quo dicebas esse tuam cistellam?* PA. *Ea est.* GR. *Ego perii, per Herculem, infœlix! ut antequam videat planè vidulum, illico affirmet eum esse!* PA. *Ego reddam hoc ex prærupto planum: oportet esse cistellam junctam in isto vidulo. Ego appellabo suo nomine, quidquid erit in hâc cistellâ; nihil mihi ostendas. Si nominavero perperam; nominavero incassum. Et ad vos pertinebit, quidquid erit in hâc cistellâ. Sed si erunt vera, tum quæso, ut mihi restituantur ea, quæ ad me pertinebunt.* DÆ. *Libet! Rogas id quod est æquum meo quidem judicio.* TR. *Et meo, per Herculem.* GR. *Quid si ista est aut venefica, aut vates, & appellaverit verè omnia quæ sunt in hâc cistellâ? habebitne divina?* DÆ. *Non habebit, nisi dixerit vera: incassum divinabit. Aperi igitur vidulum, ut quamprimùm noscam, quid sit verum.* GR. *Capta est! est apertus* vidulus: *Ah interii! video cistellam.* DÆ. *Hæcne est?* PA. *Est istæc. O mei parentes, vos porro concluſos in hâc cistellâ. Incluſi in hâc cistellâ auxilia, & spes vestrûm cognoscendorum.* GR. *Per Herculem oportet Deos tibi esse infestos, quisquis es.*

Annotatio.

88. *Ex proclivi planam.*] *Proclive* hîc opponitur *plano*, quasi significet viam scrobibus inæqualem.

Quæ parenteis in tam anguſtum tuos locum compegeris.
DAE. Grype, accede huc! tua res agitur. tu puella, iſtinc procul
Dicito, quid inſit, & quâ facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccaſſis, quòd poſterius poſtules
Te ad verum converti; nugas, mulier, magnas egeris.
GR. Jus bonum oras. *TR.* edepol haud orat te: nam tu injurius.
DAE. Loquere nunc jam puella, Grype animum advorte, ac tace!
PA. Sunt crepundia. *DAE.* ecca video! *GR.* perii in primo prælio.
Mane, ne oſtenderis. *DAE.* quâ facie ſunt? reſponde ex ordine.
PA. Enſiculu'ſt aureolus primùm literatus. *DAE.* dice dum:
In eo enſiculo literarum quid eſt? *PA.* mei nomen patris.
Poſt altrinſecus eſt ſecuricula ancipes, item aurea
Literata: ibi matris nomen in ſecuricula'ſt. *DAE.* mane!
Dic, in enſiculo quid nomen eſt paternum? *PA.* Dæmones.
DAE. Di immortales! ubi loci ſunt ſpes meæ? *GR.* imò edepol, meæ?
DAE. Perge, te obſecro, continuò. *GR.* placidè! aut ite in malam crucem.
DAE. Loquere matris nomen hîc in ſecuriculâ quid ſiet.
PA. Dædalis. *DAE.* dîme ſervatum cupiunt. *GR.* at me perditum.
DÆ. Filiam meam eſſe hanc oportet, Grype. *GR.* ſit per me quidem.
Qui te dî omnes perdant, qui me hodie oculis vidiſti tuis,
Meque adeò ſceleſtum, qui non circumſpexi centies
Prius, me ne quis inſpectaret, quàm rete extraxi ex aquâ.

INTERPRETATIO.

quæ concluſeris tuos parentes in tam anguſto ſpatio. DÆ. *Accede huc, Grype! Agitur de tuis rebus. Tu puella, dic procul quid ſit in hac ciſtella, & memora quâ formâ ſint univerſa. Per Herculem, ſi peccaveris, vel minimum, mulier, ſi coneris poſtea temet revocare ad verum, effutieris mera nugamenta.* GR. *Statuis quod par eſt.* TR. *Per ædem Pollucis, non te exorat: nam tu afficis injuriâ.* DÆ. *Loquere nunc puella, Grype, auſculta & file.* PA. *Adſunt crepundia.* DÆ. *Ecce conſpicor.* GR. *Cecidi in primo congreſſu. Mane ne oſtendas.* DÆ. *Quâ formâ ſunt? reſponde ex ordine.* PA. *Primùm eſt parvus enſis aureus, inſcriptus litteris.* DÆ. *Dic verò litteras quæ ſunt inſcriptæ in hoc parvo enſe.* PA. *Nomen mei patris. Ex altera parte ciſtellæ eſt parva ſecuris, acuta utrimque, item aurea, litteris inſcripta in quâ nomen matris eſt inſcriptum.* DÆ. *Mane! Dic, quod eſt nomen patris in parvo enſe!* PA. *Dæmones.* DÆ. *Dii immortales! ubi ſunt conſtituta meæ ſpes?* GR. *Imò per ædem Pollucis meæ.* GR. *Leniter aut properate in malam crucem.* DÆ. *Dic quod ſit nomen matris hîc in parvâ ſecuri.* PA. *Dædalis.* DÆ. *Dii volunt me ſervari.* GR. *Sed me perdi.* DÆ *Grype, oportet hanc eſſe meam filiam.* GR. *Sit tua filia, per me licet. Omnes Dii te perdant, qui me vidiſti hodiè tuis oculis, & me infelicem, qui non circunſpexi centies, ne quis me inſpectaret, priuſquàm extraherem rete ex aquâ.*

ANNOTATIO.

114. *Anceps.*] Utrimque ſecans.

PA. Pòst est sicilicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ, &
Sucula. *GR.* quin tu i dierecta cum suculâ, & cum porculis!
PA. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.
DAE. Ea est profectò! contineri, quin complectar, non queo.
Filia mea, salve! ego is sum, qui te produxi, pater:
Ego sum Dæmones, & mater tua, ecca, hîc intus Dædalis.
PA. Salve, mi pater insperate! *DAE.* salve. ut te amplector libens!
TR. Volupe'st, cùm istuc ex pietate vestrâ vobis contigit.
DAE. Capedum! hunc, si potes, fer intrò vidulum, age Trachalio.
TR. Ecce Grypi scelera! cùm istæc res malè evenit tibi,
Grype, gratulor. *DAE.* age eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere,
Quæ te magis tractavit, magisque signa pernovit tua.
TR. Eamus intrò omnes, *omnes* quando operam promiscuam damus.
PA. Sequere me, Ampelisca. *AM.* cùm te dii amant, voluptati [est mihi.
GR. Súmne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum!
Aut cùm excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?
Credebam edepol turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa mihi tàm turbulentâ tempestate evenerat.
Credo edepol ego illîc inesse auri & argenti largiter.
Quid melius est, quàm ut hinc intrò abeam, & me suspendam clanculum;
Saltem tantisper, dum abscedat hæc à me ægrimonia.

INTERPRETATIO.

PA. *Posteà est parva sica argentea, & duæ maniculæ connexæ, & parva sus.* GR. *Quin abis tu scelesta cum sue & cum parvis porcis.* PA. *Est & bulla aurea, quam pater mihi dedit in die natali.* DÆ. *Est ea profectò! non possum me continere, quin complectar. Salva sis, mea filia! Ego sum is pater qui te genui: ego sum Dæmones, & ecce hic intus tua mater Dædalis.* PA. *Salvus sis, mi pater, insperate!* DÆ. *Salva sis; quàm te amplector lætus.* TR. *Est jucundum, quandoquidem vobis id evenit propter vestram pietatem.* DÆ. *Accipe igitur! infer in ædes hunc vidulum, si vales; age Trachalio.* TR. *Hæc sunt scelera Grypi! quandoquidem hæc res tibi accidit male, Grype, gaudeo.* DÆ. *Age, mea filia, pergamus ad tuam matrem, quæ poterit agnoscere id diligentius ex te indiciis, quæ te magis informavit, & magis novit signa* quibus te agnoscat. TR. *Introeamus omnes, quandoquidem conferimus communem operam.* PA. *Ampelisca, sequere me.* AM. *Mihi jucundum est quando Dii te amant.* GR. *Sumne ego infœlix qui piscatus sum hodie illum vidulum! aut qui non abscondi alicubi in loco deserto, quando piscatus sum? Per ædem Pollucis arbitrabar mihi eventuram prædam, de quâ mihi erat futura contentio, quia illa mihi contigerat tempestate desæviente. Credebam, per ædem Pollucis, inesse in hâc perâ magnam copiam auri & argenti. Pæstat ut ingrediar in ædes, & me suspendam occultè; saltem, dum hæc ægritudo animi paululum absistat à me.*

ANNOTATIONES.

115. *Sicil cula.*] A *sicâ sicila*, idem ac falx, *sicilire prata*: *faucher les prez.* *Sicelices*, & *sicilices*; cultra tonsoria: *Rasoirs.*

138. *Promiscuam.*] Alii *Promiscam*, *promiscus*, *promiscuè.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

GRATULATUR sibi Dæmones repertâ filiâ Palæstrâ.

DÆMONES *senex.*

PRo dî immortales, quis me est fortunatior,
Qui ex improviso filiam inveni meam?
SATIN' SI CUI HOMINI dei esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis!
Ego hodie, *qui* neque speravi, neque credidi,
Is improviso filiam inveni tamen:
Et eam de genere summo adolescenti dabo
Ingenuo, Athenienśi, & cognato meo.
Ego eum adeò arcessi huc ad me quamprimùm volo;
Jussique exire huc ejus servum, ut ad forum
Iret. nondum egessum esse eum, id miror tamen.
Accedam opinor ad fores. quid conspicor?
Uxor complexa collo retinet filiam.
Nimis pæne inepta atque odiosa ejus amatio est!

INTERPRETATIO.

O Dii immortales! quis est fœliciorme, qui reperi meam filiam minime datâ operâ? Nonne hinc perfectum est, Deos impertire quoquomodo piis beneficia, quibus eos volunt afficere? Ego inveni hodie inconsultò meam filiam præterspem & expectationem, & eam matrimonio jungam juveni Athenienśi ingenuo, nato nobili loco, & meo consanguineo. Optatem ut vocaretur huc ad me extemplo, & mandavi ejus servum prodire huc, ut pergeret ad forum. Tamen miror id, eum nondum prodiisse. Accedat oportet *ad fores, ut opinor. Quid video? Uxor tenet filiam complexa collo. Significatio hujus amicitiæ est prope insulsa & molesta!*

ANNOTATIONES.

1. *Ingenuo Athenienśi.*] Pleusidippo.
14. *Odiosa.*] Alii *otiosa.* Quasi dicat nimium temporis ponere in amplexanda filia, & interim omittere, quæ ad sacrificium sunt necessaria.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

MITTIT Dæmones Trachalionem ad accersendum Pleusidippum: pollicetur libertatem, & in matrimonium Pleusidippo Palæstram, Ampelisca Trachalioni.

DÆMONES, TRACHALIO servus.

DÆMONES.

ALIQUANDO osculando melius est, uxor, pausam fieri.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, cùm intrò advenero,
Laribus familiaribus: cùm auxerunt nostram familiam.
Sunt domi agni & porci sacres. sed quid istum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? atque optimè, eccum, exit foras.
TR. Ubi ubi erit, tamen jam investigabo, & mecum ad te adducam simul
Pleusidippum. *DÆ.* eloquere ut hæc res obtigit de filiâ:
Eum rogato, ut relinquat alias res, & huc veniat. *TR.* licet.
DÆ. Dicito daturum meam illi filiam uxorem. *TR.* licet.
DÆ. Et patrem ejus me novisse, & mihi esse cognatum. *TR.* licet.
DÆ. Sed propera. *TR.* licet. *DÆ.* jam hîc fac sit, cœna ut curetur. *TR.* licet.
DÆ. Omnian' licet? *TR.* licet. sed scin', quid est, quod te volo?
Quod promisisti, ut memineris, hodie ut liber sim. *DÆ.* licet.
TR. Fac ut exores Pleusidippum, ut me emittat *manu*. *DAE.* licet.
TR. Et tua filia facito oret: facilè exorabit. *DAE.* licet.
TR. Atque ut mihi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber. *DAE.* licet.
TR. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. *DAE.* licet.
TR. Omnian' licet? *DAE.* licet. tibi rursum refero gratiam.

INTERPRETATIO.

DÆ. *Præstat uxor intermittere tandem oscula: & compara* omnia, *ut, quando ingressus fuero, sacrificem laribus familiaribus, quoniam auxerunt nostram familiam. Sunt domi agni & porci idonei ad sacrificandum. Sed, quid retardatis, ô mulieres Trachalionem! sed ecce egreditur foràs tempestivè.* TR. *Ubicunque versabitur, tamen quæram jam & adducam mecum Pleusidippum.* DÆ. *Memora illi quemadmodum hæc res accidit de filia: roga eum ut, omissis omnibus rebus, veniat huc.* TR. *Fiet.* DÆ. *Dic me illi daturum meam filiam uxorem.* TR. *Dicam.* DÆ. *Et me novisse ejus patrem, & meum esse cognatum.* TR. *Dicam.* DÆ. *Sed accelera.* TR. *Accelerabo.* DÆ. *Da operam jam ut instruatur cœna hìc.* TR. *Faciam.* DÆ. *Licetne* facere *omnia.* TR. *Licet. Sed capisne quid te velim, ut recorderis eorum quæ pollicitus es, ut sim hodie liber.* DÆ. *Eris.* TR. *Da operam ut impetres à Pleusidippo, ut me manu mittat.* DÆ. *Manu mittet.* TR. *Et da operam, ut tua filia roget: impetrabit facilè.* DÆ. *Efficiam.* TR. *Atque ut afficiar revera beneficio mihi jucundo.* DÆ. *Afficieris.* TR. *Licetne facere omnia.* DÆ. *Licet: denuo tibi refero gratiam.*

ANNOTATIONES.

1. *Aliquando.*] Tandem.
Osculando.] Osculandi.
4. *Porci sacres.*] Porci sacres appellantur destinati sacris. Tibullus, *mysticos* vocat. Porci immolabantur Laribus. Horatius: —— *immolet aquis*
hic porcum laribus.

Sed propera ire in urbem actutum, & recipe te huc rursum
TR. licet.
Jam hîc ero. tu interibi adorna cæterum, quod opus est.
DAE. licet.
TR. Hercules istum infelicet cum suâ licentiâ!
Ita meas replevit aures. quicquid memorabam, licet.

INTERPRETATIO.

Sed accelera in urbem & revertere huc denuo. TR. Revertar: ero jam hìc. Tu interim appara cætera, quæ sunt necessaria. DÆ. Apparabo. TR. Hercules miseram efficiat hunc cum suo licet! adeò oneravit meas aures quidquid dicerem, suo, licet.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

GRYPUS petit à Dæmone ut pro invento vidulo aliquid mercedis sit. Negat Dæmones.

GRYPVS piscator, DÆMONES senex.

GRYPVS.

QUAM mox licet te compellare, Dæmones?
DAE. Quid est negotii, Grype? *GR.* de illo vidulo
Si sapias, sapias: HABEAS QUOD DI danunt boni.
DAE. Æquum videtur tibi, ut ego, alienum quod est,
Meum esse dicam? *GR.* quódne ego inveni in mari?
DAE. Tantò melius illi obtigit, qui perdidit:
Tuum esse nihilo magis oportet vidulum.
GR. Isto tu pauper es, cùm nimis sanctè pius.

INTERPRETATIO.

GR. *Quando licebit te alloqui, ô Dæmones? DÆ. Quid est rei, Grype! GR. Consule tibi de illo vidulo si sapis. Serva quod Dii tibi benignè dederint. DÆ. Tibine videtur æquum, ut ego affirmem ad me pertinere, id quod ad alium pertinet? GR. Estne id quod ego nactus sum in mari? DÆ. Qui amisit vidulum fuit tantò fœlicior: non debet idcircò hunc vidulum esse magis tuum. GR. Tu es pauper idcircò, quia es nimis religiosus.*

ANNOTATIO.

8. *Isto tu pauper.*] Persius:
Varo regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Si vir bonus esse volueris, vitam inopem duces. Digito terebrare salinum, est extremo digito illato in salinum acuere famem condimentorum loco omnium.

„ *DAE.* O

„*DAE.* O Grype Grype, In ÆTATE HOMINUM plurimæ
„Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.
„Atque edepol in eas plerunque esca imponitur:
„Quam si quis avidus poscit escam avariter,
„Decipitur in transennâ avaritiâ suâ.
Ille qui consultè, doctè, atque astutè cavet,
Diutinè uti bene licet partum bene:
Mihi istæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat quàm advenerit.
Egóne ut quod ad me allatum esse alienum sciam,
Celem? minimè istuc faciet noster Dæmones.
„SEMPER CAVERE HOC sapientes æquissimum est,
Ne conscii sint ipsi maleficiis suis.
Ego mihi cùm lusi, nihil moror ullum lucrum.
„*GR.* SPECTAVI EGO pridem Comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cùm illos sapientis mores monstrabant poplo:
Sed cùm inde suam quisque ibant diversi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi jusserant.
DAE. Abi intrò, ne molestus! linguæ tempera.
Ego daturus tibi nihil sum, ne tu frustra sis.
GR. At ego deos quæso, ut quicquid in illo vidulo'st:
Si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis.

INTERPRETATIO.

DÆ. O *Grype Grype*, *tenduntur complures laquei hominibus, dum vivunt, in quos incurrunt: atque per eadem Pollucis imponitur esca iis, quam si quis cupidius occupet, irretitur suâ avaritiâ tanquam suo laqueo. Ille qui sibi consulit prudenter, sapienter & cautè, utitur diu iis quæ rectè comparavit: mihi videtur hæc præda sic futura ipsa, ut auferatur, cum majore accessione, quàm erepta fuerit. Egone committam ut celem quod norim ad me allatum esse alienum? Noster herus Damones non faciet illud. Est par sapientes curare semper illud, ne ipsi sint rei suis malefactis. Quando ego ludo ad meam oblectationem, nullum curo quæstum.* GR. *Equidem observavi jamdudum comicos referre effata sapientia, atque iis tribui applausum, quando ostendebant bonos mores populo: verùm quando quisque revertebatur in suas ædes, nullus erat talis qualem prædicaverant eum esse oportere.* DÆ. *Ingredere, ne sis molestus! coërce linguam. Ego nihil tibi sum daturus, ne fallaris.* GR. *Sed ego obsecro Deos, ut quidquid est in illo vidulo, sive est aurum, sive argentum, ut id omne redigatur in cinerem.*

ANNOTATIONES.

10. *Transenna.*] Laqueus quo inserunt caput aves quibus tenduntur.

12. *Poscit.*] Alii *pascit*, antiquè pro *edit.*

Avariter.] Avidè.

15. *Partum uti.*] Uti parto.

22. *Cùm lusi.*] Ego cum me oblectem honestè, non curo lucrum.

31. *Cinis.*] Ovidius: *Deus quisquam Tam malè quæsitis pulvere mutet opes.*

DAE. Illuc eſt, quòd nos nequam ſervis utimur.
Nam illic cum ſervo ſi quo congreſſus foret,
Et ipſum ſeſe & illum furti adſtringeret.
Dum prædam habere ſe cenſeret, interim
Præda ipſus eſſet: præda prædam duceret.
Nunc hinc intrò ibo, & ſacrificabo. poſtibi
Jubebo nobis cænam continuò coqui.

INTERPRETATIO.

DÆ. *Idcircò nos habemus improbos ſervos. Nam ille, ſi eſſet certamen cum quodam ſervo, ſeſe ipſe redderet affinem furti, & ſervum, quando putaret ſe habere prædam; interim ipſe eſſet præda præda. Nunc ingrediar & ſacrificabo: poſteà mandabo continuò coqui cœnam.*

ANNOTATIO.

32. *Illuc eſt.*] Idcircò.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGVMENTVM.

TRACHALIO inventum in foro Pleuſidippum deducit ad Dæmonem.

PLEVSIDIPPVS adoleſcens, TRACHALIO ſervus.

PLEVSIDIPPVS.

ITERUM mihi iſtæc omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
Mi liberte, mi patrone, imò potius, mi pater.
Repperit patrem Palæſtra ſuum atque matrem? *TR.* repperit.
PL. Et popularis eſt? *TR.* opinor. *PL.* & mihi nuptura eſt?
TR. ſuſpicor.
PL. Cenſen' hodie deſpondebit eam mihi, quæſo? *TR.* cenſeo.
PL. Quid? patri etiam gratulabor, cùm illam invenit? *TR.* cenſeo.
PL. Quid? matri ejus? *TR.* cenſeo. *PL.* quid ergo cenſes?
TR. quod rogas,
Cenſeo. *PL.* dic ergo quanti cenſes? *TR.* egóne? cenſeo.

INTERPRETATIO.

PL. *Mi anime, mi Trachalio, mi liberte, mi Patrone, imò potius, mi pater, repete mihi iterum omnia illa. Palæſtra nacta eſt ſuum patrem atque matrem?* TR. *Nacta eſt.* PL. *Et eſt popularis?* TR. *Arbitror.* PL. *Et nubet mihi?* TR. *Suſpicor.* PL. *Putasne obſecro Dæmonem mihi eam hodie deſponſurum?* TR. *Puto.* PL. *Quid? gratulabor etiam patri, quia illam nactus eſt?* TR. *Puto.* PL. *Quid? ejus matri?* TR. *Puto.* PL. *Quid igitur putas?* TR. *Puto, id quod rogas.* PL. *Dic igitur quanti putas?* TR. *Egóne? cenſeo.*

PA. At ſume quidem, ne cenſionem ſemper facias. *TR.* cenſeo.
PL. Quid ſi curram? *TR.* cenſeo. *PL.* an ſic potius placidè? *TR.* cenſeo.
PL. Etiámne eam adveniens ſalutem? *TR.* cenſeo. *PL.* etiámne ejus patrem?
TR. Cenſeo. *PL.* pòſt ejus matrem? *TR.* cenſeo. *PL.* quid poſtea? Etiámne adveniens complectar ejus patrem? *TR.* non cenſeo.
PL. Quid, matrem? *TR.* non cenſeo. *PL.* quid eámpſe illam? *TR.* non cenſeo.
PL. Perii! delectum dimiſit. nunc non cenſet, cùm volo.
TR. Sanus non es, ſequere. *PL.* duc me, mi patrone, quò libet.

INTERPRETATIO.

PL. Sed accipe quidem, ne ſemper exerceas poteſtatem cenſoriam. TR. *Cenſeo.* PL. *Quid ſi curram?* TR. *Cenſeo.* PL. *Aut ſic potius ambulem placide,* ut ambulo? TR. *Cenſeo.* PL. *Salutabone etiam eam in ſuo adventu?* TR. *Cenſeo.* PL. *Salutabo quoque ejus patrem?* TR. *Cenſeo.* PL. *Poſtea ejus matrem?* TR. *Cenſeo.* PL. *Quid deinde? complectarne quoque ejus patrem quando advenero?* TR. *Non cenſeo.* PL. *Quid, matrem?* TR. *Non cenſeo.* PL. *Complectarne Palæſtram?* TR. *Non cenſeo.* PL. *Interii! omiſit delectum: non cenſum facit, quando volo.* TR. *Non es ſanus, ſequere.* PL. *Duc me, mi patrone, quò placet.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

LABRAX audit vidulum eſſe eductum è mari à Grypo. Pollicetur ei talentum ſi reddat: redditur. Grypus manumittitur.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LABRAX deplorat vicem ſuam, quòd unâ die fuerit ſpoliatus omnibus fortunis.

LABRAX Leno Cyrenenſis.

QUIS me eſt mortalium miſerior, qui vivat alter hodie,
Quem ad recuperatores modò damnavit Pleuſidippus.
Abjudicata à me modò eſt Palæſtra. perditus ſum!
Nam lenones ex gaudio credo eſſe procreatos,
Ita omnes mortales, ſi quid eſt mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea eſt, viſam huc in Veneris fanum.
Saltem ut eam abducam, de bonis quod reſtat reliquiarum.

INTERPRETATIO.

QUis eſt me infœlicior in vitâ? Pleuſidippus me condemnavit apud recuperatores. Palæſtra mihi erepta eſt modò judicio. Sum perditus! Nam puto omnes Lenones eſſe procreatos ex lætitiâ, adeò omnes homines lætantur, ſi accidit aliquod malum lenoni. Nunc ibo huc & videbo illam alteram quæ eſt mea, in fano Veneris. Ut ſaltem abducam Ampeliſcam, quæ mihi reſtat una ex omnibus bonis.

ANNOTATIONES.

2. *Recuperatores.*] Judices erant tres, qui dabantur à Prætore, & diſceptabant cauſas privatas.

3. *Abjudicata.*] Id eſt, Palæſtra: ſententia recuperatorum à me abducta eſt, & Pleuſidippo adjudicata.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

GRYPUS docet Labracem ejus vidulum eſſe à ſe inventum. Pollicetur Labrax talentum ſi reddat.

GRYPVS piſcator, LABRAX leno.

GRYPVS.

NUNQUAM edepol hodie ad veſperam Grypum inſpicietis vivum,
Niſi vidulus mihi redditur. *LA.* perii, cùm mentionem
Fieri audio uſquam viduli, quaſi palo pectus tundat.
GR. Iſtic ſceleſtus liber eſt: ego qui in mari prehendi
Rete atque excepi vidulum, dare ei negatis quicquam.

INTERPRETATIO.

GR. *PEr eadem Pollucis non videbitis hodie vivere Grypum ad veſperam, niſi mihi reſtituatur vidulus.* LA. *Interii, quando accipio fieri mentionem viduli; ſum quaſi aliquis impellat pectus palo.* GR. *Ille nefarius eſt liber: & recuſatis dare quidquam mihi qui piſcatus ſum, atque comprehendi vidulum retibus.*

LA. Prò di immortales! ſuo mihi hic ſermone arrexit aures.
GR. Cubitum hercle longis literis ſignabo jam uſquequáque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Grypum ut veniat. non feretis iſtum, ut poſtulatis.
LA. Meum hercle illic homo vidulum ſcit, qui habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic eſt homo. dî quæſo ſubvenite!
GR. Quid me intrò revocas? hoc volo hîc ante oſtium extergere.
Nam hoc quidem pol è rubigine, non è ferro factum eſt,
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit:
Nam quidem hoc Vere natum eſt verum: ita in manibus conſeneſcit.
LA. Adoleſcens, ſalve! *GR.* di te ament cum irraſo capite.
LA. quid fit?
GR. Verum extergetur. *LA.* ut vales? *GR.* quid tu? num medicus quæſo es?
LA. Imò edepol unâ literâ plus ſum, quàm medicus. *GR.* tum tu
Mendicus es? *LA.* tetigiſti acu. *GR.* videtur digna forma.
Sed quid tibi eſt? *LA.* hâc proximâ nocte in mari elavi.
Confracta eſt navis. perdidi, quicquid erat, miſer ibi omne.
GR. Quid perdidiſti? *LA.* vidulum cum auro atque argento multo.

INTERPRETATIO.

LA. *Proh Dii immortales! hic reddidit meas aures attentas ſuo ſermone.* GR. *Per Herculem denunciabo jam uſquequaque omnibus litteris cubitalibus, ſi quis amiſerit vidulum cum auro multo atque argento, ut veniat ad Grypum: non accipietis ut rogatis.* LA. *Per Herculem ille homo ſcit, quis habet vidulum, ut ego exiſtimo. Oportet ut conveniã illum hominem. Obſecro, adeſte Dii!* GR. *Quare me revocas in ades? Volo converrere has ſordes ante hoſtium; nam per Pollucem, hoc veru non eſt è ferro, ſed è rubigine, & quanto magis extergo, tanto magis fit tenue, atque rubiginoſum: etenim hoc Veru eſt natum verno tempore: adeò marceſſit in meis manibus.* LA. *Salvus ſis, adoleſcens!* GR. *Dii te ament cum tuo capite abraſo.* LA. *Quid rerum geritur?* GR. *Extergitur veru.* LA. *Quomodo vales?* GR. *Quid petis? Num es medicus, obſecro?* LA. *Imò per ædem Pollucis plus ſum, quàm medicus unâ litterâ.* GR. *Igitur tu es mendicus?* LA. *Rectè divinaſti.* GR. *Tua formâ videtur digna. Sed quid tibi eſt?* LA. *Perdidi omnia in mari hâc nocte ultimâ. Navis eſt confracta: perdidi infœlix omnia, quæ erant meæ.* GR. *Quid perdidiſti?* LA. *Vidulum cum multo auro atque argento.*

ANNOTATIONES.

7. *Cubitum.*] Si quid amiſſum fuerat, aut voce præconis proclamabatur, aut inſcribebatur longioribus litteris in locis, quò vulgò convenirent cœtus urbis, ut ſunt templa, forum, macellum. Cubitum longæ litteræ, grandiores, capitales, quadratæ.

15. *Vere natum eſt verum.*] Dabat ſcilicet in ſplendorem Veru. Dicit quò plus detergit rubiginis, hoc magis è veſtigio renaſci, ut verno tempore res omnes ſoboleſcunt.

Conſeneſcit.] Deteritur, & rubiginem contrahit.

16. *Cum irraſo capite.*] Qui evaſerant ex naufragio capillos deponebant in ſignum liberationis à tanto periculo.

GR. Ecquid meministi in vidulo, qui perit, quid infuerit ibi?
LA. Quid refert, qui periit? *GR.* tamen si non hoc, aliud fabulemur.
Qui si ego sciam quid invenerit? volo ex te scire signa.
LA. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus.
GR. Magna hercle præda'st! largiter mercedis indipiscar.
Dii homines respiciunt. bene ego hinc prædatus ibo.
Profectò hujus est vidulus. perge alia tu expedire.
LA. Talentum argenti commodum magnum inerat in crumenâ,
Præterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.
GR. Papæ! divitias tu quidem habuisti luculentas.
LA. MISERUM istuc verbum & pessimum est, Habuisse, & nihil habere.
GR. Quid dare velis, qui istæc tibi investiget indicétque?
Eloquere properè celeriter. *LA.* nummos trecentos. *GR.* tricas.
LA. Quadringentos. *GR.* tramas putridas. *LA.* quingentos.
GR. cassàm glandem.
LA. Sexcentos. *GR.* curculiunculos minutos fabulâre.

INTERPRETATIO.

GR. *Quid meministi quod fuerat in illo vidulo, qui est peritus?* LA. *Quid interest, quando quidem perditus est?* GR. *Tamen si nihil dicimus de hoc, loquamur de aliis. Si ego norim, quis invenerit? Volo scire ex te indicia.* LA. *Fuerant in marsupio octoginti nummi aurei. Præterea seorsum centum denaria Philippea in sacculo.* GR. *Est ingens per Herculem præda! Consequar largam mercedem. Dii respiciunt homines. Ego ibo hinc benè onustus prædâ. Profectò vidulus ad hunc pertinet. Prosequere commemorare alia.* LA. *Inerat in crumenâ magnum talentum argenti commodum, præterea urna, aqualis, cantharus, cymbium, cyathus.* GR. *Papæ! Tu habuisti quidem divitias luculentas.* LA. *Illud verbum habuisse, & habere nihil, est miserum & pessimum.* GR. *Dic citò, quid velis dare, cui investiget ista & tibi indicet?* LA. *Trecentos nummos.* GR. *Res nullius pretii.* LA. *Quadringentos.* GR. *Polliceris tramas putridas.* LA. *Quingentos.* GR. *Loqueris cassam glandem.* LA. *Sexcentos.* GR. *Dicis vermiculos parvos.*

ANNOTATIONES.

27. *Centum denaria Philippea.*] Alii *centum mna Philippa*, pro *mina Philippica*.

Pasceolo.] Nonius: *Pasceolus ex aluta sacculus.* Est autem *aluta* molle & tenue corium, ex quo fiunt chirothecæ, loculi, folluli.

29. *Dii homines respiciunt.*] Alludit ad Fortunam respicientem fœlicem & propitiam. Ζεὺς ἐπόπτιος, *Jupiter inspector.* Apuleius: *In tutelam jam receptus es Fortunæ, sed Videntis.* Virgilius:

Libertas quæ sera tamen respexit inertem.

31. *Commodum.*] Commodæ monetæ, id est, integro margine. Commodum talentum, commodæ minæ à quibus nihil exsectum detritumque est.

32. *Sinus.*] Vas sinuosum, ventriosum & oris angusti. Virgilius:

Sinum lactis, & hæc tibi liba, Priape, quot annis
Expectare sat est.

Epichysis.] Vas vinarium, è quo in cyathos vinum effunditur.

Gaulus.] Vasculum in formam cymbii, seu crateris.

34. *Habuisse.*] Seneca: *Habere eripitur; habuisse nunquam.*

37. *Tramas.*] Id est, fila putrida.

LA. Dabo ſeptingentos. *GR.* os calet tibi! num git frigidefactas?
LA. Mille dabo nummos. *GR.* ſomnias. *LA.* nihil addo: abi!
GR. igitur audi!
Si hercle abiero hinc, hîc non ero. *LA.* vin' centum & mille?
GR. dormis.
LA. Eloquere quantum poſtules. *GR.* quò nihil invitus addas;
Talentum magnum: non poteſt triobolum hinc abeſſe.
Proin tu vel ajas, vel neges. *LA.* quid iſtîc neceſſum eſt, video:
Dabitur talentum. *GR.* accede dum huc: Venus hæc volo arroget te.
LA. Quod tibi libet, id mihi impera. *GR.* tange aram hanc Veneris. *LA.* tango.
GR. Per Venerem hanc jurandum eſt tibi. *LA.* quid jurem? *GR.* quod jubebo.
LA. Præi verbis quid vis. id quod domi eſt, nullam ulli ſupplicabo.
GR. Tene aram hanc. *LA.* teneo. *GR.* dejura, te mihi argentum daturum,
Eodem die, viduli ubi ſis potitus. *LA.* fiat.
GR. LA. Venus Cyrenenſis, teſtem te teſtor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento ſalvum inveſtigavero,
Isque in poteſtatem meam pervenerit.

INTERPRETATIO.

LA. *Dabo ſeptingentos.* GR. *Os tibi calet! nunc frigefacis buccellam in ore?* LA. *Mille nummos.* GR. *Somnias.* LA. *Nihil adjicio: abi!* GR. *Audi igitur! Si per Herculem hinc demigravero, non ero hîc.* LA. *Visne centum & mille?* GR. *Dormis.* LA. *Dic quantum roges.* GR. *Ut nihil addas invitus; magnum talentum: non poteſt detrahi hinc triobolum. Itaque tu vel die, vel nega.* LA. *Video quid oporteat agere hîc: dabitur talentum.* GR. *Accede dum huc: volo ut hæc Venus te roget mecum.* LA. *Manda mihi id quod volueris.* GR. *Tange hanc aram Veneris.* LA. *Tango.* GR. *Oportet te jurare per hanc Venerem.* LA. *Quid jurem?* GR. *Id quod mandabo.* LA. *Dicta mihi: nunquam petam à vicinis id quod habeo domi.* GR. *Tange hanc aram.* LA. *Tango.* GR. *Jura te mihi daturum pecuniam pactam, eo die, quo habebis vidulum.* LA. *Eſto.* GR. LA. *Venus Cyrenenſis, te teſtor mihi teſtem, ſi invenero meam peram ſalvam, quam ego perdidi in navi cum auro & argento, & ea venerit in meam poteſtatem.*

ANNOTATIONES.

39. *Git.*] Frutex quem Latini nigellam vocant, guſtu ſimilis piperi. Auſonius: *Eſt inter fruges morſu piper æquiparans git.*

Proverbialis forma in eos, qui trepidè & ſummis tantum labris loquuntur.

45. *Arroget te.*] Id eſt, volo id à te petat Venus ipſa.

46. *Tange aram.*] Cicero: *Is ſi aram tenens juraret, crederet nemo.* Juvenalis: *Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſummâ Exiguâ, Cereris tangens aramque pedemque.*

Aras tangebant & precaturi.

48. *Id quod domi.*] Id habent in promptu, domeſticum, familiare, ut ſint perjuri.

GR. Tum ego huic Grypo dico : inquito , & me tangito.
LA. Tum ego huic Grypo dico , Venus , ut tu audias.
GR. LA. Talentum argenti magnum continuò dabo.
GR. Si fraudaſſis ; dicito , uti te in quæſtu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen , ubi juraveris.
LA. Et illum ego advorſum ſi quid peccaſſo , Venus,
Veneror te , ut omnes miſeri lenones ſient.
GR. Tamen fiet , etſi tu fidem ſervaveris.
Tu hîc operire , jam ego faxo exibit ſenex:
Eum tu continuò vidulum repoſcito.
LA. Si maximè mihi illum reddiderit vidulum ,
Non illi ego hodie debeo triobolum.
Meus arbitratus eſt , lingua quod juret mea.
Sed conticeſcam. eccum exit , & ducit ſenem.

INTERPRETATIO.

GR. *Tum , ego dico huic Grypo : dic , & me tange.* LA. *Tum ego dico huic Grypo , Venus , ut tu audias.* GR. LA. *Dabo continuo magnum talentum argenti.* GR. *Si fraudaveris ; dicito , ut Venus te eradicet in tuo quæſtu , caput & tuam vitam : tamen habe hoc tecum , quando juraveris.* LA. *Et ego te rogo , ut ſi quid peccavero adverſus illum , ut omnes lenones ſint infelices.* GR. *Tamen lenones erunt miſeri, etſi tu fidem ſervaveris. Tu opperire hîc : jam ego curabo , ut ſenex egrediatur : tu repete continuò vidulum.* LA. *Etſi mihi reſtituerit hodie vidulum , ego non illi dabo tres obolos. Eſt ſitum in meo arbitrio, quod mea lingua juraverit. Sed tacebo: ecce exit Grypus , & adducit ſenem.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

DEDUCIT Grypus Labracem ad Dæmonem ; petit mercedem indicati viduli à Labrace Grypus.

GRYPVS piſcator, DÆMONES ſenex, LABRAX leno.

GRYPVS.

SEQUERE hàc. ubi iſtic leno eſt ? heus tu , hem tibi, hic habet vidulum.
DÆ. Habeo, & fateor eſſe apud me : & , ſi tuus eſt ; habeas tibi.

INTERPRETATIO.

GR. *Sequere hàc. Ubi eſt ille leno? Heus tu , hem tibi : hic habet vidulum.* DÆ. *Habeo, & fateor* eum *eſſe apud me : & , ſi ad te pertinet , ſerva.*

Omnia

Omnia ut quicquid infuere, ita salva sistentur tibi.
Tene, si tuus est. *LA.* ô di immortales! meus est. salve, vidule.
DÆ. Tuúsne est? *LA.* rogitas? siquidem hercle Jovis fuit, meus est tamen.
DÆ. Omnia insunt salva: una istinc cistella excepta est modò
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
LA. Quam? *DÆ.* tua quæ fuit Palæstra; ea filia inventa est mea.
LA. Bene mehercle factum est, cùm istæc res tibi ex sententiâ
Pulcrè evenit, gaudeo. *DÆ.* istuc facilè non credo tibi.
LA. Imò hercle ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te. *DÆ.* benignè edepol facis.
LA. Imò tu quidem hercle verò. *GR.* heus tu! jam habeas vidulum.
LA. Habeo. *GR.* propera. *LA.* quid properabo? *GR.* reddere argentum mihi.
LA. Neque edepol tibi do, neque quicquam debeo. *GR.* quæ hæc factio est?
Non debes? *LA.* non hercle verò. *GR.* non tu juratus mihi es?
LA. Juratus sum: & nunc jurabo, si quid voluptati est mihi:
Jusjurandum rei servandæ, non perdendæ, conditum est.
GR. Cedò sis mihi talentum magnum argenti, perjurissime.
DÆ. Grype! quod tu istum talentum poscis? *GR.* juratu'st mihi
Dare. *LA.* libet jurare. tun' meo pontifex perjurio es?

Interpretatio.

Quemadmodum quidlibet fuit in eo, ita tibi restituetur salvum. Accipe, si est tuus. LA. *O Dii immortales! est meus: salve, vidule.* DÆ. *Estne tuus?* LA. *Rogas? Si per Herculem, fuit Jovis, tamen est meus.* DÆ. *Universa sunt integra in eo: una arcula tantum fuit deprompta cum crepundiis, quorum operâ detexi hodie meam filiam.* LA. *Quam?* DÆ. *Palæstram, quæ fuit tua, inveni meam esse filiam.* LA. *Gaudeo per Herculem; lætor quia id tibi evenit pulchrè & ex sententiâ.* DÆ. *Non credo facilè te lætari.* LA. *Imò per Herculem, ut intelligas me gaudere, ne dederis mihi ob eam peram tres obolos: eam tibi do.* DÆ. *Per ædem Pollucis facis urbanè.* LA. *Imò tu per Herculem.* GR. *Heus tu! habesne jam vidulum?* LA. *Habeo.* GR. *Accelera.* LA. *Quid accelerabo?* GR. *Mihi reddere pecuniam.* LA. *Neque, per ædem Pollucis, tibi do, neque debeo quidquam.* GR. *Quæ est hæc ratio agendi? Non debes?* LA. *Non debeo per Herculem.* GR. *Non tu mihi juraſti?* LA. *Juravi; & jurabo nunc, si lubeat: jusjurandum fuit inventum ad rem tuendam, non perdendam.* GR. *Da mihi, si vis, magnum talentum argenti, perjurissime.* DÆ. *Grype! quod talentum tu poscis?* GR. *Juravit se mihi daturum.* LA. *Placet jurare. Esne tu Pontifex, ut judices de meo perjurio?*

Annotationes.

18. *Jusjurandum conditum est.*] Inventum est. Pacuvius: *Jusjurandum est mantile, quo quotidianæ noxæ extergentur.* Laberius: *Quid est jusjurandum? Emplastrum æris alieni.*

21. *Pontifex.*] Qui consulto per Deos araſque Deorum perjerabant, Pontificibus pœnas dabant; qui per genium principis, principi; qui aliâ ratione, censoribus.

DÆ. Quâ pro re argentum promisit hic tibi? *GR.* si vidulum
Justum redegissem in potestatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. *LA.* cedò qui cum habeam judicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nîve etiam dum siem
Quinque & viginti natus annos. *GR.* habe cum hoc. *LA.* alio'st opus.
DÆ. Jam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.
Promisisti huic argentum? *LA.* fateor. *DÆ.* quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet: ne tu leno postules
Te hîc fide lenonia uti: non potes. *GR.* jam te ratus
Nactum hominem quem defraudares. dandum huc argentum est probum:
Id ego continuò huic dabo, adeò me ut hic emittat manu.
DÆ. Quando ergo erga te benignus fui, atque operâ meâ
Hæc tibi sunt servata. *GR.* Imò hercle meâ, ne tu dicas tuâ.
DÆ. Si sapies, tacebis! tum te mihi benignè itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiam. *LA.* nempe pro meo
Jure oras. *DAE.* mirum quin tuum jus meo periculo abs te expetam.
GR. Salvus sum: leno labascit: libertas portenditur.

Interpretatio.

DÆ. *Pro quâ re tibi promisit pecuniam?* GR. *Juravit se mihi daturum magnum talentum argenti, si ei restituissem suum vidulum.* LA. *Eligamus judicem ad disceptandam hanc controversiam; & primò, probabo te stipulatum esse dolo malo. Deinde me minorem esse quinque & viginti annis.* GR. *Habe judicem cum Dæmone, ut coram eo cum Dæmone de sponsione certes.* LA. *Est opus alio.* DÆ. *Non sinam te auferre vidulum, nisi condemnavero istum. Huicne pollicitus es pecuniam?* LA. *Fateor.* DÆ. *Quod pollicitus es meo servo, oportet ad me pertinere: ne putes, ô leno, tibi utendum esse hîc fide lenontâ: non potes.* GR. *Arbitratu jam te incidisse in hominem quem defraudes. Oportet dare huic argentum probum: id ego dabo continuò huic, adeò ut hic me manumittat.* DÆ. *Quoniam te affeci hoc beneficio, & hæc sunt servata meâ operâ,* GR. *Imò per Herculem meâ, ne tu dicas tuâ.* DÆ. *Tacebis, Grype, si sapias! Tum te, ô Labrax, addecet etiam mihi referre gratiam de te benemerito.* LA. *Nempe quando dicis tibi esse à me referendam gratiam, loqueris pro meo jure.* DÆ. *Mirum quin expetam tuum jus meo damnis.* GR. *Sum salvus: leno vacillat; ostenditur libertas.*

Annotatio.

24. *Cedò qui cum.*] Quis id, quod dare juratus sum, auferet a me judicio, si probaverim te stipulatum esse, dolo malo; & per hoc stipulationem non valere; meque viginti quinque annis minorem esse, & ob id *Latoriæ legis* beneficio uti posse? Minores viginti quinque annis sine autore, nequeunt obligari, atque adeò *Latoriæ legis* beneficio in integrum restituuntur. Stipulari, instipulari, restipulari, idem est quod promittere & repromittere. Dolus malus est machinatio quædam alterius decipiendi causâ, quando aliud agitur, aliud simulatur.

DAE. Vidulum istic ille invenit : illud mancipium meum est.
Ego tibi hunc porrò servavi cum magnâ pecuniâ.
LA. Gratiam habeo, & de talento nulla caussa est quin feras,
Quòd isti sum juratus. *GR.* heus tu ! mihi dato ergo, si sapis.
DAE. Tacen' an non ? *GR.* tu meam rem simulas agere ; tibi mu**
Non hercle istoc me intervortes, si aliam prædam perdidi.
DÆ. Vapulabis ; verbum si addes istuc unum. *GR.* vel hercle eneca,
Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento comprimor.
LA. Tibi operam hic quidem dat ; taceto. *DAE.* concede hoc tu leno. *LA.* licet.
GR. Palâm age, nolo murmur ullum neque susurrum fieri.
DAE. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam Ampelisscam ? *LA.* mille nummos denumeravi. *DAE.* vin' tibi Conditionem luculentam ferre me ? *LA.* sanè volo.
DAE. Dividuum talentum faciam. *LA.* bene facias. *DAE.* pro illâ alterâ,
Libera ut sit, dimidium tibi sume, dimidium huic cedò.
LA. Maximè. *DAE.* pro illo dimidio ego Grypum emittam manu,
» Quem propter tu vidulum, & ego natam inveni. *LA.* bene facis :
Gratiam habeo magnam. *GR.* quàm mox mihi argentum ergo redditur ?
DAE. Res soluta est, Grype. ego habeo. *GR.* hercle, at ego me mavolo.
DAE. Nihil hercle hîc tibi est, ne tu speres. jurisjurandi volo

INTERPRETATIO.

DÆ. *Ille ipse invenit vidulum : illud mancipium est meum. Ego tibi hunc servavi cum magnâ pecuniâ.* LA. *Habeo gratiam, & de talento est nulla caussa, quin accipias id quod isti sum pollicitus.* GR. *Heus tu ! Da mihi igitur, si sapis.* DÆ. *Silebisne ?* GR. *Tu simulas curare meam rem ; tibi mu..... per Herculem non me circumvenies, si perdidi aliam prædam.* DÆ. *Dabis pœnas, si addideris adhuc unum verbum.* GR. *Per Herculem, vel eneca ; non silebo unquam alio pacto, nisi coërceor talento.* LA. *Hic quidem tibi studet ; tace.* DÆ. *Da hoc leno.* LA. *Licet.* GR. *Age coram, nolo edi murmur ullum, neque vel minimum flatum.* DÆ. *Dic mihi quanti emisti tuam illam alteram mulierculam Ampelisscam ?* LA. *Numeravi mille nummos.* DÆ. *Visne me tibi offerre luculentam conditionem ?* LA. *Volo sanè.* DÆ. *Dividam talentum.* LA. *Facias rectè.* DÆ. *Ut sit pro illâ alterâ libertâ, tibi accipe dimidium, da huic dimidium.* LA. *Optimè.* DÆ. *Ego manumittam Grypum pro illo dimidio, cujus operâ tu inveniſti vidulum, & ego natam.* LA. *Rectè facis : habeo magnam gratiam.* GR. *Igitur mihi reddatur statim pecuniâ ?* DÆ. *Grype, res est soluta : ego habeo.* GR. *Per Herculem, sed ego malim habere.* DÆ. *Per Herculem nihil habes hîc, ne tu speres. Volo condones jurjurandum.*

ANNOTATIONES.

52. *Dividuum faciam.*] Id est, *dividam.*

58. *Jusjurandi volo gratiam facias.*] Volo te liberare Grypum præstiti jusjurandi ; id est, vulgò dispensare. Pecuniæ gratiam facere, remittere, votorum gratiam facere alicui : *Dispenser quelqu'un de ses vœux.*

Gratiam facias. *GR.* perii hercle : nisi me suspendo, occidi.
Nunquam hercle iterum defraudabis me quidem post hunc diem.
DAE. Hîc hodie cœnato, leno. *LA.* fiat! conditio placet.
DAE. Sequimini intrò ! spectatores, vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi,
Néve adeò vocatos credam vos esse ad cœnam foras.
Verùm si voletis plausum Fabulæ huic clarum dare,
Commissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim.
Vos hîc hodie cœnatote ambo. *LA.* fiat. *DAE.* plausum date.

INTERPRETATIO.

GR. Perii per Herculem : occidi, nisi me suspendo. Per Herculem nunquam me defraudabis iterum post hunc diem. DÆ. *Leno cœnat hodie hìc.* LA. *Fiat! conditio placet.* DÆ. *Sequimini intrò ! spectatores, vos vocarem quoque ad cœnam, si esset quod apponerem, & si esset aliquid delicati domi, & nisi crederem vos esse vocatos ad cœnam foràs. Sed si volueritis dare huic fabulæ altum plausum, venite ad me omnes commessatum in annos sexdecim. Vos cœnate ambo hìc hodie.* LA. *Fiat.* DÆ. *Date plausum.*

ANNOTATIO.

63. *Pollucti.*] Si nobis esset cœnâ tam lautè apparata, quàm esse solet eorum qui votivum epulum faciunt, vos invitarem.

FINIS RUDENTIS.

M. ACCI PLAUTI STICHUS.

ARGUMENTUM.

ATHENIENSIS Antipho habebat filias duas Panegyrim & Pinacium. Dedit eas in matrimonium fratribus duobus, Epignomo Panegyrim, Pamphilippo Pinacium. In luxu & deliciis omnem rem familiarem dilapidavit gener uterque. Sed tandem ad meliorem frugem sese recipiunt, mercaturisque rem recuperaturi absunt triennio toto à patriâ & uxoribus. Eorum absentiæ tædet patrem. Suadet filiabus, ut aliis viris nubant, repudium mittant prioribus. Panegyris & Pinacium recusant eam labem inferre suæ fidei. Interim Dinacium puer sororum duarum adest. Nuntiat esse in portu viros duos cum navibus, omni copiarum genere refertis. Epignomus socerum suum Antiphonem invitat ad cœnam cum fratre Pamphilippo. Quum eò proficiscitur, Stichus servus Epignomi & Sagarinus servus Pamphilippi cogitant etiam de cœna & voluptatibus. Amat uterque servus Stephanium ancillam Pamphilippi conservam Sagarini; apud ipsum Sagarinum cœnant; unà saltant ad tibias. Unde Fabulæ hujus Argumentum sumpserit Plautus nusquam apparet. Dicitur Stichus, quia Stichus Autor fuit & Sagarino, & Stephanio cœnæ, quam agitaverunt unà, tum ad recreandas vires diuturnâ navigatione afflictas, tum ad significationem lætitiæ propter reditum dominorum. Nomen verò habet Fabula ab Sticho potius quàm à maritis aut uxoribus, quia novum magis est & singulare duos amantes amare se invicem, & unam amicam partiri ex æquo suos amores Rivalibus duobus, quàm aut fidas esse uxores maritis, aut maritos reverti ex improviso. Hæc Comœdia caret Prologo, constat Fabulâ & Epilogo. Protasis Fabulæ est in Scenâ primâ Actus primi, Epithasis in Actu reliquo, Catastrophe in reliquâ Fabulâ, excepto versu ultimo quo continetur Epilogus. In eâ est exemplum fidei conjugalis in Panegyri & Pinacio pulcherrimum, pœnarum sumptarum de homine, qui dux fuerit ad nequitiam juventuti in Gelasimo Parasito.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

ANTIPHO Athenienſis pater Panegyris & Pinacii.
PANEGYRIS } Filiæ Antiphonis.
PINACIUM }
CROCOTIUM ancilla Panegyris & Epignomi.
STEPHANIUM ancilla Pinacii & Pamphilippi.
STICHUS ſervus Epignomi & Panegyris.
SAGARINUS ſervus Pamphilippi & Pinacii.
DINACIUM puer Epignomi & Panegyris.
GELASIMUS Paraſitus.
EPIGNOMUS maritus Panegyris.
PAMPHILIPPUS maritus Pinacii.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

SENEX castigat filias, quòd hæ viros
TAm perseverent peregrinantis pauperes
ICta sustinere fratres, neque relinquere.
CHontráque verbis delenitur commodis,
Habere ut sineret, quos semel nactæ forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare:
Suam quisque retinet: ac Sticho ludus datur.

INTERPRETATIO.

SEnex increpat filias, quòd non desistant à tuendis partibus suorum maritorum pauperum & peregrinantium, neque repudiare velint. Imò pater sic *demulcetur sermone blando* filiarum suarum, *ut patiatur* eas *servare* viros *quibus semel matrimonio juncta sunt. Mariti revertuntur* à regionibus, quæ sunt *ultrà mare divitiis onusti. Uterque suam conjugem denuo accipit. : & ludendi copia Sticho conceditur.*

ANNOTATIONES.

1. *Senex.*] Antipho pater Pinacii & Panegyris.
Filias.] Panegyris & Pinacium.
Viros.] Pamphilippum & Epignomum maritos Pinacii & Panegyris.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

ANTIPHO filias duas Panegyrim & Pinacium, omni ratione ab maritorum suorum Epignomi & Pamphilippi absentium à tribus annis deducere conatur, & alias nuptias suadet.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PANEGYRIS & Pinacium statuunt strenuè resistere patri suadenti alias nuptias.

PANEGYRIS, PINACIVM sorores.

PANEGYRIS.

CREDO ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro suo caruit. nam nos ejus animum
De nostris factis noscimus, quarum viri hinc absunt,
Quorumque nos negotiis absentum, ut est æquum,
Sollicitæ noctes & dies, soror, sumus semper.
„ *PI.* NOSTRUM OFFICIUM nos facere æquum est: neque
„ Id magis facimus, quàm nos monet pietas.
Sed hîc, mea soror, assis dum: multa volo tecum
Loqui de re viri. *PA.* salvéne, amabo?
PI. Spero quidem, & volo: sed hoc, soror, crucior,
Patrem tuum meúmque adeò, unicè qui unus
Civibus ex omnibus probus perhibetur,
Eum nunc improbi viri officio uti,
Viris qui tantas absentibus nostris
Facit injurias immeritò,
Nosque ab his abducere volt.
Hæ res vitæ me, soror, saturant:
Hæ mihi dividiæ & senio sunt.

INTERPRETATIO.

PA. *EGo arbitror Penelopen doluisse serio, soror; quæ fuit privata, tam longo tempore suo marito* tanquam *vidua. Nam nos intelligimus quæ fuerit ejus mens ex nostrâ sorte;* videlicet *nostri mariti absunt hinc, & nos tenemur sempiternâ sollicitudine diu noctuque, soror, ut est par, de eorum negotiis,* intereadum *absunt.* PI. *Oportet nos obire nostras partes: neque facimus plusquàm pietas nos hortatur. Sed veni huc, mea soror; mens est disserere tecum de negotiis mei mariti pluribus verbis.* PA. *Se habentne benè, obsecro?* PI. *Est spes quidem, & opto: sed idcircò doleo, soror, quod tuus pater & meus, qui prædicatur esse unus omnium civium longè æquissimus, fungatur nunc officio viri nequam, & afficiat immeritò tantâ contumeliâ nostros maritos absentes, & conetur nos avocare ab his. Id, soror, me reddit defessam vitâ: id me consecit mœrore & tædio.*

ANNOTATIONES.

1. *Miseram fuisse ex animo.*] Homerus: πάντες ἄλγεα ὃν κῆρ θυμόν.

2. *Tam diu.*] Viginti annis.

Vidua.] *Vidua* dicitur, & ea cujus mortuus est vir, & ea à quâ diu vir abest. Seneca de uxore Agamemnonis post decennium; idem quod de uxore Ulyssis. Plautus: *Decem per annos vidua respiciam virum.* Imò Virgo quæ nunquam habuit maritum dicitur & *vidua.* Idem Seneca: *An te morantur virgines vidua domi?* Uno verbo *vidua*, est ab antiquo *iduo*, divido: unde *idus*, dictæ sunt, quòd in duas partes fermè æquales dividant. Quæ igitur mulier sejuncta est à viro dicta est vidua.

4. *De nostris factis.*] Id est, per nos ipsas

18. *Vita me saturant.*] *Je suis lassée de vivre.*

19. *Senio.*] Id est, tædio & odio.

20 *PA.*

PA. Neu lacruma, soror; neutuo id animo
Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.
Spes est eum melius facturum.
Novi ego illum: istæc joculo dicit:
Neque ille sibi mereat Persarum
Montes, qui esse aurei perhibentur,
Uti istuc faciat, quod tu metuis.
Tamen si faciat, minimè irasci
Decet: neque id immeritò eveniet.
Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. *PI.* ita ut memoras.
PA. Cùm ipsi intereà vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.
PI. An id doles, soror, quia illi suum officium
Non colunt, cum tuum facis? *PA.* ita pol.
PI. Tace sis! cave sis audiam ego istuc,
Cave, posthac ex te. *PA.* nam qui jam?
„ *PI.* Quia pol meo animo OMNES SAPIENTES
„ SUUM OFFICIUM æquum est colere, & facere.
Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es major,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et, si illi improbi sint, atque aliter
Nos faciant, quàm æquum est: tamen pol
Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet.

INTERPRETATIO.

PA. *Ne luge, soror; neque tibi infligevulnus, quod tuus pater minatur infligere. Spero eum acturum mitius. Ego illum nosco: dicit hæc jocando, & si polliceatis montes Persarum qui dicuntur esse aurei, moliatur id quod tu pertimescis. Tamen si agat, non oportet ægrè ferre: neque id accidet immeritò. Nam sunt tres anni, ex quo nostri mariti migraverunt domo.* PI. *Sic res est ut dicis.* PA. *Cum ipsi interim, neque ad nos scribant sintne adhuc in vivis, sintne sani, quibus in locis versentur, quid faciant, quid non faciant; neque revertuntur.* PI. *An idcircò fers ægrè, soror, quia illi non funguntur suo officio, quando fungeris tuo?* PA. *Ita per Pollucem.* PI. *Tace, si vis! cave, cave si vis, ne ego audiam id deinceps à te.* PA. *Quare?* PI. *Quia per Pollucem, ut ego arbitror, decet omnes qui sapiunt obire & exequi suum munus. Quocirca ego te monitam volo hujus rei, soror, quamvis es major natu, ut recorderis tuarum partium. Etsi illi sint iniqui, & agant nobiscum aliter quàm decet; tamen per Pollucem oportet nos recordari nostri officii omnibus viribus, ne magis simus obsequentes* nostro patri.

ANNOTATIO.

44. *Ne quid.*] Ne aliqua ex parte magis obsequamur patri, summopere decet meminisse officium nostrum erga viros.

PA. Placet: taceo. *PI.* at memineris facito.
PA. Nolo ego, soror, me credi esse immemorem viri,
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit:
Nam mihi pol grata acceptáque hujus est benignitas:
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet:
Neque est cur nunc studeam has nuptias mutarier.
Verùm postremò in patris potestate est situm:
FACIENDUM ID nobis quod parentes imperant.
PI. Scio, atque in cogitando mœrore augeor.
Nam propemodum jam ostendit suam sententiam.
PA. Igitur quæramus, nobis quid facto usus sit.

INTERPRETATIO.

PA. *Bene mones: sileo.* PI. *At da operam ut recorderis.* PA. *Ego nolo haberi immemor mariti, ô soror, neque ille amisit eos honores, quos mihi exhibuit. Nam per Pollucem ejus lenitas mihi est dulcis & jucunda: neque me pudet hujus sortis nunc, neque est cur velim nunc mutari has nuptias. Sed demum est positum in arbitrio patris: est agendum id quod parentes nobis præcipiunt.* PI. *Intelligo, atque excrucior mœrore dum reputo. Nam detexit jam fermè suam mentem.* PA. *Itaque excogitemus, quid nobis agendum sit.*

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

PANEGYRIS & Pinacium constanter resistunt Antiphoni patri suadenti novas nuptias, repudiatis maritis.

ANTIPHO, PANEGYRIS, PINACIVM.

ANTIPHO.

QUI MANET UT MONEATUR semper servus homo officium suum,
Nec voluntate id facere meminit, servus is habitu haud probus est.

INTERPRETATIO.

AN. *NOn est bonum habere illum servum, qui expectat semper donec moneatur sui muneris, nec recordatur implere id ultrò.*

ANNOTATIONES.

1. *Qui manet ut moneatur.*] *Qui expectat ut moneatur.* Decem prioribus versibus alloquitur Antipho servos, ut omnia domi munda sint.

2. *Habitu haud probus.*] *Il n'y a pas de plaisir d'avoir un tel valet.*

Vos meminiſtis quot calendis petere demenſum cibum,
Quî minus meminiſtis, quod opus ſit facto, facere in ædibus?
Jam quidem in ſuo quidque loco niſi erit mihi ſitum ſupellectilis,
Cùm ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi hîc videntur, ſed ſues.
Facite, ſultis, nitidæ ut ædes meæ ſint, cùm redeam domum.
Jam ego domi adero: ad meam majorem filiam inviſo domum.
Si quis me quæret, inde vocatote aliqui: aut jam egomet hîc ero.
PI. Quid agimus, ſoror; ſi offirmabit pater adverſum nos?
PA. PATI
Nos OPORTET quod ille faciat, cujus poteſtas plus poteſt.
AN. Si manere hîc ſeſe malint potius, quàm aliò nubere;
Non faciant? quid mihi opu'ſt decurſo ætatis ſpacio cum eis
Gerere bellum; cùm nihil, quamobrem faciam, meruiſſe arbitrer?
Minimè! nolo turbas. ſed hoc mihi optimum factu arbitror,
Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor!

INTERPRETATIO.

Vos recordamini primo quoque die menſis exigere menſuram frumenti, quare non recordamini etiam agere domi id, quod eſt opus facto? Niſi omnis ſupellex erit jam poſita in ſuo loco quando ego redibo, vos admonebo memoriâ bubulâ. Arbitror non homines manere hîc mecum, ſed ſues. Agite, ſi vultis, ut mea domus ſit munda, quando repetam ades. Ego jam ero domi: eo domum ad inviſendam meam filiam majorem. Si quis me petet, vocate inde aliqui: aut egomet ero hîc jam. PI. *Quid faciemus, ſoror? ſi pater nos urgebit pertinaciter?* PA. *Oportet nos ferre illa quæ adhibet adverſum nos ille cujus poteſtas plus valet.* AN. *Si optent magis ſtare in his nuptiis, quàm inire alias; quidni ſtent? Quid eſt neceſſe exactâ ætate pugnare cum iis, quandoquidem non video quid commeruerint, quamobrem id agam? Nequaquam! Odi contentiones. Sed reor mihi eſſe id factendum; primum ſic meditabor mecum ipſe, quomodo incipiam agere cum illis!*

ANNOTATIONES.

3. *Quot calendis.*] Ut *quot annis, quot menſibus, quot diebus:* pro, *ſingulis annis, menſibus, diebus:* pro, *unoquoque anno, menſe, die.*

Demenſum.] Tertullianus: *Cibaria.* Martialis: Donatus: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in menſem, & id demenſum dicebatur: utrum à menſe, an à metiendo, incertum eſt.* Juvenalis:

Servorum ventres modio caſtigat iniquo
Ipſe quoque eſuriens.

Seneca: *Servus eſt: quinque modios accipit.* Horatius: ——*cui ſatis una*
Farris libra foret, gracili ſic, tamque puſillo.

Cibaria autem alia erant *Ruſticæ*, alia *Urbana.* Cyprianus: *Menſurna diviſio, hæc erat quæ in alimenta Preſbyterorum dabatur, ſeu demenſum Preſbyterorum.*

6. *Monumentis bubulis.*] Id eſt, *loris* è corio bubulo factis ad admonendos officii ſui ſervos immemores.

11. *Offirmabit.*] Offirmato animo urgebit, pertinaci.

14. *Non faciant.*] *Non faciant*, id eſt, non diſcedent à maritis. In quo ſibi ipſe reponit Antipho, quaſi ſecum dixerit. Enitar autoritate patriâ, ut filias meas abducam à maritis. Sed, *ſi manere hîc*, &c.

Utrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quasi nunquam quicquam in eas simulem; quasi nihil indaudiverim,
Eas in se meruisse culpam: an potius tentem leniter;
An minaciter. scio lites fore? ego meas novi optumè.
PI. Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.
Gratiam à patre si petimus, spero ab eo impetrassere:
„ ADVERSARI sine dedecore & scelere summo haud possumus.
Neque ego sum factura; neque tu ut facias, consilium dabo:
Verùm ut exoremus. novi ego nostros: exorabili'st. [serint.
AN. Sic faciam! assimulabo quasi aliquam culpam in sese admi-
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora:
Post id agam igitur: deinde, ut animus meus erit, faciam palàm,
Multa, scio, facienda verba. ibo intrò. sed aperta est foris.
PI. Certò enim mihi paternæ vocis sonitus aures accidit.
PA. Is est ecastor. ferre advorsum hominem occupemus osculum.
PI. Salve, mi pater! *AN.* & vos! ambæ illicò, agite, abscedite.
PI. Osculum. *AN.* sat est osculi mihi vestri. *PI.* quî, amabo, pater?
AN. Quia ita meæ animæ salsura evenit. *PI.* assîde hîc, pater.

INTERPRETATIO.

Utrum ego illas agrediar sermone perplexo sic, quasi nihil culpem in eis; quasi non audiverim eas esse affines culpæ: an potius adoriar benignè, an adhibitis minis. Scio futuras esse contentiones; ego novi penitus indolem mearum. PI. *Existimo agendum esse cum patre exorando, non obluctando. Si rogamus beneficium à patre, spes est fore ut impetremus ab eo: non possumus obniti sine summâ contumeliâ & crimine. Neque ego committam; neque author ero, ut tu committas: sed ut exoremus. Ego novi nostrum sanguinem; facile exorari potest.* AN. *Sic agam! Simulabo quasi perpetrarint aliquod peccatum. Perterrefaciam hodiè verbis perplexis earum mentem. Postèà agam serio, & patefaciam, quæ sit mea mens: scio esse multa dicenda. Ingrediar: sed limen est apertum.* PI. *Nam sonitus vocis patriæ mihi venit certò ad aures.* PA. *Est ille, per ædem Castoris: occurramus homini ad ei ferendum osculum.* PI. *Salvus sis, mi pater!* AN. *Et vos! salvi sitis. Agite ambæ, abscedite illicò.* PI. *Osculum.* AN. *Vos satis osculatæ estis.* PI. *Quare, obsecro, pater?* AN. *Quia sic salsperssum est meæ animæ.* PI. *Sede hîc, pater.*

ANNOTATIONES.

18. *Perplexim.*] Alibi *verbum perplexabile. Contortiplicata oratio.* Phædrus: *Verbosa strophæ.* Martialis: *Nihil stropharum est.*

19. *In eas simulem.*] Tmesis: *Eas insimulem.* Donatus: *Insimulatio est, & falsi & veri criminis incusatio.* Cicero: *Nihil eorum, quæ Galli insimulabant, negarunt.*

21. *An minaciter.*] *Adhibitis minis.*

22. *Exorando.*] Ovidius:
—blanditiisque magis quàm viribus uti
Convenit.

23. *Impetrassere.*] *Impetraturas.*

26. *Nostros.*] *Nostri generis homines.*

32. *Occupemus ferre osculum.*] *Sautons luy au col.*

35. *Quia salsura anima mea evenit.*] Metaphorâ à sale ductâ, ostendit esse satis osculorum. Quasi dicat: oscula sunt sali similia. Si plus vel minus aspergas salis cibo, non est bonus: si satis, bonus est. Sic in osculis. Si minus impertias, videtur amicitia frigidior: si plus, eris molestus.

AN. Non ſedeo iſtîc! vos ſedete: ego ſedero in ſubſellio.
PI. Mane pulvinum. *AN.* bene procuras mihi: ſatis ſic fultum eſt mihi.
PI. Sine, pater. *AN.* quid opus eſt? *PI.* opus eſt. *AN.* morem tibi geram. atque hoc ſatis eſt.
„*PI.* NUNQUAM enim NIMIS CURARE poſſunt ſuum parentem filiæ.
„Quem æquius eſt nos potiorem habere, quàm te? poſtidea, pater,
Viros noſtros, quibus tu voluiſti eſſe nos matresfamilias?
AN. Bonas ut æquum eſt facere, facitis; cùm tamen abſentes viros
„Perinde habetis, quaſi præſentes ſint. *PI.* PUDICITIA eſt, pater,
„Eos MAGNIFICARE, qui nos ſocias ſumpſerunt ſibi.
AN. Nunquis hîc eſt alienus noſtris dictis auceps auribus?
PA. Nullus, præter noſque teque. *AN.* voſtrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc imperitus rerum, & morum mulierum,
Diſcipulus venio ad magiſtras. quibus matronas moribus,
Quæ optumæ ſunt, eſſe oportet? ſed utraque ut dicat mihi.
PA. Quid iſtuc eſt, quod huc exquæſitum mulierum mores venis?
AN. Pol ego uxorem quæro, poſtquam voſtra mater mortua eſt.
PA. Facilè invenies & pejorem & pejus moratam, pater,
Quàm illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque Sol videt.
AN. At ego ex te exquiro, atque ex iſtâc tuâ ſorore. *PI.* edepol, pater,
Scio, ut oportet eſſe, ſi ſint ita, ut ego æquum cenſeo.

INTERPRETATIO.

AN. *Non ſedeo iſtic! vos ſedete: ego ſedebo in ſubſellio.* PI. *Expecta pulvinum.* AN. *Mihi impendis amicam operam: ſubſellium ſufficit.* PI. *Patere, pater.* AN. *Quid eſt neceſſe?* PI. *Eſt neceſſe.* AN. *Tibi obſequar, & hoc ſufficit.* PI. *Nunquam enim filiæ poſſunt impendere ſatis curarum parenti. Quis debet nobis eſſe carior, quàm tu? Poſteà, pater,* qui cariores eſſe debent, *quàm noſtri mariti, quibus tu voluiſti nos eſſe matrimonio conjunctas?* AN. *Agitis ut eſt par, bonas* uxores, *quæ habetis ſic viros, qui abſunt quaſi adeſſent.* PI. *Eſt caſtarum, pater, magni pendere eos, qui nos ſibi copularunt matrimonio.* AN. *Eſtne aliquis hîc qui aucupetur auribus noſtra verba?* PA. *Eſt nullus præter nos & te.* AN. *Cupio vos adhibere mentem; nam ego accedo nunc ad vos, tanquam diſcipulus indoctus in rebus & inſtitutis muliebribus ad magiſtras. Sed ut utraque mihi dicat, quibus moribus deceat eſſe matronas, quæ ſunt optimæ.* PA. *Quare venis huc ad inquirendos mores mulierum?* AN. *Per Pollucem ego quæro uxorem, poſtquàm veſtra mater eſt functa fato.* PA. *Reperies facilè, pater, & deteriorem, & deteriorum morum, quàm illa fuit: ſed meliorem neque tu invenies, neque Sol aſpicit.* AN. *Sed ego peto à te, & ab hâc tuâ ſorore.* PI. *Per ædem Pollucis, pater, non ignoro, quales eas deceat eſſe, ſi ſint tales, quales exiſtimo par eſſe.*

ANNOTATIONES.

37. *Mane pulvinum.*] Expecta dum ſupponatur pulvinum.

Fultum.] Subſellium.

44. *Magnificare.*] Pro, *magni facere*

AN. Volo scire ergo, ut æquum censes. *PI.* ut per urbem cum ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis meritò maledicat sibi.
AN. Dic vicissim nunc jam tu. *PI.* quid vis tibi dicam, pater?
„ *AN.* Ubi facillime spectatur mulier, quæ ingenio est bono?
„ *PA.* Cui malefaciundi est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.
AN. Haud malè istuc. agè tu altera; utra sit conditio pensior,
Virginémne an viduam habere? *PI.* quanta mea sapientia est,
„ E malis multis malum quod minimum est, id minimum est
„ malum.
„ Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidie
„ Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.
„ *AN.* Quæ tibi mulier videtur multo sapientissima?
„ *PA.* Quæ tamen, cùm res secundæ sunt, se poterit noscere:
„ Et illa quæ æquo animo patietur sibi esse pejus quàm fuit.
AN. Edepol vos lepidè tentavi, vostrumque ingenium ingenii.
Sed hoc est, quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo.
Mihi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.

Interpretatio.

AN. *Volo igitur scire, quid putes esse par.* PI. *Ut quando incedant per urbem, obstruant os omnibus, ne ullus maledicat sibi meritò.* AN. *Loquere tu nunc vicissim.* PI. *Quid cupis, tibi dicam, pater?* AN. *Quomodo agnoscitur sine ullo negotio mulier, quæ est præstanti animo?* PA. *Quæ potest male agere, & quæ continet sese ne id committat.* AN. *Non ita malè. Agè tu, altera, utra conditio sit anteponenda; utrum præstet ducere virginem an viduam?* PI. *Quantum ego existimo malum quod est minimum è pluribus malis, id est minimum malum. Qui potest fugere mulieres fugiat. Ut videat quotidie ne agat pridie id cujus pigeat postridie.* AN. *Qua mulier tibi videtur longè optima?* PA. *Quæ potest se noscere, quando res fluunt ex voto: & illa quæ feret æquo animo sibi esse pejus quàm fuit.* AN. *Per ædem Pollucis exploravi festivè, quæ sit vestra mens penitissimè. Sed idcircò venio ad vos, & volo vos convenire ambas. Mei amici mihi suadent, ut vos abducam hinc in meam domum.*

Annotationes.

61. *Pensior.*] Melior, quæ pensi magis sit habenda.

63. *E malis multis malum quod minimum est, id minimum est malum.*] *Un petit mal est un petit mal.* Utitur Plautus ejusmodi locutionibus frequenter, sive serio, sive joco. Inest in illis nonnunquam acumen. Ut, *simia est semper simia.*

65. *Caveat.*] *Cavere*, est sibi prospicere quocunque modo. *Vitare*, est declinare corpore & effugere noxium. Seneca: *Nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens ne vitare videatur.*

68. *Pejus, quàm fuit.*] Cicero: *Tum ubi non sis, qui fueris, non est cur vivere velis.*

69. *Ingenium ingenii.*] Olim *ingenium*, pro *natura* cujuslibet rei sumebatur; ut ingenium vestrum est affectum; *la disposition de vôtre esprit.*

PA. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus.
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit:
Aut nunc non æquum est abduci, pater, illisce absentibus.
AN. Vósne ego patiar cum mendicis nuptas, me vivo, viris?
PI. Placet ille meus mihi mendicus. suus rex reginæ placet.
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit.
AN. Vósne latrones & mendicos homines magnipenditis?
PA. Non me tu argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.
AN. Quid? illos exspectatis, qui abhinc jam abierunt triennium?
Quin vos capitis conditionem ex pessumâ primariam?
„*PA.* STULTITIA EST, pater, venatum ducere invitas canes.
„HOSTIS EST UXOR, invita quæ ad virum nuptum datur.
AN. Certúmne est neutram vestrarum persequi imperium patris?
PI. Persequimur. nam quò dedisti nuptum, abire nolumus.
AN. Bene valete: ibo, atque amicis vestra consilia eloquar.
PA. Probiores credo arbitrabunt, si probis narraveris.
AN. Curate igitur familiarem rem, ut potestis, optumè.
PA. Nunc placet, cùm rectè monstras: nunc tibi auscultabimus.
Nunc, soror, abeamus intrò. *PI.* imò interviſam priùs domum.
Si à viro tibi fortè veniet nuncius, facito ut sciam.
PA. Neque ego te celabo, neque tu me celassis quod scies.
Ehò, Crocotium, i parasitum Gelasimum huc arcessito:

INTERPRETATIO.

PA. *Sed nos, quarum interest, suademus aliud. Nam aut non debebus olim nos dare, si tibi non placebant; aut non est par nos abduci, illis absentibus, pater.* AN. *Feramne ego, me vivo, vos conjunctas cum viris mendicis.* PI. *Ille meus mendicus mihi gratus est. Suus rex est gratus reginæ. Est idem animus in inopiâ, qui fuit olim in opibus.* AN. *Facitisne tanti vos fures & egestate perditos?* PA. *Tu non me copulasti argento, sed viro.* AN. *Quid? expectatis illos, qui profecti sunt hinc jam à tribus annis? Quin eligitis vos optimam conditionem ex pessimâ?* PA. *Est stultum, pater, trahere ad venationem canes invitas. Uxor, quæ traditur viro invita, est hostis.* AN. *Estne deliberatum neutram vestrûm obsequi mandatis paternis?* PI. *Persequimur. Nam nolumus discedere ab iis quos dedisti maritos.* AN. *Valete bene. Proficiscar, & & aperiam amicis vestram mentem.* PA. *Existimabunt nos esse probas, credo, si aperueris probis.* AN. *Ergo curam gerite rei familiaris, optimè, ut valetis.* PA. *Bene est, quando doces probè: nunc tibi aures commodabimus. Ingrediamur nunc, ô soror.* PI. *Imò videro priùs quid agatur domi. Si fortè ad te venerit nuntius à viro, cura ut sciam.* PA. *Neque ego te celabo,* quod sciam; *neque tu me celaveris quod accipias. Ehò, Crocotium, i accersè hunc parasitum Gelasimum:*

ANNOTATIONES.

81. *Conditionem.*] Conditio dicitur, quando de nuptiis & matrimoniis agitur. In divortiis. Erat formula solemnis, *conditione tuâ non utor.*

82. *Venatum.*] Proverbium: *Invitis canibus venari* significatur, quæ invito genio fiunt non bene succedere.

Tecum adduce. nam illum ecastor mittere ad portum volo,
Si quæ fortè ex Asiâ navis heri aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum servus unus assidet.
Sed tamen volo interviſi. propera, *ac* actutum redi.

INTERPRETATIO.

Adduc tecum. Nam per eadem Castoris volo illum mittere ad portum, ut videat, *utrum aliqua navis venerit hodie aut heri, ex Asiâ. Nam unus servus assidet quotidiè ad portum. Attamen volo interviderì. Accelera, ac revertere statim.*

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PANEGYRIS Epignomi uxor, accersit Gelasimum Parasitum, per Crocotium ancillam, ut eat ad portum, & sciscitetur ab mercatoribus, identidem peregrè advenientibus, nunquid audiverint de maritis suis Epignamo & Pamphilippo.

GELASIMVS parasitus, CROCOTIVM ancilla.

GELASIMVS.

FAMEM fuisse suspicor matrem mihi:
Nam postquam natus sum, satur nunquam fui.
Quam ego matri meæ retuli invitissimus,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam.
Nam illa me in alvo menses gestavit decem,
At ego illam in alvo gesto plus annos decem.
Atque illa puerum me gestavit parvulum,
Quo minus laboris illam cepisse existimo:
At ego non pauxillulam in utero gesto famem,
Verùm hercle multo maximam & gravissimam.

INTERPRETATIO.

GE. *SUspicio est famem esse meam matrem: nam ex quo editus sum in lucem, nunquam fui satur. Mater me nunquam affecit tanto beneficio, quanto eam affeci invitissimus. Nam illa me portavit in utero decem mensibus, sed ego illam porto in abdomine plus decem annis. Atque illa me bajulavit parvulum puerulum, quo puto illam sensisse minus molestiæ: sed ego non fero parvulam famem in ventre, sed per Herculem maximam & gravissimam.*

ANNOTATIO.

3. *Cepisse.*] Alii, *cepse.*

Uteri

Uteri dolores mihi oboriuntur cotidie.
Sed matrem párere nequeo; neſcio quomodo.
Audivi ſæpe hoc vulgo dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Eſſe annos. ejus ex ſemine hæc certò eſt Fames.
Nam jam complures annos utero hæret meo.
Nunc ſi ridiculum hominem quæret quiſpiam,
Venalis ego ſum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quærito.
Gelaſimo nomen mihi indidit parvo pater:
Quia inde jam à pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeò hoc nomen repperi:
„ Eò, quia PAUPERTAS fecit, ridiculus forem.
„ Nam ILLA OMNES ARTES PERDOCET, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea, credo, nunc eſurio acrius.

INTERPRETATIO.

Dolores ventris mihi eveniunt quotidie. Sed non poſſum edere in lucem matrem; neſcio quo pacto. Acceſi frequenter hoc prædicari vulgò, Elephantem conſuevisſe eſſe prægnantem decem annis continuis. Hæc Fames eſt ſine dubio ex ejus genere. Nam hæret in meo ventre à compluribus annis. Si quis quærit paraſitum, ego ſum Venalis, cum univerſo commeatu. Cupio explere inanitatem. Pater me vocavit Gelaſimum, quando eram parvulus; quia jam inde à primâ pueritiâ fui ridiculus. Inveni hoc nomen propter inoptam: quia paupertas effecit, ut eſſem ridiculus. Condocet omnes artes, quando tenet aliquem. Pater mihi dixit me fuiſſe natum, quando annona erat cara: idcircò ego exiſtimo me eſurire nunc magis.

ANNOTATIONES.

14. *Elephantum.*] Plinius l. 8. c. 10. *Decem annos geſtare in utero vulgus exiſtimat; Ariſtoteles biennio, nec amplius, quàm ſingulos gignere: vivere ducenis annis, & quoſdam trecenis. Juventa eorum à ſexageſimo incipit.*

18. *Cum ornamentis.*] Cultus veſtituſque corporis eſt item ſupellex. Olim vendere ſervum cum ornamentis, id eſt, cum veſtibus.

21. *A pauxillo puero.*] *A pueris; à pueritiâ, à primâ pueritiâ.*

23. *Paupertas fecit.*] Alludit eo loci. Juvenalis:

Nil habet infelix Paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

24. *Paupertas omnes artes perdocet.*] Perſius:

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε,
Picasque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Manilius:

Et labor ingenium miſeris dedit: & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.

Seneca: *Quos nova artificia fames docuit.* Apuleius: *Quemcunque cum aliquâ laude miramur, eum Paupertas ab incunabulis nutricata eſt: Paupertas, inquam, priſca apud ſecula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix.* D. Hieronymus: *Littera marſupium non ſequuntur; laboris comites ſunt & ſudoris.* Theocritus: ἀπνία μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. *Paupertas ſola excitat artes.*

Perdocet.] Cicero: *Quem Minerva omnes artes perdocuit.*

Sed generi noſtro hæc reddita eſt benignitas,
Nulli negare ſoleo, ſi quis eſum me vocat.
Oratio una interiit hominum peſſumè,
Atque optima hercle, meo animo, & ſcitiſſima,
Quâ antè utebantur, Veni illò ad cœnam! Sic face!
Promitte verò! Ne gravare! Eſt commodum?
Volo inquam fieri! Non amittam, quin eas!
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem hercle verbum ac viliſſimum,
Vocem te ad cœnam, niſi egomet cœnem foris.
Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim,
Nî verè perierit, ſi cœnaſſit domo.
Hæc verba ſubigunt me, mores ut barbaros
Diſcam, atque ut faciam præconis compendium,
Itaque auctionem prædicem, ipſe ut veneam.
CR. Hic ille eſt Paraſitus, quem arceſſitum miſſa ſum.
Quæ loquitur, auſcultabo, priuſquam colloquar.
GE. Sed curioſi ſunt hîc quamplures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo,
Quibus ipſis nulla eſt res, quam procurent, ſua:
Ei quando quem auctionem facturum ſciunt,
Adeunt, perquirunt quid ſiet cauſſæ illico:
Alienum æs cogat, an pararit prandium:
Uxorin' ſit reddenda dos divortio?

INTERPRETATIO.

Ea humanitas eſt ingenita noſtræ familiæ, ut ſi quis me invitat ad cœnam, ſoleam negare nulli. Per Herculem hic ſermo, quo utebantur antea, qui erat optimus meo animo, atque elegantiſſimus, periit peſſimè; Veni illuc ad cœnam! inquiebant! Sic age! Pollicere enimverò! Ne ſit grave! Eſt commodum? Oro, inquam, venias! Non dimittam, niſi venias! Invenerunt nunc vicariam orationem, quam adhibeant hujus vice, orationem profectò deſpicatiſſimam ac viliſſimam: te invitarem ad cœnam, niſi egomet cœnarem foris. Per herculem optarem ut confringerentur lumbi huic orationi, niſi verè perierit, ſi cœnet domi. Hæc oratio me cogit diſcere mores barbarorum, & ut ideam partes præconis. Itaque indicabo auctionem, ut ipſe veneam. CR. Hic eſt ille Paraſitus, quem ſum miſſa vocatum. Audiam quid dicat, priuſquam alloquar. GE. Sed ſanè hîc ſunt complures curioſi ne quam, qui ſolliciti ſunt de rebus alienis ſtudio maximo: qui nullam habent rem propriam, cujus gerant curam: ii, quando audiunt aliquem facturum auctionem, conveniunt. Percontantur illicò, quam fiat id: an ut ſolvat æs alienum, an quia comparavit prandium: an ſit reddenda dos uxori facto divortio?

ANNOTATIONES.

28. *Eſum me vocat.*] Nonnulli expuncto *eſum*, hunc verſum ſcribunt. Sanè apud antiquos *vocare* ſine addito, idem erat ac *vocare ad cœnam*, *vocare eſum*. Servi quorum operâ utebantur ad invitandos convivas dicebantur *vocatores*. Nonius: *Revocare*, eſt per vices mutuò *vocare*. Lucæ 14. ἀντικαλέσωσι, revocent, id eſt, *ad cœnam*.

42. *Auctionem prædicem.*] *Proclamem.*

Ipſe ut veneam.] Alii, *venitem*, alii *venditem*, id eſt, *ut me vendam*.

Eos omnes (tametsi hercle haud indignos judico,
Qui ut multum miseri sint, laborent) nihil moror:
Dicam auctionis caussam, ut animo gaudeant,
Nam CURIOSUS NEMO est, quin sit malevolus,
Ipse egomet quamobrem auctionem prædicem:
Damna evenerunt maxima misero mihi,
Ita me mancupia miserum affecerunt malè;
Potationes plurimæ demortuæ:
Quot adeò cœnæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia!
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeò miser atque ægritudine
Consenui: pæne sum fame emortuus.
CR. Ridiculus æquè nullus est, quando esurit.
GE. Nunc auctionem facere decretum est mihi.
Foràs necessum est quicquid habeo vendere.
Adeste sultis, præda erit præsentium.
Logos ridiculos vendo: agite! licemini.
Qui cœnâ poscit? ecqui poscit prandio?
Hercules te amabit prandio? cœnâ tibi?

INTERPRETATIO.

Minimè curo omnes illos, quamvis per Herculem non judico indignos, qui angantur curis, ut sint calamitosi: afferam rationem quare fiat auctio, ut oblectentur animo. Nam est nullus curiosus, qui non sit idem *malevolus, quamobrem egomet ipse indicabo quare auctionem indicem: maxima detrimenta, mihi acciderunt infortunato. Sic multa mancipia me reddiderunt miserum; multæ compotationes sunt ereptæ: quot cœnæ ereptæ, quas deploravi! quot potationes mulsi! quot prandia! quæ amisi intra triennium. Factus sum macilentus præ mœrore atque ægritudine: sum propemodum mortuus esurie.* CR. *Est nullus perinde festivus, quando esurit.* GE. *Nunc est mihi deliberatum facere auctionem. Oportet vendere quidquid habeo foris. Adeste si libet, præsentes habebunt prædam. Vendam sermones ad movendum risum: adeste! licitemini. Quis me vult emere pretio cœnæ? Ecquis vult me emere pretio prandii? Hercules tibine concedet ut me ad prandium invites? Túne me vocabis ad cœnam?*

ANNOTATIONES.

62. *Inter triennium.*] Alii, *intra triennii.*

64. *Consenui.*] Senium est vita molestiis referta.

68 *Præda erit præsentium.*] Nemo quidquam auferet de hâc auctione, nisi qui affuerit. Appositè id dicit Parasitus: quia vendit sermones ridiculos, qui non nisi à præsentibus audiri possunt.

69. *Licemini.*] Imperativus modus: *liceri* & *licitari*, in voce passivâ significationem habent activam.

70. *Qui cœnâ poscit.*] Quis vult me emere unâ cœnâ mihi datâ? Quis me venit emptum, pro unâ cœnâ?

71. *Hercules te amabit prandio.*] Amare est interdum amicè rogare. Sic dicimus te amabo, pro te rogo. Igitur te Hercules amabit, nihil aliud significat, quàm Hercules te hâc gratiâ afficiet, ut me invites ad cœnam. Hoc autem loco parasitus nominat Herculem, quia decimis eduliorum ara Herculis onerabatur; quæ cedebant in cibum infimæ plebis, atque adeò parasitorum.

Ehem annuistin'? nemo meliores dabit.
Nullis meliores esse parasitos sinam.
Vel unctiones Græcas, sudatorias,
Vel alias malacas, crapularias?
Cavillationes, assentatiunculas,
Ac perjuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quò recondas reliquias.
Hæc væniſſe jam opus est, quantum potest.
Uti decumam partem Herculi polluceam.
CR. Ecastor auctionem haud magni pretii!
Adhæsit homini ad infimum ventrem fames.
Adibo hominem. *GE.* quis hæc est, quæ adversum it mihi?
Epignomi ancilla hæc quidem est Crocotium.
CR. Gelasime, salve. *CE.* non est id nomen mihi.
CR. Certo mecastor id fuit nomen tibi.
GE. Fuit disertim: verùm id usu perdidi:
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.

INTERPRETATIO.

Ehem pollicerisne? Nullus Parasitus suppeditabit meliores sermones ridiculos. *Non feram dari à quoquam parasiticos sermones meliores, Vel unctiones Græcas sudatorias, vel alias molles* unctiones, *ad efflandam crapulam. Jocos, blanditias, ac perjuratiunculas parasiticas, strigilem rubiginosam, rubram ampullam, inanem parasitum quo reponas reliquias* ciborum. *Oportet hæc vendi quamprimùm poterunt, ut offeram Herculi decimam partem.* CR. *Per ædem Castoris facit auctionem non magni pretii! Fames tenet hominem in imis visceribus. Conveniam hominem.* GE. *Quæ est illa, quæ mihi venit obviam? Hæc est quidem Crocotium ancilla Epignomi.* CR. *Salvus sis, Gelasime.* GE. *Non habeo id nominis.* CR. *Per ædem Castoris habuisti id nominis.* GE. *Fuit planè: verùm id perdidi usu: nunc appellor Miccotrogus ex vero nomine.*

ANNOTATIONES.

75. *Vel alias malacas.*] *Malacus, malaca, malacum*, est vox Græca quæ *mollem* significat & *delicatum*.

Crapularias.] Unctiones erant, quæ discutiebant ebrietatem.

78. *Strigilem.*] Strigilibus defricabantur veteres in balneis ad detergendas sordes, quæ tenacius cuti adhærescerent.

Ampullam rubidam.] Festus: *Scorteæ ampullæ vetustate rugosæ & coloris ejusdem rubidæ dici solent.*

81. *Herculi polluceam.*] Pollucere est sumptum è sacrificiis quæ fiebant Herculi, ex decimis ciborum verbum. Quemadmodum autem qui Herculi sacrificabat decimis oblatis optima quæque ejus aræ imponebat, nata est inde illa formaloquendi, epulari pollucibiliter, id est, lautè, splendidè. Et *polluctum* appellata est illa cœna.

88. *Disertim.*] Planè, plano sermone. Diserta est enim in primis oratio, quæ plana & non confragosa, liquida & pellucida, & non obscura.

89. *Miccotrogus.*] Ἀπὸ μικκὸς & μικρὸς, & τρώγω, *comedo*; quasi dicas *Paucrodus*.

Ex vero.] Horatius:

Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret.

Ovidius:

Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!

Ex facili, ex tuo.

CR. Heu ecastor, risi te hodie multum. *GE.* quando, aut quo in loco?
CR. Hîc cùm auctionem prædicabas. *GE.* pessuma;
Ehon' audisti? *CR.* te quidem digniſſimam.
GE. Quò nunc is? *CR.* ad te. *GE.* quid venis? *CR.* Panegyris
Rogare juſſit te opere maximo,
Mecum ſimitu ut ires ad ſeſe domum.
GE. Ego illò mehercle verò eo, quantum poteſt.
Jâmne exta cocta ſunt? quot agnis fecerat?
CR. Illa quidem nullum ſacrificavit. *GE.* quomodo?
Quid igitur me volt? *CR.* tritici modios decem
Rogare, opinor, te volt. *GE.* méne ut ab ſe petam?
CR. Imò hercle ut abs te mutuum nobis dares.
GE. Negato eſſe quod dem, nec mu, nec mutuum,
Neque aliud quicquam, niſi hoc quod habeo pallium;
Linguam quoque etiam venditariam.
CR. Hau, nulla tibi lingua eſt, quæ quidem dicat, Dabo?
GE. Veterem reliqui: eccam illam, quæ dicat, Cedò.
CR. Malum tibi dî dent! *GE.* hæc eadem dicit tibi.

INTERPRETATIO.

CR. *Heu per eadem Caſtoris, te irriſi hodie plurimùm.* GE. *Quando, aut ubi?* CR. *Hîc quando indicabas auctionem.* GE. *Peſſima, eho mene audiiſti?* CR. Auctionem *quidem te digniſſimam.* GE. *Quò vadis nunc?* CR. *Ad te.* GE. *Quare venis?* CR. *Panegyris mandavit te orare magnopere, ut venires mecum domum ad ſeſe.* GE. *Ego per Herculem eo illuc contento curſu. Exta ſuntne jam cocta? Quot ſacrificavit agnos?* CR. *Illa quidem nullum ſacrificavit.* GE. *Quomodo? Quid me vult igitur?* CR. *Conſilium eſt, ut opinor, à te petere decem modios tritici.* GE. *Cupitne ut ab ſe poſtulem?* CR. *Imò, per Herculem, ut nobis des mutuum abs te.* GE. *Dic illi nihil eſſe quod dem, nec mu, nec mutuum, neque aliud quidquam, niſi hoc pallium quod fero; mihi eſſe etiam linguam venalem.* CR. *Hau, tibi non eſt lingua, quæ quidem dicat,* Dabo? GE. *Depoſui veterem: adeſt illa, quæ dicit,* Da. CR. *Dii tibi dent malum!* GE. *Hoc eadem tibi dicit.*

ANNOTATIONES.

97. *Exta cocta.*] De reliquiis extorum quæ ſuperant ex ſacrificiis quæ feciſſent domum portabant, & ex iis cænabant. Horatius:

Ante Larem proprium veſcor, vernaſque procaces
Paſco libatis dapibus.

Minutius Fœlix: *Præceptos cibos & delibatos altaribus potus abhorretis.* De Chriſtianis loquitur, qui recuſabant comedere de carnibus victimarum Diis oblatarum. Ad has dapes nulli admittebantur, niſi Sacerdotes, aut qui à ſacris non eſſent prohibiti apud Ethnicos.

Agnis fecerat?] Id eſt, ſacrificaverat agnos.

102. *Nec mu, nec mutuum.*] *Mu* eſt ſyllaba prima vocis hujus *mutuum*: quaſi dicat; nullam partem mutui ſe eſſe daturum.

104. *Linguam venditariam.*] A *vendito*, quod eſt, vendere cupio. Lingua venditoria; quæ vendere cupiat, Cicero: *Atque ei ſeſe, cui totus venierat, etiam vobis inſpectantibus venditaret*: id eſt, vendere vellet.

CR. Quid nunc, iturus an non? *GE.* abi sanè domum:
Jam illò venturum dicito, propera, atque abi.
Demiror quid illæc me ad se arcessi jusserit,
Quæ nunquam jussit me ad se arcessi ante hunc diem,
Postquam vir abiit ejus. miror quid fiet,
Nisi ut periculum fiat, visam quid velit.
Sed eccum Dinacium ejus puerum. hoc vide!
Satin' ut facetè, atque ex picturâ astitit?
Næ iste edepol vinum poculo pauxillulo
Pæpè exanclavit submerum scitissimè.

INTERPRETATIO.

CR. *Quid nunc, venies, necne?* GE. *Perge sanè domum. Dic jam me venturum illuc; accelera, atque abi. Demiror quare illa me jusserit vocari ad se, quæ nunquam me mandavit vocari ad se ante hunc diem, ex quo ejus vir abiit. Miror quid sit, nisi ut fiat periculum meæ voluntatis. Visam quod velit. Sed ecce Dinacium ejus puerum. Vide etiam atque etiam. Satisne adstitit lepidè, atque graphicè? Per ædem Pollucis ille hausit scitè vinum non admodum dilutum poculo minutulo.*

ANNOTATIONES.

113. *Nisi ut periculum fiat.*] *Nisi* pro *sed*, Cicero: *De re nihil possum judicare; nisi illud certè mihi persuadeo, te talem virum nihil temerè fecisse.*

115. *Ex picturâ.*] Id est, *graphicè, euschemè.*

117. *Exanclavit.*] Alii *exantlavit.*

Submerum.] Non admodum aquâ dilutum.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

DINACIUM puer Epignomi & Panegyris, nuntiat Panegyri Epignomum & Pamphilippum jamjam adveniſſe in Pyræum, cum navibus omni copiarum genere onuſtis.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

DINACIUM puer Epignomi & Panegyris revertitur à portu Pyræo, ad quem fuerat miſſus à Panegyri ſciſcitaturus; num quis mercator peregrè reverſus aliquid audiviſſet de Epignomo & Pamphilippo.

DINACIVM puer, GELASIMVS parasitus.

DINACIVM.

MERCURIUS, Jovis qui nuncius perhibetur, nunquam æquè patri
Suo nuncium lepidum attulit, quàm ego nunc meæ heræ nunciabo.
Itaque onustum pectus porto lætitiâ lubentiâque:
Neque lubet, nisi gloriosè, quicquam proloqui. profectò
Amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero.
Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitiâ meum.
Propterea, Dinacium, pedes hortare: honesta dicta factis:
Nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam, laudem, decus:
Heræque egenti subveni: benefacta majorum tuorum exauge.
Quæ misera expectatione est Epignomi adventûs viri.
Proinde ut decet, amat virum suum cupidè. nunc expedi Dinacium.
Age ut placet, curre ut lubet, cave quenquam floccifeceris,
Cubitis depulsa de viâ; tranquillam concinna viam.
Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito.
GE. Quid nam dicam, Dinacium
Lascivibundum tam lubenter currere?
Harundinem fert, sportulamque, & hamulum piscarium.
DI. Sed tandem, opinor, æquius est heram mihi esse supplicem,

INTERPRETATIO.

DI. *Mercurius, qui dicitur nuntius Jovis, nunquam nuntiavit quidquam tam jucundum suo patri, quàm ego nunciabo nunc meæ heræ. Itaque gero animum refertum gaudio & jucunditate. Neque volo dicere quidquam nisi superbè. Sanè affero suavitates omnium Venerum atque leporum, & cumulat meum cor & mihi redundat lætitiâ. Itaque, Dinacium, hortare pedes: ut facta respondeant dictis: nunc potes quærere gloriam, prædicationem, honorem: succurre heræ inopi; cumula præclarè facta tuorum majorum. Quæ est fessa in expectando viro suo Epignomo. Amat ardenter suum maritum, ut par est. Nunc propera Dinacium. Age ut placet, curre ut lubet; vide ne flocci feceris quemquam, dejice cubito de viâ; redde viam facilem. Si rex occurrat, everte regem ipsum.* GE. *Quare Dinacium exultabundus currit tam alacriter? Tenet arundinem, sportam, & hamum piscatorium.* DI. *Sed denique, arbitror, est satius heram mihi supplicare,*

ANNOTATIONES.

6. *Ripisque.*] Metaphora ducta à fluviis, qui aquâ redundant, plenoque alveo exundant.

7. *Honesta dicta factis.*] *Honestare dicta factis*, valet verba ad rem conferre. Inhonesta enim oratio est, cui fidem re non facias.

10. *Adventus.*] Alii *adventi*, ut *Senatus, Senati*; *victus, victi.*

Atque oratores mittere ad me, donaque ex auro, & quadrigas
Qui vehar. nam pedibus ire non queo. ergo jam revortar.
Ad me iri & supplicari egomet mihi censeo æquum.
An verò nugas censeas; nihil esse quod ego nunc scio.
Tantum à portu apporto bonum, tam gaudium affero grande,
Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare à dîs audeat.
Nunc ultrò hoc deportem? haud placet: neque id verò officium arbitror.
Hîc hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuncio,
Adversum ut veniat, obsecret, se ut nuncio hoc impertiam.
SECUNDAS FORTUNAS decent superbiæ.
Sed tandem cùm recogito quî potuit scire hæc scire me?
Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem,
Heramque ex mœrore eximam, benefacta majorum meûm
Exaugeam, atque illam augeam ex insperato opportuno modo.
Contundam facta Talthybii, contemnamque omnis nuncios:
Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.
Sed spacium hoc óccidit: breve'st curriculo: quàm me pœnitet!
Quid hoc? occlusam januam video. ibo & pultabo fores.

INTERPRETATIO.

atque ad me mittere legatos & dona ex auro, & currus quibus vehar: nam non possum ire pedibus. Ergo redibo jam. Equidem existimo par esse, ut ad me veniant, & ad me accedant supplices. An vero existimas esse nugas, nihil esse quod nunc scio? Apporto tantum bonùm à portu, tam grande gaudium affero, ut vix domina ipsa audeat id expectare à Diis, nisi sciat. Nunc hoc deferam ultrò? Non libet: neque arbitror id muneris esse. Mihi videtur convenientius, huic nuntio quem affero, ut veniat obviam, ut roget ut eam faciam participem hujus nuntii; impotentia decet fortunas secundas. Sed tandem quando reputo, quomodo potuit animadvertere me hæc scire? Non enim possum quin repetam, quin narrem, quin ut hoc differam, vindicemne heram à tristitia, & cumulem præclarè facta meorum majorum, atque illam exornem ex improviso tempestivè. Superabo celeritatem Talthybii, vincamque omnes nuntios, & unà me exercebo ad cursum ad ludos Olympicos. Sed hoc spatium est jam confectum: est curriculum breve: quàm me pœnitet hujus brevitatis! Quid hoc est? Video ostium occlusum. Accedam & feriam.

ANNOTATIONES.

24. *Exoptare à Diis.*] Id est, res tanta est, tamque jucunda cujus ad heram defero nuntium, ut vix à Diis eam expectet. De re quæ superat spem.

29. *Adversum ut veniat.*] Verba sunt pueri magnificè sese & immoderatè efferentis propter jucunditatem nuntii quem ad Panegyrim defert; quasi velit sibi servulus dominam obviam venire.

33. *Contundam facta Talthybii.*] *Talthybius & Euribates*, nuncii in exercitu Græcorum celeberrimi, in obsidione Troiana, ab Homero celebrati. *Contundere facta Talthybii* est imminuere famam eorum. *Contemnere* autem omnes nuntios, est contemnendos præ se reddere.

34. *Cursuram.*] pro *cursu*. *Vsuram* pro *usu*. Ad *cursuram meditabor me*, id est, *me exercebo*.

35. *Sed spatium.*] Loquitur de Scenâ, quæ est angustius spatium ad sese exercendum ad cursuram.

Aperite

Aperite atque approperate, fores facite ut pateant: removete moram.
Nimis hæc res sine curâ geritur. vide, quamdudum hîc astο & pulto!
Somnón' operam datis? experiar; fores, an cubiti, an pedes plus valeant.
Nimis vellem hæ fores herum fugissent, eâ caussâ ut haberem malum!
Defessus sum pultando.
Hoc postremum est vobis.
GE. Ibo atque hunc compellabo.
Salvus sis! *DI.* & tu salve.
GE. Jam tu piscator factus?
DI. Quampridem non edisti?
GE. Unde is? quid fers? quid festinas?
DI. Tua QUOD NIHIL refert, ne
Cures. *GE.* quid istîc inest?
DI. Quas tu vides colúbras?
GE. Quid tam iracundus? *DI.* si in te
Pudor assit, non me appelles.
GE. Possum scire ex te verum?
DI. Potes. hodie non cœnabis.

INTERPRETATIO.

Patefacite atque accelerate, facite ut fores pateant, removete moram. Id agitur nimis negligenter; vide, quamdudum hîc adsto & pulto! Dormitisne? Periculum faciam utrum *fores, an cubiti, an pedes, plus valeant. Utinam hæ fores fuissent fugitivæ, ut darent pœnas. Sum defessus pulsando: non amplius pulsabo.* GE. *Adibo, atque hunc alloquar. Salve!* DI. *Et tu sis salvus.* GE. *Jam tu evasisti piscator?* DI. *A quo tempore non manducasti?* GE. *Unde venis? Quid fers? Quid festinas?* DI. *Ne cures id quod nihil tuâ interest.* GE. *Quid est hîc?* DI. *Quos serpentes vides?* GE. *Quare es tam ferox?* DI. *Nisi pudorem ejurasti, ne me appelles.* GE. *Possumne discere à te verum?* DI. *Potes: non manducabis hodie.*

ANNOTATIONES.

39. *Somnone operam datis.*] Alloquitur fores. In Curculione, *dormiunt pessuli.* Propertius:

Ille meos nunquam patitur requiescere postes,
Argutâ referens carmina blanditiâ.

Hic janua loquitur.

40. *Nimis vellem.*] Precatur foribus ab hero, ut fugiant, ut postea receptæ pœnas dent, quas solent fugitivi servi.

45. *Jam tu piscator factus.*] Videlicet arundinem, hamum & sportulam ferebat Dinacium.

50. *Quas tu vides colubras?*] Insanum dicit esse Parasitum puer, & à furiis agitari. Itaque per contumeliam ab eo quærit, quas colubras videat. Arbitrabantur enim veteres, eos, qui à furiis agitabantur, non solum tædas ardentes, sed etiam colubras videre.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

DINACIUM nuntiat Panegyri, maritum ejus Epignomum, & sororis Pinacii Pamphilippum esse reversos, cum navibus omni copiarum genere refertis, & jamjam affuturos.

PANEGYRIS mulier, GELASIMVS, DINACIVM.

PANEGYRIS.

QUISNAM, obsecro, has frangit fores? ubi est?
Tun' hæc facis? tun' mihi huc hostis venis?
GE. Salve, tuo arcessitu venio huc. *PA.* eân' gratiâ fores effringis?
GE. Tuos inclama, tui delinquunt: ego quid me velles visebam:
Nam equidem harum miserebat. *DI.* ergo auxilium properè latum est.
PA. Quisnam hîc loquitur tam prope nos? *DI.* Dinacium. *PA.* ubi is est?
DI. Respice me, & relinque egentem parasitum, Panegyris!
PA. Dinacium! *DI.* istuc indidêre nomen majores mihi.
PA. Quid agis? *DI.* quid agam, rogitas? *PA.* quid ni rogitem? *DI.* quid mecum est tibi?
PA. Men' fastidis, propudiose? eloquere properè, Dinacium!
DI. Jube me omittere igitur hos qui retinent. *PA.* qui retinent? *DI.* rogas?
Omnia membra lassitudo mihi tenet. *PA.* linguam quidem

INTERPRETATIO.

PA. *Quis, amabo, comminuit nostram januam? Ubi est? Facisne id Gelasime? Venisne huc,* sicut *meus hostis?* GE. *Salva sis, venio huc ut rogasti.* PA. *Idcircone comminuis januam?* GE. *Increpa tuos ministros, tui peccant. veniebam visum quid me velles: nam miserebat hujus ostii.* DI. *Idcircò auxilium fuit latum celeriter.* PA. *Quis loquitur hîc tam prope?* DI. *Dinacium.* PA. *Ubi est?* DI. *Respice me, Panegyris, & relinque illum infelicem parasitum!* PA. *Dinacium!* DI. *Majores mihi tribuêre id nominis.* PA. *Quid vis?* DI. *Postulas quid velim?* PA. *Quare non postularem!* DI. *Quid* negotii *est tibi mecum?* PA. *Mene aspernaris, impudens? Dic cito, Dinacium!* DI. *Manda ergo illos à me dimitti, qui me prohibent.* PA. *Qui prohibent?* DI. *Petis? Defatigatio occupat omnes artus.* PA. *Video satis non tenere tuam linguam.*

ANNOTATIO.

10. *Men' fastidis propudiose?*] Fastidire alicujus, est faciem suam ab aliquo, velut ignoto, vel indigno avertere.

Sat scio tibi non tenere. *DI.* ita celeri curriculo fui
Properè à portu, tui honoris caussâ. *PA.* ecquid apportas boni?
DI. Nimio impartior multò tanta plus, quàm speras. *PA.* salva sum.
DI. At ego perii, cui medullam lassitudo perbibit.
GE. Quid ego, cui misero medullam ventris percepit fames.
PA. Ecquem conveniſti? *DI.* multos. *PA.* at virum ecquem? *DI.* plurimos.
Verùm ex multis nequiorem nullum, quàm hic est. *GE.* quomodo?
Jamdudum ego istum patior dicere injustè mihi.
Præter hâc si me irritassis. *DI.* edepol esuries malè.
GE. Animum inducam, ut istuc verum te elocutum esse arbitrer.
DI. Munditias volo fieri. efferte huc scopas, simulque arundinem,
Ut operam omnem aranearum perdam & texturam improbam,
Dejicamque earum omnis telas. *GE.* miseræ algebunt postea.
DI. Quid illas itidem esse censes, quasi te cum veste unicâ?
Cape illas scopas. *GE.* capiam. *DI.* hoc egomet, tu hoc converre. *GE.* fecero.
DI. Ecquis huc effert nasiternam cum aquâ? *GE.* sine suffragio
Populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. *DI.* age, tu ociùs
Pinge humum, conspergе ante ædis. *GE.* faciam. *DI.* factum oportuit.

INTERPRETATIO.

DI. *Adeò advolavi velociter è portu, tuâ gratiâ.* PA. *Quid mihi nuncias boni?* DI. *Nuncio jucundiora, quàm speras.* PA. *Sum salva.* DI. *Sed ego interii; defatigatio descendit in medullas.* GE. *Quid dicam, cui esuries vastavit medullas ventris.* PA. *Quem adivisti?* DI. *Plures.* PA. *Sed quem virum?* DI. *Plurimos, sed nullum nequiorem, quàm est hic.* GE. *Quare? Jampridem ego patior, hunc mihi dicere injustè. Si me irritaveris præterea!* DI. *Per ædem Pollucis malè esuries.* GE. *Dabo operam ut existimes te esse locutum illud verè.* DI. *Volo omnia fieri munda. Efferte huc scopas, & unà arundinem, & evertam omnia opera aranearum & malam texturam, & discutiam omnes earum telas.* GE. *Postea algebunt miseræ.* DI. *Quid? Putasne illas esse, sicut tu es, cum unâ veste? Accipe illas scopas.* GE. *Accipiam.* DI. *Tu converre hoc, ego converram illud.* GE. *Fecero.* DI. *Quis affert urnam aquâ plenam?* GE. *Hic quidem gerit ædilitatem, sed sine suffragio populi.* DI. *Age tu signa celeriter pavimentum aquâ, effunde ante ædes.* GE. *Effundam.* DI. *Oportet feciſſe.*

ANNOTATIONES.

13. *Ita celeri curriculo fui.*] Id est, veni.

15. *Nimio impartior.*] *Multo-tanto-plus.* Alii uno verbo efferunt, *nimio-multo-tanto-plus*: quod fit ex *plus* per certos gradus auctum, quorum primùm est *tanto-plus*; secundum *multo-tanto-plus*; tertium *nimio-multo-tanto-plus*.

17. *Percepit fames.*] *Percipere* est penitus capere, & totum persuadere. Alii *peredit fames, perbibit fames.*

28. *Nasiternam.*] *Nasiterna* genus vasis aquarii, ansati & patentis, ita dicta quod tres *nasos*, hoc est, ansas haberet, seu potius angulos. Juvenalis:

Siccabis calicem nasorum quatuor.

Sine suffragio.] Usurpatur, ubi quis in alieno negotio imperiosior est.

Ego hinc araneas de foribus dejiciam, & de pariete.
GE. Edepol rem negotiosam! *PA.* quid sit, nihil etiam scio:
Nisi fortè hospites sunt venturi. *DI. alii* lectos sternite!
GE. Principium placet de lectis. *DI.* alii ligna cædite!
Alii pisces depurgate, quos piscator attulit!
Pernam & glandium dejicite. *GE.* hic hercle homo nimium sapit.
PA. Non ecastor, ut ego opinor, satis heræ morem geris.
DI. Imò res omnis relictas habeo, præ quod tu velis.
PA. Tum tu igitur, quâ causâ missus es ad portum, mihi expedi,
DI. Dicam. postquam me misisti ad portum cum luci simul,
Commodum radiosus ecce Sol superabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecquæ navis venerit
Ex Asiâ: negant venisse, conspicatus sum interim
Cercurum, quo ego me majorem non vidisse censeo.
In portum vento secundo, velo passo pervenit.
Alius alium percontamur, Cuja est navis? quid vehit?
Interim Epignomum conspicio tuum virum, & servum Stichum.
PA. Hem! quid? Epignomum elocutus? *GE.* tuum virum, & vitam meam.
DI. Venit, inquam. *PA.* tun' eum ipsum vidisti? *DI.* ita ego; libens!
Argenti aurique advexit multum. *PA.* nimis factum bene!
GE. Hercle verò capiam scopas, atque hoc converram libens.
DI. Lanam purpuramque multam. *GE.* hem! quî ventrem vestiam.

Interpretatio.

Ego præcipitabo hinc araneas è foribus, & de pariete. GE. *Per ædem Pollucis rem arduam!* PA. *Nescio adhuc, quid sit, nisi forsitan hospites sunt venturi.* DI. *Alii sternite lectos!* GE. *Initium placet de lectis.* DI. *Alii scindite ligna! Alii exenterate pisces, quos piscator attulit! Deponite pernam, & glandium.* GE. *Per Herculem hic homo est nimis sapiens.* PA. *Per Castorem, ut ego arbitror, non obtemperas satis heræ.* DI. *Imò relinquo omnia, ut paream iis, quæ tu optas?* PA. *Dic mihi id ob quod te misi ad portum.* DI. *Aperiam. Postquam me misisti ad portum, statim atque diluxit, Sol luculentus emergebat è mari; quando peto à nautis num aliqua navis appulerit ex Asiâ, aiunt non venisse: interea conspicor circum, quo non puto me vidisse majorem venientem in portum ventis secundis, velis passis. Interrogamus alius alium, Cujus sit navis? Quid portet?* Interea *conspicor Epignomum tuum virum, & Stichum servum.* PA. *Hem! quid?* Dicis *Epignomum?* GE. *Tuum virum, & meam vitam.* DI. *Venit, inquam.* PA. *Eumne vidisti ipsum?* DI. *Ita ego vidi, multum attulit argenti & auri.* PA. *Optimè factum!* GE. *Per Herculem ego capiam lubenter scopas & converram hoc.* DI. *Attulit lanam, & multam purpuram.* GE. *Hem! ecce quo induam ventrem.*

Annotationes.

41. *Superabat ex mari.*] Id est, *Surgebat.*

45. *Velo passo.*] Nonius: *Laxo & rugoso.* Alii, *explicato & extento.* Melius Nonius: nimirum, vela contrahunt nautæ, quando portum ingrediuntur.

48. *Vitam meam.*] Vernaculo parasitico, *vita mea*, id est, *ille apud quem cœno gratis & asymbolus.*

DI. Lectos eburatos, auratos. *GE.* accubabo regiè.
DI. Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. *GE.* hercle rem gestam bene!
DI. Pòst, ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas advexit secum formâ eximiâ. *GE.* eugepæ!
Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus.
DI. Postea unguenta multigenerum multa. *GE.* non vendo logos.
Jam non facio auctionem. mihi obtigit hæreditas.
Malivoli perquisitores auctionum perierint!
Hercules decimam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
DI. Pòst autem advexit secum Parasitos. *GE.* hei, perii miser!
DI. Ridiculosissimos. *GE.* reverram hercle hoc, quod converri modò.
PA. Vidistin' virum sororis Pamphilippum? *DI.* non. *PA.* adest.
DI. Imò aiebant eum venisse simul. sed ego huc citus
Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.
GE. Venales logi sunt illi, quos negabam vendere;
Illicò, & meo malo est, quod malevolentes gaudeant.
Hercules sanè, qui deus sis, discessisses non malè.
PA. I, i intrò, Dinacium: jube famulos rem divinam mihi apparent.
Bene vale! *GE.* vin' administrem? *PA.* sat servorum habeo domi.

INTERPRETATIO.

DI. *Attulit lectos eburneos & aureos.* GE. *Decumbam ut reges.* DI. *Attulit peristromata Babylonica, & tapetes consutos, & multa alia optima.* GE. *Per Herculem, rem gestam feliciter!* DI. *Præterea attulit secum, ut cepi narrare, fidicinas, tibicinas, sambucinas, eleganti formâ.* GE. *Eugepæ! Quando potabo, circumludam: sum jam facetissimus.* DI. *Deinde plurima unguenta diversa.* GE. *Non vendam joco. Non indico auctionem. Hæreditas mihi evenit. Indagatores malevoli auctionum dispereant! Hercules, gratulor decimam, quam tibi vovi, tibi cessisse.* DI. *Tum adduxit secum Parasitos.* GE. *Hei, perii miser!* DI. *Facetissimos.* GE. *Per Herculem reverram hoc, quod modò converri.* PA. *Conspexistine maritum sororis Pamphilippum?* DI. *Non.* PA. *Adest.* DI. *Imò dicebant eum venisse unà* cum Epignomo: *sed ego præcucurri huc velociter, ut afferrem nuntium exoptatissimum.* GE. *Illi joci sunt venales, quos nolebam vendere; & est jam quod malevoli gaudeant meo malo. Sanè, Hercules, tu qui es Deus, rectè feciſſes, si discessisses.* PA. *Ingredere, ingredere, Dinacium: manda famulis ut comparent rem divinam. Bene vale.* GE. *Visne ut serviam.* PA. *Habeo domi satis multos famulos.*

ANNOTATIONES.

53. *Eburatos.*] Apuleius: *Ebore nitentes lecti.* Varro: *Cum in eburato lecto ac purpurei operis thoro cubare videas ægrotum.*

57. *Sambucinas.*] Id est, Sambuciſtrias, à sambucâ, instrumento musico.

58. *Alludiabo.*] *Adludam, & adblandiar mulieribus.*

72. *Administrem.*] Sacris privatis sui erant, *minister*, aruspex, fidicina, popa.

GE. Enim verò, Gelasime, opinor proveniſti futilè;
Si neque ille adeſt, neque hic, qui venit, quicquam ſubvenit.
Ibo intrò ab libros, & diſcam de dictis melioribus.
Nam ni illos homines expello, ego óccidi planiſſumè.

INTERPRETATIO.

GE. *Gelaſime, huc acceſſiſti incaſſum, ut arbitror, ſi neque ille adeſt, neque hic qui venit, auxilio, eſt ullo pacto. Ingrediar ad libros & diſcam de melioribus jocis. Nam niſi ſuperavero illos paraſitos, qui adveniunt, perii planè.*

ANNOTATIO.

73. *Proveniſti futile.*] *Futile*, id eſt, *futiliter*. *Futile* vas, lato ore, anguſto fundo, quo utebantur in ſacris Veſtæ, quod ſtare non poterat, ut aqua ſtatim effunderetur: quod ideò excogitatum eſt, quod piaculum ſit in ſacris Veſtæ aquam in terrâ ponere. *Futilis homo*, eſt qui ſervare ſecretum non poteſt.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

REVERSUS Panegyris maritus Epignomus, ſervo ſuo, & peregrinationis comiti Sticho, Eleutheriam concedit, id eſt, quidlibet agendi licentiam.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

STICHUS petit & impetrat ab Epignomo, oblectandæ mentis & à moleſtiis longiſſimæ navigationis recreandæ licentiam.

EPIGNOMUS adoleſcens, STICHUS ſervus.

EPIGNOMUS.

CUM bene re geſtâ ſalvus convortor domum,
Neptuno grates habeo & tempeſtatibus:

INTERPRETATIO.

REverſus in patriam incolumis, rebus feliciter geſtis, gratias ago Neptuno & tempeſtatibus:

Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens affeci ægrimoniâ,
Eos nunc lætantes faciam adventu meo.
Nam jam Antiphonem conveni affinem meum,
Cúmque eo reveni ex inimicitiâ in gratiam.
„VIDETE QUÆSO quid poteſt pecunia!
Quoniam re bene geſtâ rediſſe me videt,
Magnasque apportaviſſe divitias domum,
Sine advocatis ibidem in cercuro in ſtegâ
In amicitiam atque in gratiam convortimus.
Et hic hodie apud me cœnat, & frater meus.
Nam heri ambo in uno portu fuimus: ſed mea
Hodie ſoluta eſt navis aliquanto prius.
Age abduc has intrò, quas mecum adduxi, Stiche.
ST. Here, ſive ego taceam, ſeu loquar, ſcio ſcire te
Quàm multas tecum miſerias multaverim.
Nunc hunc diem unum ex illis multis miſeriis
Volo me Eleutheriam capere advenientem domum.
EP. Et jus & æquum poſtulas: ſumas, Stiche,
In hunc diem: te nihil moror, abi quò lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. *ST.* papæ,
Ducam hodie amicam. *EP.* vel decem, dum de tuo.
Ubi cœnas hodie? *ST.* ſi hanc rationem inſtituis;
Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proximo,

INTERPRETATIO.

Mercurio etiam, qui mihi favit in commercio, & fecit locupletiorem quartô tantô. Oblectabor modò meo reditu eos, quos afferam dolore, meo diſceſſu. Nam advivi jam ad Antiphonem meum affinem, rediique cum eo in gratiam ex odio. Videte, obſecro, quantum valeat pecunia! Quoniam Antipho *cernit me reverſum eſſe rebus proſperè geſtis, attuliſſe magnas opes, redimus in amicitiam, atque in gratiam, ſine arbitris, in ipſo navigio, in ipsâ ſtegâ. Et hic cœnat hodie apud me, & meus frater. Nam fuimus heri ambo in uno portu. Sed mea navis eſt ſoluta hodie aliquanto anteà. Age abduc in ædes has Tibicinas, Stiche, quas advexi mecum.* ST. *Here, ſive ego fileam, ſive verba faciam, non ignoro te recordari, quot calamitates pertulerim tecum. Nunc precor ut mihi reverſo liceat libertate frui, hoc die uno, pro illis malis.* EP. *Rogas quod juſtum eſt & meritum: accipe, Stiche, in hunc diem: non te retineo; vade quò volueris. Tibi dono cadum veteris vini quo bibas.* ST. *Papæ! Ducam hodie amicam.* EP. *Duc vel decem, modò* ducas *de tuâ re. Ubi cœnas hodie?* ST. *Si id concedis, ego habeo Stephanium amicam, in viciniis.*

ANNOTATIONES.

19. *Miſerias multaverim.*] Veteres *multare*, pro *numerare* dicebant.

26. *Rationem inſtituis.*] *Si id concedis*, id eſt, *das Eleutheriam, ſeu libertatem in hunc diem, cadumque veteris vini.*

Tui fratris ancillam: eò condixi in symbolam
Ad cœnam, ad ejus conservum Sagarinum Syrum.
Eadem est amica ambobus, rivales sumus.
EP. Age abduc eas intrò! hunc tibi dedo diem.
ST. Meam culpam habeto, nisi probè excruciavero.
Jam hercle ego per hortum amicam transibo meam,
Mihi hanc occupatum noctem: eâdem symbolam
Dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui.
Aut egomet ibo atque obsonabo obsonium.
Atque id ne vos miremini, homines servulos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere.
Licet hoc Athenis nobis. sed cùm cogito,
Potius quàm in dividiam veniam, est etiam hîc ostium
Aliud posticum nostrarum harunce ædium,
(Posticam partem magis utuntur ædium)
Eâ ibo obsonatum, eâdem referam obsonium
Per hortum: utrôque commeatus continet.
Ite hàc secundum vos me! ego hunc lacero diem.

INTERPRETATIO.

ancillam tuis fratris: eò invitavi ad cœnam, in quâ quisque suam pendet symbolam, apud ejus conservum Sagarinum Syrum. Est eadem amica amborum; sumus rivales. EP. *Age abduc tibicinas in ades! tibi dono hunc diem.* ST. *Mihi verte vitio, nisi confecero rectè. Per Herculem ibo ad meam amicam, per hortum, ad laborandum totâ hac nocte; tum dabo symbolam, & mandabo coqui cœnam apud Sagarinum. Aut egomet ibo, & parabo edulia. Et ne vos miremini homines servulos potare, amare, & invitare ad cœnam. Hoc nobis licet Athenis: sed quando reputo, quò minus molestia sit: est hìc etiam aliud ostium in posteriori parte ædium, quo ad id uti magis convenit, eô ibo ad paranda obsonia; eô referam obsonia per hortum. Est commeatus communis utrique ædi. Ite vos hàc post me! ego contero hunc diem.*

ANNOTATIONES.

28. *Eò condixi in symbolam.*] Condicit qui prior & ultrò seu invocatus denuntiat se apud alterum cœnaturum; quod non nisi familiarissimi factitant. Promittit ad cœnam invitatus. *In symbolam.* Est quando singuli viritim pensitant partem sumptus in cœnâ faciendi: *Lorsque chacun paye son écot.*

32. *Excruciavero.*] Quia dixit Epignomus, *dedo tibi hunc diem*, quia in eos qui in potestate nostra sunt licet quidvis impune audere: sic, quia *dedit* hunc diem Sticho Epignomus, Stichus statuit hunc *vexare*, imò *excruciare*. In eum ferme sensum dicit Horatius: *diem mero fraudare gere*. Et mox Plautus: *lacerare*.

37. *Homines servulos potare.*] Athenis, licebat servis condicere ad cœnam, & agitare convivia, non Romæ.

40. *In dividiam.*] *Damnum, molestiam, invidiam.*

45. *Lacero diem.*] Id est, in varias partes distraho, ut unam uni rei, aliam alii tribuam.

ACTUS

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

PARASITUS Gelasimus, qui olim dux fuerat ad nequitiam Epignomo, & ad dilapidationem fortunarum, ab eo impransus dimittitur.

GELASIMVS parasitus, EPIGNOMVS adolescens.

GELASIMVS.

LIBROS inspexi, tam confido, quàm potist,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc interviſi, jámne à portu advenerit:
Ut eum advenientem meis dictis deliniam.
EP. Hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit.
GE. Auspicio hodie optumo exivi forâs.
Mustela murem abstulit præter pedes.
Cum strena obscævavit, spectatum hîc mihi est.
Nam ut illa vitam repperit hodie sibi,
Item me spero facturum. augurium hæc facit.
Epignomus hic quidem est, qui astat. ibo atque alloquar.
Epignome, ut ego te nunc conspicio libens!
Ut præ lætitiâ lacrimæ præsiliunt mihi!
Valuistin' usque? *EP.* sustentatum'st sedulò.
GE. Bene atque amicè dicis. dî dent quæ velis!

INTERPRETATIO.

GE. *Consului codices. Tanta est spes, quanta esse potest, me recuperaturum meum nutritium, meis jocis. Nunc videro, utrum reversus sit à portu, ut eum demulceam meis verbis, quando veniet.* EP. *Ecce Gelasimus parasitus, qui venit.* GE. *Exivi hodie foràs fausti ſſimo auspicio. Mustela abstulit murem ante pedes: eum alacriter devoravit, eam conspicatus sum. Sicut mustela invenit hodie victum, spero me inventurum etiam. Hæc præbet auspicium. Adest Epignomus, qui adstat; accedam atque conferam orationem. Epignome, quàm ego te video libenter! Ut lachryma mihi erumpunt præ gaudio! Valuistine usque?* EP. *Nos curavimus valetudinem diligenter.* GE. *Loqueris rectè atque amicè. Dii concedant quæ voluerit!*

ANNOTATIONES.

2. *Regem.*] Epignomum, qui me alit. Parasitica adulatio.

7. *Mustela.*] Mustela & felis antiquis occursu suo fecerunt auspicium: quod Græci vocabant ἔνοδιον σύμβολον: *Signum in viâ ostensum.*

8. *Cum strena obscævavit.*] Alii, *eum strenua obcœnavit.* Id est, *comedit, voravit.*

14. *Sustentatum.*] *Sustentare se*, est *portare se*, & *bene valere.* Juvenalis: *Et pedibus me porto meis: Je me porte bien.*

Propino tibi ſalutem plenis faucibus.
Cœnabis apud me, quoniam ſalvus advenis.
EP. Vocata eſt opera nunc quidem: tam gratia eſt.
GE. Promitte. *EP.* certum eſt. *GE.* ſic fac, inquam. *EP.* certa res'ſt.
GE. Lubente me hercle facies. *EP.* idem ego iſtuc ſcio.
Quando uſus veniet, fiet. *GE.* nunc ergo uſus eſt.
EP. Non edepol poſſum. *GE.* quid gravare? cenſeo
Eas! neſcio quid verò habeo in mundo. *EP.* i modò,
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.
GE. Quin tu promittis? *EP.* non graver, ſi poſſiem.
GE. Unum quidem hercle certum promitto tibi:
Libens accipiam, certò ſi promiſeris.
EP. Valeas. *GE.* certúmne eſt? *EP.* certum! cœnabo domi.
GE. Quandoquidem *operam* tuam non vis promittere:
Vin' ad te ad cœnam veniam? *EP.* ſi poſſim, velim:
Verùm hîc apud me cœnant alieni novem.
GE. Haud poſtulo equidem me in lecto accumbere:
Scis tu me eſſe imi ſubſelii virum.
EP. At ii oratores ſunt populi, ſummi viri,

INTERPRETATIO.

Tibi libo ſalutem pleno gutture. Cœnabis apud me, quoniam reverteris ſalvus. EP. *Sum quidem invitatus: nec minus habeo gratiam.* GE. *Pollicere.* EP. *Eſt deliberatum.* GE. *Fac quod rogo, inquam.* EP. *Eſt res rata.* GE. *Per Herculem, pergratum mihi feceris.* EP. *Non ignoro. Ibo, quando opus erit.* GE. *Atqui eſt nunc opus.* EP. *Per ædem Pollucis, nequeo.* GE. *Quid fers moleſtè? Exiſtimo tibi eſſe veniendum! eſt mihi neſcio quid paratum.* EP. *I modò; invita alium convivam, qui cœnet tecum hodie.* GE. *Pollicere ſanè? Lubenter fecerim, ſi poſſim.* GE. *Ego verò per Herculem tibi polliceor unum certum* diem: *accipiam libenter, ſi pollicitus furis certò.* EP. *Vale.* GE. *Eſtne apud te deliberatum?* EP. *Certum! Cœnabo domi.* GE. *Quia non vis id polliceri: visne veniam ad te ad cœnam?* EP. *Velim, ſi poſſim: verùm novem alieni cœnant apud me.* GE. *Equidem haud rogo locum habere in lecto, ad menſam; tu ſcis me eſſe hominem imi ſubſellii.* EP. *Sed ii legati ſunt ſummi viri apud ſuos,*

ANNOTATIONES.

18. *Vocata eſt opera.*] Id eſt, *alio vocatus ſum ad cœnam.*

Tam gratia eſt.] *Tam*, id eſt, *tamen.* Quaſi dicat nihilominus gratum mihi facis.

31. *Novem.*] Convivarum numerus apud antiquos erat aut trium, aut novem. Illo gratias, hoc Muſas conſtitiſſe arbitrabantur.

32. *Me in lecto.*] Accumbebant reclinatâ ſuperâ parte corporis in cubitum ſiniſtrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente; capite leviter erecto, dorſo à pulvillis modicè ſuffulto. Primus decumbebat ad caput lecti. Pedes porrigebantur ponè dorſum ſecundi, & ſic deinceps. *Summus* dicebatur, qui erat ad caput lecti; *Imus*, qui ad pedes; *Medius*, qui inter iſtos.

33. *Imi ſubſellii.*] Varro: *Ut ſubſipere, quod non planè ſapit: ſic quod non planè erat ſella, ſubſellium dictum.* Hinc ergò *imi ſubſellii virum* dixit Plautus.

Ambraciâ veniunt huc legati publicè.
GE. Ergo oratores populi, ſummates viri,
Summi accumbent, ego infimatis infimis.
EP. Haud æquum eſt te inter oratores accipi.
GE. Equidem hercle orator ſum, ſed procedit parum.
EP. Cras de reliquiis nos volo. multum vale!
GE. Perii hercle verò planè, nihil obnoxiè.
Uno Gelaſimo minus eſt, quàm dudum fuit.
Certum eſt muſtelæ poſthac nunquam credere.
Nam incertiorem nullam novi beſtiam.
Quæné & ipſa decies in die mutat locum.
Eam auſpicavi ego in re capitali meâ.
Certum eſt amicos convocare, ut conſulam
Quâ lege nunc me eſurire oporteat.

INTERPRETATIO.

veniunt huc authoritate publica ex Ambraciâ. GE. *Ergo viri ſummates accumbunt ſummi, ego infimas ſedebo in infimis.* EP. *Non decet te numerari inter legatos.* GE. *Per Herculem ſum Orator, ſed prodeſt parùm.* EP. *Volo nos* epulari *cras de reliquiis. Vale plurimùm.* GE. *Interii per Herculem funditùs, nec provocationi locus eſt. Numerus hominum eſt minor uno Gelaſimo, quàm fuit antea. Deliberatum eſt nullam fidem habere poſtea auſpiciis muſtelæ: nam nullam novi beſtiam minus certam; quæ & ipſa mutat locum decies in die. Sumpſi auſpicium ab eâ in meam perniciem. Eſt conſtitutum convocare nunc neceſſarios meos, ut deliberem quâ lege famem perferam.*

ANNOTATIONES.

35. *Ambracia.*] Urbs eſt Epyri.
37. *Infimatis.*] Id eſt, *infimi ordinis.*

ACTUS QUARTUS.

ARGVMENTVM.

GRATULATUR reditum generorum ſuorum Antipho. Gelaſimus eſuriales ferias agitare cogitur rejectus ab utroque.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

ANTIPHO generos ſuos ex improviſo cum ſummis opibus reverſos ſummâ item gratulatione recipit.

ANTIPHO ſenex, PAMPHILIPPVS, EPIGNOMVS.

ANTIPHO.

ITA me dî bene ament, measque mihi bene ſervaſſint filias;
Ut mihi volupe'ſt, Pamphilippe, quia vos in Patriam domum
Rediiſſe video, benè geſtâ re, ambos, te & fratrem tuum.
PA. Satis abs te accipiam, niſi videam mihi te amicum eſſe, Antipho.
Nunc qui te amicum mihi experior eſſe, creditur tibi.
AN. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus niſi dixiſſet mihi,
Te apud ſe cœnaturum eſſe hodie, cùm me ad ſe ad cœnam vocat.
Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus,
Quàm me ad illum promittere, niſi nollem ei adverſarier.
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil deſidero:
Cras apud me eritis, & tu & ille, cum veſtris uxoribus.
PA. Et apud me perendie: nam ille heri me jam vocaverat
In hunc diem, ſed ſatin' ego tecum pacificatus ſum, Antipho?
AN. Quando ita rem geſſiſtis, uti vos vellem, amicos atque addecet,

INTERPRETATIO.

AN. *JUro per Deos, & ſalutem filiarum, Pamphilippe, me incredibili gaudio affici; quando aſpicio vos reverſos te, & tuum fratrem in veſtras ædes, rebus proſpere geſtis.* PA *Niſi ſcirem te eſſe meum amicum, à te peterem fideijuſſores; ſed quia intelligo te eſſe meum amicum, Antipho, tibi fidem habeo.* AN. *Ego te invitarem ad cœnam, niſi tuus frater mihi dixiſſet te eſſe cœnaturum hodiè apud ſe, quando me vocavit ad eamdem cœnam. Et fuerat æquius, me vos invitare reverſos, quàm me invitari ab eo, niſi noluiſſem ei obluctari. Nunc non cupio inire gratiam à te verbis tantùm. Etenim canabitis cras apud me, & tu, & ille, cum veſtris uxoribus.* PA. *Et apud me poſt craſtinum. Nam ille me invitaverat jam heri in hunc diem. Sed ſúmne ego ſatis conſiliatus tecum, Antipho?* AN. *Quoniam, ſic geſſiſtis rem, ſicut vos optabam, atque ut oportebat amicos,*

ANNOTATIO.

4. *Satis abs te accipiam.*] Id eſt, *vades à te accipiam.*

Pax commerciumque est vobis mecum. nam hoc tu facito cogites.
„Ut cuique homini res parata est, firmi amici sunt: si res lassa
„ labat,
„Itidem amici collabascunt. Res amicos invenit.
„*EP.* Jam redeo. nimia est voluptas, si diu abfueris à domo,
„Domum si redieris, si tibi nulla est ægritudo animo obviam.
Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum.
Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum socero suo.
PA. Quid agitur, Epignome? *EP.* quid tu? quamdudum in portum venis
Huc? *PA.* longissimè. *EP.* post illà jam iste est tranquillus tibi?
AN. Magis quàm mare, quo ambo estis vecti. *EP.* facis ut alias res soles.
Hodiéne exoneramus navem, frater? *PA.* clementer volo.
Nosmet potiùs oneremus vicissatim voluptatibus.
Quàm mox cocta est cœna? impransus ego sum. *EP.* abi intrò ad me, & lava.
PA. Deos salutatum atque uxorem modò intrò devortor domum.
PA. Apud nos eccilla festinat cum sorore uxor tua.
PA. Optimum est. jam istoc moræ minus erit. *EP.* jam ego apud te ero.
AN. Priusquam abis, præsente te huic apologum agere unum volo.
EP. Maximè. *AN.* fuit olim, quasi ego sum, senex: ei filiæ

Interpretatio.

pax & commercium sancita sunt inter nos: recordare enim necessarios esse constantes, si divitiæ sunt constantes; si vacillant concussæ, sic amici vacillant. Divitiæ amicos parant. EP. *Jam revertor. Est incredibilis jucunditas, si postquam abfueris diu, reversus domum, nullas ærumnas domi nactus fueris: sic mea uxor curavit meas res familiares, me absente, ut me præstiterit immunem ab omni animi molestiâ. Sed adest frater Pamphilippus, qui accedit, cum suo socero.* PA. *Quid agis, Epignome?* EP. *Quid tu? A quo tempore reversus es in portum?* PA. *A longo tempore.* EP. *Estne iste jam tibi placatus?* AN. *Magis quàm mare, quo estis ambo vecti.* EP. *Agis benignè ut soles cætera. Exoneramusne hodie navem, frater?* PA. *Placidè, si placet. Oneremus nosmet potius vicissim lætitiâ. Cœna estne jamjam cocta? Ego sum incœnatus.* EP. *Ingredere ad me, & lava.* PA. *Pergo jam domum ad Deos salutandos, & uxorem.* EP. *Adest tua uxor; accelerat ad nos, cum sorore.* PA. *Commodè idcircò erit minus moræ.* EP. *Ego ero jam apud te.* AN. *Antequam abeas, volo huic offerre unum apologum, te audiente.* EP. *Maximè.* AN. *Fuit quondam senex, qualis ego sum: habebat duas filias,*

Annotatio.

16. *Ut cuique homini res.*] Seneca: *Quod tu beneficio tuo non potes scire, paupertatis scies. Illa veros certosque amicos retinebit. Discedet, quisquis non te, sed aliud sequatur. Non est autem vel hoc uno amanda paupertas, quòd à quibus ameris, ostendit.*

Duæ erant, quasi nunc meæ sunt: eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quasi nunc meæ sunt vobis. *PA.* miror, quò evasuru'st apologus.
AN. Erat minori illi adolescenti fidicina & tibicina;
Peregrè advexerat, quasi nunc tu: sed ille erat cælebs senex,
Quasi ego nunc sum. *PA.* perge porrò. præsens hic quidem est apologus.
AN. Deinde senex ille illi dixit, cujus erat tibicina,
Quasi ego nunc tibi dico. *PA.* auscultо, atque animum advorto sedulò.
AN. Ego tibi meam filiam, benè quî cum cubitares, dedi:
Nunc mihi reddi ego æquum esse abs te, quî cum cubitem, censeo?
PL. Quis istuc dicit? an ille quasi tu? *AN.* quasi ego nunc dico tibi,
Imò duas dabo, inquit ille adolescens, una si parum est:
Et si duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
PA. Quis istuc, quæso? an ille, quasi ego? *AN.* is ipse, quasi tu. *tum* senex
Ille, quasi ego, si vis, inquit, quattuor sanè dato;
Dum equidem hercle quod edant addas: meum ne contruncent cibum.
PA. Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit:
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerit.
AN. Videlicet fuisse illum nequam adolescentem, qui illico,
Ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici.
Hercle quia æquum postulabat ille senex, quandoquidem
Filiæ illæ dederat dotem, accipere pro tibicinâ.
PA. Hercle ille quidem certò adolescens doctè vorsutus fuit,
Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit.

INTERPRETATIO.

quales sunt nunc meæ; eæ erant conjunctæ matrimonio fratribus, quales sunt nunc meæ filiæ vobis. PA. *Nescio quo tandem recidat hic apologus.* AN. *Minor ille adolescens habebat fidicinam & tibicinam; advexerat à longè, quasi nunc tu: sed ille senex erat orbus conjuge, qualis ego sum nunc.* PA. *Perge modò. Hic apologus est sub manu.* AN. *Deinde ille senex dixit illi, cujus erat tibicina, sicut ego tibi dico nunc.* PA. *Auscultо, atque animadverto diligenter.* AN. *Ego tibi dedi meam filiam, cum qua cubares; nunc ego existimo esse æquum abs te mihi restitui, cum qua cubem.* PA. *Quis dicit id? An ille qui dicebat modò, quasi tu?* AN. *Ego tibi dico, quasi nunc tibi dicam. Imò dabo duas, inquit ille adolescens, si una non est satis: & si non sunt satis duæ, inquit, addentur duæ.* PA. *Quid illud est, obsecro? An ille, quasi ego?* AN. *Is ipse, quasi tu. Tum ille senex, quasi ego, si vis, inquit, dato sanè quatuor; dum, per Herculem, addas quod vescantur, ne imminuant meos cibos.* PA. *Licet intelligere illum senem fuisse parcum, qui dixerit hæc: quoniam ille poposcerit cibum ab eo, qui illi pollicetur* tibicinas. AN. AN. *Licet videre illum adolescentem fuisse improbum, qui negavit se daturum granum tritici, statim atque ille senex poposcit. Per Herculem ille senex meritò rogabat* dotem *pro tibicinâ, utpote qui dederat dotem filiæ.* PA. *Per Herculem ille adolescens sapiebat, qui recusabat dare concubinam dotatam illi seni.*

AN. Senex quidem voluit, si posset indipisci cibo:
Quia nequit; quâ lege licuit, velle dixit fieri.
Fiat! ille inquit adolescens. facis benignè! inquit senex.
Habeon' rem factam? inquit. faciam ita, inquit, ut fieri voles,
Sed ego ibo intrò, & gratulabor vostrum adventum filiis.
Postea ibo lavatum in Pilum: ibi fovebo senectutem meam.
Pòst ubi lavero, otiosus vos opperiar accubans.
PA. Graphicum mortalem Antiphonem! ut Apologum fecit, quàm fabrè!
Ut jam nunc scelestus esse ducit pro adolescentulo!
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet senem:
Namque edepol aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.
Sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiam valet?
EP. Vidi edepol hominem haud perdudum. *PA.* quid agit? *EP.* quod famelicus.
PA. Quin vocasti hominem ad cœnam? *EP.* ne quid adveniens perderem.
Atque eccum tibi lupum in sermone, præsens esuriens adest.
PA. Ludificemur hominem. *EP.* capti consilii memorem mones.

Interpretatio.

AN. *Senex quidem conatus est obtinere concubinam cum cibo, si posset: sed quia non potuit, dixit se velle accipere, quâ lege placeret filio. Ille adolescens ait, fiat! facis humaniter! senex ait. Res estne facta? Ait. Sic faciam, ut voles fieri; sed ego ingrediar, & gratulabor de vestro reditu apud filias. Postea ibo lavatum, ad pilum: recreabo ibi meam senectutem. Postquam lavero, vos expectabo accubans molliter.* PA. *Lepidum hominem Antiphonem! ut fecit apologum scitum! Ut nequam sese jam obtrudit pro juvene! Dabitur amica homini, quâ concalescat senex in lecto. Nam per ædem Pollucis, nescio, quid opus sit illi amicâ. Sed quid agit noster parasitus Gelasimus? Etiam valet?* EP. *Per ædem Pollucis mox conspicatus sum hominem.* PA. *Quid facit?* EP. *Quod fame perditus.* PA. *Quare non invitasti hominem ad cœnam?* EP. *Ne perderem aliquid meo adventu. Sed ecce lupus in fabulâ, adest præsens esuriens.* PA. *illudamus homini.* EP. *Admones memorem capti consilii.*

Annotationes.

62. *Ibo lavatum in pilum.*] Id est, *in balneas sub insigni pili.*

66. *Accendet senem.*] Id est, *concalefaciet senem, fovebit.*

71. *Lupum in sermone.*] *Sermo* accipitur pro familiari colloquio. Terentius: *Lupus in fabulâ.* Eadem est paræmia.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

PARASITUS Gelasimus rejectus à cœnâ irrisusque dat pœnas fratribus duobus corruptelarum illarum, in quas olim eos abduxerat.

GELASIMVS parasitus, PAMPHILIPPVS, EPIGNOMVS.

GELASIMUS.

SED ita quod occœpi narrare vobis, cùm hîc non affui,
Cum amicis deliberavi jam, & cum cognatis meis:
Ita mihi auctores fuêre, ut egomet me hodie jugularem fame.
Sed videóne ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est.
Aggrediar hominem. sperate Pamphilippe, ô spes mea!
O mea vita! ô mea voluptas! salve! salvum gaudeo,
Peregrè te in patriam rediisse salvum. *PA.* salve; Gelasime!
GE. Valuistin' bene? *PA.* sustentavi sedulò. *GE.* edepol gaudeo.
Edepol næ egomet mihi modiûm nunc mille esse argenti velim.
EP. Quid eo tibi opus est? *GE.* hunc ad cœnam hercle ut vocem.
te non vocem.
EP. Advorsum te fabulâre illud quidem. *GE.* ambos ut vocem.
EP. Edepol te vocem libenter, si superfiat locus.
GE. Quin tu, stans obstrusero aliquid strenuè. *EP.* imò unum hoc potest.
GE. Quid? *EP.* ubi convivæ abierint, cum venias. *GE.* væ ætati tuæ!
EP. Unà lautum, non ad cœnam dico. *GE.* dî te perduint!
Quid ais, Pamphilippe? *PA.* ad cœnam hercle aliò promisi foras.
GE. Quid, foras? *PA.* foras hercle verò. *GE.* quî, malum, tibi lasso libet

INTERPRETATIO.

GE. *Sed ita ut exorsus sum vobis exponere, quia non adfui hîc, deliberavi modò cum amicis, & cum meis cognatis: eorum sententia fuit, ut memet jugularem hodie esurie. Sed videône Pamphilippum cum fratre Epignomo? ipse est. Adoriar hominem. Desideratissimè Pamphilippe! O mea spes! ô mea lux! ô mea jucunditas! salvus sis! letor te reversum esse incolumem peregrè in patriam.* PA. *Salvus sis, Gelasime!* GE. *Rectène valuisti?* PA. *Sustentavi* vitam *diligenter.* GE. *Lætor. Per ædem Pollucis, optarem ut mihi essent mille modii argenti.* EP. *Quid opus est tibi?* GE. *Per Herculem ut invitem hunc ad cœnam, te non invitem.* EP. *Dicis id quidem contra te.* GE. *Ut invitem utrumque.* EP. *Per ædem Pollucis te invitavero libenter, si supersit locus.* GE. *Quin tu* invitas, *stans intercipiam aliquid alacriter.* EP. *Imò potest fieri hoc unum.* GE. *Quid?* EP. *Quando convivæ discesserint, tum venias.* GE. *Væ tibi!* EP. *Lautum nobiscum, non dico ad cœnam.* GE. *Dii te perdant! Quid ais, Pamphilippe?* PA. *Per Herculem pollicitus sum ire alio cœnatum.* GE. *Quid, foràs?* PA. *Foràs per Herculem.* GE. *Quomodo, malum! tibi licet*

ANNOTATIO.

13. *Quin tu stans abstrusero.*] Alii *stas*, pro *stans*; ut *prægnas*, pro *prægnans*; *mussas*, pro *mussans*; id est, *si non est locus ubi sedeam, stans cœnabo. Abstrudere* hoc loco est *avidè vesci.* Alibi, *tuburcinare, corvitare.*

Foris

Foris cœnare? *PA.* utrum tu censes? *GE.* jube domi cœnam coqui,
Atque ad illum renunciari. *PA.* solus cœnabo domi?
GE. Non enim solus, me vocato. *PA.* at ille ne succenseat,
Meâ qui causâ sumptum fecit. *GE.* facilè excusari potest:
Mihi modò ausculta. jube domi cœnam coqui. *EP.* non me quidem
Faciet auctore, hodie ut illum decipiat. *GE.* non tu hinc abis?
Nisi me non perspicere censes quid agas. cave sis tu tibi!
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quasi esuriens lupus.
Non tu scis, quàm efflictentur homines noctu hîc in viâ?
PA. Tanto plureis, qui defendant, ire advorsum jussero.
EP. Non it, non it: quia tanto opere suades ne ebitat. *GE.* jube
Domi mihi, tibi, tuæque uxori celeriter cænam coqui.
Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.
PA. Per hanc tibi cænam incænato, Gelasime, esse hodie licet.
GE. Ibisne ad cænam foras? *PA.* apud fratrem cæno, in proximo.
GE. Certúmne est? *PA.* certum. *GE.* edepol te hodie lapide percussum velim.
PA. Non metuo: per hortum transibo, non prodibo in publicum.
EP. Quid agis, Gelasime? *GE.* Oratores tu accipis! habeas tibi!
EP. Tuâ pol refert enim. *GE.* siquidem meâ refert, operâ utere,
Posce. *EP.* edepol tibi, opinor, etiam uni locum conspicor,
Ubi accubes. *PA.* sanè faciundum censeo. *GE.* ô lux oppidi!

Interpretatio.

cœnare foris defessò? PA. *Quid suades?* GE. *Manda coqui cœnam domi, & renuntiari illi, qui te invitavit.* PA. *Canarem solus domi?* GE *Non solus. Invita me.* PA. *Sed vereor ne ille molestè ferat, qui meâ causâ fecit sumptum.* GE. *Potes facilè excusari: audi me modò, manda coqui cœnam domi.* EP. *Non committet profectò me suasore, ut decipiat hodie illum.* GE. *Non tu fugis hinc? An putas me non videre quid moliaris? Cave tu tibi, si vis! Nam ille homo flagrat desiderio tuæ hereditatis, quasi lupus famelicus. Tu nescis quantum homines vexentur noctu, hoc in itinere?* PA. *Mandabo tanto plures ire obviam ad eum tuendum.* EP. *Non ibit, non ibit, quia hortaris tantopere ne eat.* GE. *Manda coqui domi cœnam mihi, & tibi, tuæque uxori velociter. Per Herculem, si feceris, non dices, ut arbitror, delusum fore.* PA. *Gelasime, tibi licet esse hodie impranso, per hanc cœnam.* GE. *Cœnabisne hodie foris?* PA. *Cœno apud fratrem, in vicinis.* GE. *Estne verum?* PA. *Est verum.* GE. *Per ædem Pollucis te velim vexatum hodie lepidè.* PA. *Non timeo. Transibo per hortum, non egrediar in publicum.* EP. *Quid facis, Gelasime?* GE. *Tu invitas Oratores! habeas Oratores!* EP. *Per Pollucem enim tuâ interest.* GE. *Si meâ refert, utere meâ operâ. Invita me.* EP. *Per ædem Pollucis, video adhuc unum locum, in quo accubes.* PA. *Existimo sanè esse faciendum.* GE. *O lux urbis!*

Annotationes.

22. *Non me auctore faciet.*] Frater meus Pamphilippus.

23. *Illum decipiat.*] A quo videlicet est invitatus ad cœnam.

31. *Per hanc tibi cœnam,*] Si tibi alia nulla cœna parata est, incœnatus dormies.

EP. Si artè poteris accubare. *GE.* vel inter cuneos ferreos.
Tantillum loci ubi catellus cubet, id mihi sat est loci.
EP. Exorabo aliquo modo. veni. *GE.* hùccine? *EP.* imò in carcerem.
Nam hîc quidem meliorem Genium tuum non facies. eamus, tu.
PA. Deos salutabo modò, postea ad te continuò transeo.
GE. Quid igitur? *EP.* dixi equidem, in carcerem ires. *GE.* quin jusseris,
Eò quoque ibo. *EP.* di immortales! hic quidem in summam crucem
Cænâ aut prandio perduci potest. *GE.* ita ingenium meum est;
Quîcumvis depugno multò faciliùs, quàm cum Fame.
PA. Non ergo is tu? apud me satis spectata est mihi jam tua felicitas:
Dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus.
Nunc ego nolo è Gelasimo mihi te Catagelasimum.
GE. Jámne abîsti? Gelasime, vide, quid es capturus consilii.
Egóne? túne? mihíne? tibíne? vides, ut annona est gravis!
Vides, benignitates hominum ut periêre & prothymiæ:
Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipsos parasitarier.
Nunquam edepol me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem.
Nam mihi jam intus potione vinceâ onerabo gulam.
Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame.

INTERPRETATIO.

EP. *Si potueris accubare arctè.* GE. *Vel inter cuneos* fissiles *ferreos. Ille locus in quo catulus decubet, mihi sufficiat.* EP. *Exorabo quodammodo. Veni.* GE. *Huccine?* EP. *Imò in carcerem. Nam non oblectabis hìc tuum Genium. Pergamus tu, frater.* PA. *Adorabo Deos, postea transibo statim ad te.* GE. *Quid ergo?* EP. *Equidem dixi, ut ires in carcerem.* GE. *Quin tu imperaveris, eò etiam pergam.* EP. *Di immortales! hic potest perduci in summam crucem cœnâ pactâ, aut prandio.* GE. *Ejusmodi est mea mens; decerto longe facilius cum quovis adversario, quàm cum Fame.* PA. *Tu non is ergo? Tua fortuna mihi est jam satis perspecta: dum fuisti meus parasitus & fratris, fecimus naufragium rei familiaris. Nunc ego nolo te mihi de derisore fieri ridiculum.* GE. *Abisne jam? Gelasime, vide, quid consilii es capturus. Egóne? Túne? Mihine? Tibíne? Intelligis quemadmodum annona est cara! Ut periere liberalitates hominum & alacritas* in benefaciendo? *Animadvertis parasitos nihili fieri, & ipsos sibi esse parasitos. Per ædem Pollucis nemo me conspiciet vivum in diem crastinum. Indam jam gutturi pocula vincea, & dabo operam ne dicant me extinctum fame.*

ANNOTATIONES.

39. *Inter cuneos.*] Id est, *vel in arctissimo loco stabo.* Qualis est inter cuneos, quibus discluditur fissile lignum.

50. *Catagelasimum.*] *Gelasimus* est, qui risum aliis movet. Non irridetur Catagelasimus, qui ipse ridiculus est. Est ratio nominis parasitici.

53. *Prothymiæ.*] Græcum est, *animarum alacritates, festivæ & promptæ voluptates.*

56. *Potione vincea.*] *Potionem vinceam* appellat *suspendium*, allusione quâdam factâ ad *vinum*, tanquam sit à *vinciendo* collo.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

STICHUS servus Epignomi & Sagarinus Pamphilippi sese in somne voluptatum genus effundunt, ostenduntque, quo prorumpere possit, excusso disciplinæ jugo, cupiditas.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

EXPECTAT Bacchationis potius, quàm compotationis suæ Stichus, socium Sagarinum.

STICHUS.

MORE hoc fit, atque stultè, meâ sententiâ:
Si quem hominem expectant, eum solent provisere:
Qui hercle illâ caussâ nihil ociùs venit.
Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum,
Qui nihil ociùs venit tamen hâc gratiâ.
Jam hercle ego decumbam solus, si ille huc non venit.
Cadum modò hinc à me huc cum vino transferam:
Postea accumbam. quasi senex tabescit dies.

INTERPRETATIO.

ID fit insipienter & insulsè, meo judicio, ut si operiantur quempiam, soleant eum habere semper in animo; nam per Herculem, nihilo venit celerius idcircò. Ego sic ago, qui Sagarinum expecto, qui non venit diligentiùs idcircò. Per Herculem ego decumbam solus, si ille non venit. Huc transferam modò hinc cadum vini: deindè accumbam mensæ. *Dies languet, ut senex.*

ANNOTATIONES.

6. *Decumbam.*] *Accumbam*, aut *discumbam*: nam *decumbere*, fermè ægrotorum est.

8. *Senex tabescit dies.*] Id est, *Languet & fermè extinguitur.* Metaphora ab animalibus ducta.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

STICHUS & Sagarinus sese ad compotandum accingunt.

SAGARINVS, STICHVS servi duo.

SAGARINVS.

SALVETE Athenæ, quæ nutrices Græciæ.
Terra herilis patria! te video libens.
Sed amica mea & conserva quid agat Stephanium,
Cura est: ut valeat. nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nunciaret, atque ei ut diceret,
Me hodie venturum, ut cœnam coqueret temperi.
Sed Stichus est hic quidem. *ST.* fecisti, here, facetias,
Cùm hoc donavisti dono tuum servum Stichum.
Prò di immortales, quot ego voluptates fero!
Quot risiones! quot jocos! quot savia!
Saltationes, blanditias, prothymias!
SA. Stiche! *ST.* hem! *SA.* quid fit? *ST.* euge! Sagarine lepidissime!
Fero convivam Dionysum mihique & tibi.
Namque edepol cœna dicta est, locus liber datus est
Mihi & tibi apud vos: nam apud nos est convivium.
Ibi vester cœnat cum uxore adeò & Antipho.
Ibidem herus est noster. hoc mihi dono datum'st.

INTERPRETATIO.

SA. *Salvete Athenæ, nutrices Graciæ! Terra patria mei heri! Te conspicio libenter. Sed sollicitus sum quid agat Stephanium, mea amica & conserva: quomodo valeat. Nam rogaveram Stichum, ut deferret ad eam salutem, & ut ei nunciaret me venturum hodie, & ut coqueret cœnam tempestivè. Sed adest Stichus.* ST. *Pergratum mihi fecisti, ô Epignome, here quando donavisti* hunc *cadum Sticho tuo servo. Proh Dii immortales! quot ego apporto gaudia! quot risus! quot jocos! quot oscula! saltationes! blanditias! alacritates!* SA. *Stiche!* ST. *Hem!* SA. *Quid agitur?* ST. *Euge! Sagarine suavissime! apporto Dyonisum convivam & mihi & tibi. Namque per idem Pollucis cœna est indicata, locus est assignatus liber nobis apud vos: nam est convivium apud nos. Ibi vester* Dominus *cœnat cum uxore & Antiphone. Noster herus est ibidem: hoc mihi datum est dono.*

ANNOTATIONES.

1. *Athenæ nutrices Graciæ.*] Cicero: *Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.*

13. *Convivam Dyonisum.*] Bacchum.

SA. Quis somniavit aurum? *ST.* quid id ad te attinet?
Proin tu lavare propera. *SA.* lautus sum. *ST.* optimè!
Sequere ergo hàc me intrò. *SA.* ego verò sequor.
ST. Volo eluamus hodie. peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus! sequere me.
SA. Sequor, & domum redeundi principium placet.
Bona scæva strenaque obviam occessit mihi.

INTERPRETATIO.

SA. Quis furatus est aurum? ST. Quid id ad te spectat? Itaque accelera lavare. SA. Sum lautus. ST. Optimè! Igitur sequere me in has ædes. SA. Sequor. ST. Volo dilapidemus hodie, quidquid est nobis. *Omittamus cuncta externa: sumus Athenis! sequere me. SA. Sequor, initium reditus nostri in ædes faustum est. Bonum auspicium, & bona strena ostenditur mihi.*

ANNOTATIONES.

18. *Qui somniavit aurum.*] Id est, *Quis furatus est aurum? Somniator idem, qui dormitator. Dormitator autem significat nocturnum furem.*

24. *Bona scæva strenaque.*] Id est, *bonum & faustum auspicium.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

STEPHANIUM communis Stichi & Sagarini amica instruit convivium.

STEPHANIVM ancilla.

MIRUM videri nemini vestrum volo, spectatores,
Quid ego hinc, quæ illîc habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arcessita sum. quoniam nunciatum est,
Istarum venturos viros. ibi festinamus omnes,
Lectis sternendis studuimus, munditiisque apparandis.
Inter illud tamen negotium meis curavi amicis,

INTERPRETATIO.

NEmini vestrum videatur mirum, spectatores, quare ego, quæ maneo illic, egrediar hinc: vobis rem aperiam. Sum vocata modò huc, quia relatum est maritos affuturos. Tum universæ incubuimus cubilibus componendis, mundandisque omnibus. Tamen interim operam dedi, ut coqueretur cœna meis amicis.

ANNOTATIONES.

1. *Spectatores.*] Rarò à Dramaticis dirigitur ad spectatores oratio; nisi in prologis.

2. *Hinc.*] Ex ædibus Epignomi heri.

Sticho & conservo Sagarino meo, cœna cocta ut esset.
Stichus obsonatus est. cæterum ego curando id allegavi.
Nunc ibo hinc, & amicos meos curabo hîc advenientes.

INTERPRETATIO.

Sticho & Sagarino meo conservo. Stichus paravit edulia. Ego verò misi alium, qui eorum curam gereret. Nunc proficiscar hinc, & excipiam hìc meos amicos, quando venient.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

STichus & Sagarinus compotationem ordiuntur, ad tibias saltant, seu potius insaniunt.

SAGARINVS, STICHVS servi duo.

SAGARINVS.

AGite, ite foras! ferte pompam. cado te præficio, Stiche.
Omnibus modis temperare certum'st nostrum hodie convivium.
Ita me dî ament, lepidè accipiemur, cùm hoc recipiamur in loco.
Quisquis prætereat, commissatum volo vocari. *ST.* convenit!
Dum quidem hercle quisquis veniat cum vino suo. nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos; jactura dabitur nemini.
Nosmet inter nos ministremus, monotrophe. hoc convivium est
Pro opibus nostris satis commodulè, nucibus, fabulis, ficulis,

INTERPRETATIO.

SA. *AGite, exite! ducite pompam. Te præpono cado, Stiche. Constitutum est instruere hodie nostrum convivium omni ratione. Ita me Dii ament, invitabimur eleganter & politè, quoniam invitamur in hoc loco. Quisquis hàc transeat, invitandus est ad epulas.* ST. *Consentio! modò per Herculem, quisque afferat vinum. Nam quisque offeret decimam de suo sine nostro* vino; *nemo fraudabitur. Oportet ut nobis ministremus ipsi soli sine ministro, ô Sagarine. Est convivium satis lautum pro nostris divitiis, nucibus, minutis fabis, parvis ficubus,*

ANNOTATIONES.

4. *Comissatum.*] Deducit Lambinus à κωμάζειν, quod non tantum *comedo*, sed *salto, lascivio, jocor*, &c. significat.

5. *Cum vino suo.*] Est id affine proverbio: *Quisque adsit cum suo cibo.*

6. *Polluctura.*] *Polluctura*m vocat *partem Herculanam*, quæ erat decima eduliorum omnium.

7. *Monotrophe.*] *Monotrophus* est qui vivit sine contubernali & convivâ.

8. *Fabulis.*] Id est, *parvis fabis.*

Oleâ in tryblio, lupilli comminuto cruſtulo.
Sat eſt. SERVO homini modeſtè melius facere ſumptum, quàm ampliter.
„Suum quemque decet. quibus divitiæ domi ſunt, ſcaphio & Batiolis bibunt: at nos noſtro Samiolo poterio [cantharis,
„Tamen vivimus; nos tamen efficimus pro opibus noſtra mœnia.
SA. Amicæ uter utrubi accumbamus? *ST.* abi tu ſanè ſuperior.
Atque adeò ut tu ſcire poſſis, factum ego tecum hoc divido.
Vide utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam.
SA. Quid iſtuc eſt provinciæ? *ST.* utrum Fontinali an Libero Imperium te inhibere mavis? *SA.* nimiò liquidò Libero.
Sed amica mea & tua dum comit, dumque ſe exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos. ſtrategum te facio huic convivio.
ST. Nimium lepidè in mentem venit. potius in ſubſellio
Cynicè accipiemur, quàm in lectis. *SA.* imò enim hîc magis eſt dulcius.
Sed interim, ſtrategе noſter, cur hic ceſſat cantharus?
Vide, quot cyathos bibimus. *ST.* tot, quot digiti ſunt tibi in manu.
Cantio eſt Græca: ἢ πέντε πίν', ἢ τρεῖς πίν', ἢ μὴ τέτταρες.
SA. Tibi propino decumâ fonte: tibi túte inde, ſi ſapis.

INTERPRETATIO.

oleâ in patella, parvis lupinis incruſtatis. Satis eſt. Præſtat ſervum facere ſumptum modeſtum, quàm opiparum. Cuique eſt ſua regula vitæ. Ii qui divitiis abundant, potant Scaphio & cantaro, & Batiolis: ſed nos potamus noſtro poculo fictili; attamen nos pro virili curamus noſtra munia. SA. Non curamus ad quod latus amicæ accumbamus? ST. Sede ſanè ſuperior, Sagarine: & ut tu intelligas, ego partior tecum negotium. Vide; ſuſcipe provinciam quam volueris. SA. Quæ eſt illa provincia? ST. Utrum mavis præeſſe fonti, an cado? SA. Præſtat præeſſe cado. Sed interea dum mea amica, & tua ſe depectit & ſeſe exornat, volo nos colludere inter nos. Te ſaluto regem hujus convivii. ST. Hoc tibi venit in mentem commodè. Epulabimur potius cynicè in ſubſellio, quàm in lectis. SA. Imò eſt mollius in lectis. Sed interea noſter Imperator, cur cantharus hic cunctatur? Vide, quot ſiccavimus ſcyphos. ST. Tot quot habes digitos in manu. Eſt cantilena Græca, vel quinos bibe cyathos, vel ternos; ſed ne quatuor. SA. Tibi propino decimâ parte aquæ: tibi miſce ſi ſapis.

ANNOTATIONES.

9. *Olea in Tryblio.*] Id eſt, *in catino aut patella. Tryblion* Græcum.
Lupilli.] Id eſt, *lupini parvi.*
12. *Batiolis.*] *Batiola*, eſt *poculi genus.*
Samiolo.] Id eſt, *Exiguo vaſe Samio.*
17. *Fontinali.*] *Fontinalis Deus fontium.* Unde *fontinalia ſacra.* Quaſi dicat, *utrum aqua an vino præſſe mavis.*
19. *Dum comit.*] Id eſt, *comitur Stephanium.*
20. *Strategum.*] Qui has leges bibendi ferebat, *magiſter* vulgò dictus. Athenæus vocat, Οἰνόπλας & Ὀψαλμοὺς.
21. *In ſubſellio.*] Aſconius Pedianus: *Subſellia ſunt tribunorum triumvirorum, quæſtorum & hujuſmodi minora exercentium; qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus; ſed in ſubſelliis ſubſidebant.*
26. *Decumâ fonte, & decumanâ fonte.*] Turnebus intelligit de vino decimâ parte aquæ diluto. Lipſius intelligit de decem cyathis. Stichus mentionem fecerat de quinque cyathis, Sagarinus bis quinos eſſe ſiccandos dicit.

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium.

ST. Bibe, ſi bibis. *SA.* non mora erit apud me. *ST.* edepol convivî ſat eſt,
Modò noſtra huc amica accedat: id abeſt, aliud nihil abeſt.
SA. Lepidè hoc actum eſt. tibi propino cantharum: vini tu habes.
Nimis vellem aliquid pulpamenti. *ST.* ſi horum quæ aſſunt pœniter,
Nihil eſt. tene aquam. *SA.* melius dicis! nihil moror cupedia.
Bibe tibicen: age ſi quid agis! bibendum hercle hoc eſt, ne nega.
Quid hîc faſtidis, quod faciundum vides eſſe tibi? quin bibis!
Age ſi quid agis: accipe, inquam. non hoc impendet publicum.
Haud tuum iſtuc eſt te vereri. eripe ex ore tibias.
ST. Ubi illic biberit, vel ſervato meum modum, vel tu dato.
Nolo ego nos pro ſummo bibere. nulli relerimus poſtea.
Namque edepol, quamvis deſubitò vel cadus verti poteſt.
SA. Quid igitur? quanquam gravatus fuiſti, non nocuit tamen.
Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labias tibias,
Suffla celeriter tibi buccas, quaſi proſerpens beſtia.
Age dum, Stiche! uter demutaſſit, poculo multabitur.
ST. Bonum jus dicis! IMPETRARE oportet, quia æquum poſtulas.

INTERPRETATIO.

Bene vobis ſit, *bene nobis, bene tibi, bene etiam noſtra Stephanio.* ST. *Pota ſi libet.* SA. *Non cunctor.* ST. *Per ædem Pollucis, eſt convivium ſatis* lautum, *noſtra amica veniat jam huc: id nobis deeſt; nihil aliud nobis deeſt.* SA. *Hoc ſcitum eſt. Tibi propino cantharum: habesne ſatis vini? Utinam eſſet aliquid edulii delicatioris.* ST. *Si ea quæ aſſunt non ſufficiunt, nihil ſufficiat. Accipe aquam.* SA. *Melius loqueris! non curo cupedia. Bibe, tibicen: age quod agis. Per Herculem eſt hoc bibendum, ne recuſa. Quid averſaris facere id quod eſt tibi faciendum? Quin bibis! age quod agis: accipe, inquam. Hoc* poculum, *non penſabit vectigal. Non eſt quod id formides. Deme tibias ex ore.* ST. *Quando ille tibicen biberit, vel proſequere ad menſuram, quam præſcripſi; vel incipe aliam præſcribere convivii. Ego nolo nos bibere plenis ſcyphis. Poſtea nulli depromemus. Nam per ædem Pollucis, vel cadus poteſt ſiccari ſubitò.* SA. *Quid ergo? quanquam magnum poculum ſiccaſti, tamen non nocuit. Age tibicen, quoniam bibiſti; refer tibias ad os; infla velociter buccam, quaſi ſerpens. Age dum, Stiche! qui turbaverit ordinem, punietur ſcipho uno.* ST. *Sancis bonam legem. Decet tibi morem geri, quia poſtulas rem juſtam.*

ANNOTATIONES.

27. *Bene vos, bene nos.*] Apprecationes invitantium ſeſe, & compotantium.

31. *Pulpamenti.*] *Pulpamentum* eſt obſonium ex parte carnoſiore animalis. Donatus: *Lepus ex parte ſui poſteriore pulpamentum præbet.*

32. *Cupedia.*] Feſtus: *Cupes & Cupedia antiqui lautiores cibos nominabant.*

38. *Pro ſummo bibere.*] Id eſt, *hoc ſummum ſit, & ultimum quod bibemus.* Eſt edictum à Magiſtro convivii latum, quod, cum facit, tenet in manu, & oſtendit compotoribus menſuram.

41. *Ad labias.*] Pro, *labia.*

43. *Uter demutaſſit.*] Uter noſtrum ab hac lege diſceſſerit pro *mulcta* poculum ei auferetur, &, poculo in orbem circunducto, omittetur.

45 Age

Age ergo observa : si peccassis, multam hîc retinebo illico.
SA. Optimum atque æquissimum oras. *ST.* hem tibi! hoc primum omnium.

„Hæc facetia'st, amare inter se rivales duos;
„Uno cantharo potare, & unum scortum ducere.
„Hoc memorabil'est: ego tu sum, tu es ego: unianimi sumus:
Unam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum est tamen.
Tecum ubi autem est, mecum ibi autem est: neuter utri invidet.
SA. Ohe, jam satis! nolo obcædes: catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? ea saltabit. *ST.* censeo.
SA. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium, ad amores tuos
Foras egredere, satis mihi pulcra es. *ST.* enim *mihi* pulcerrima.
SA. Fac nos hilaros hilariores operâ atque adventu tuo.
Peregrè advenientes te expetimus, Stephaniscidium, mel meum;
Si amabilitas tibi nostra placet, si tibi ambo accepti sumus.

Interpretatio.

Age igitur obsequere: si violaveris, retinebo poculum *in multam.* SA. *Rogas rem bonam atque justam.* ST. *Hem tibi propino primum omnium. Est id perlepidum duos rivales sese mutuò amare; bibere uno poculo, ducere unam amicam. Hoc est memoriâ dignum: ego sum tu, tu es ego: sumus unanimes, ambo amamus unam amicam; quando est mecum, tamen est tecum; & ubi est tecum, est & mecum: neuter invidet alteri.* SA. *Ohe! jam satis est. Nolo ludos operosos; volo ludere ut catuli ludunt: visne evocemus huc amicam? Ea saltabit.* ST. *Volo.* SA. *Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium, egredere foràs ad tuos amores; es mihi satis scita.* ST. *Est mihi scitissima.* SA. *Redde nos ex hilaribus hilariores, tuâ operâ atque tuo adventu. Exoptamus te reversi peregrè, mea parva Stephanium, meum mel; nisi nostet amor tibi sordet, si tibi sumus jucundi ambo.*

Annotatio.

51. *Nolo obcædes.*] Id est, *Nolo hîc quidquam tragicum & cruentum, quodque cædes imitetur.*

ACTUS QUINTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

Stephanium expectata adest, Sticho jam & Sagarino non mediocriter madidis.

STEPHANIVM ancilla, SAGARINVS, STICHVS servi duo.

STEPHANIVM.

MOREM vobis geram, meæ deliciæ. nam ita me Venus amœna amet,
Ut ego hîc jamdudum exîssem simitu vobiscum foras,
Nisi me vobis exornarem. nam ITA EST INGENIUM muliebre,
Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est; infecta est tamen.
Nimioque sibi mulier meretrix repperit odium ocius
Suâ immunditiâ, quàm in perpetuum ut placeat munditiâ suâ.
SA. Nimium lepide fabulata est. *ST.* Veneris mera est oratio.
Sagarine. *SA.* quid est? *ST.* totus doleo. *SA.* totus? tanto miserior.
STE. Utrubi accumbo? *SA.* utrubi tu vis? *STE.* cum ambobus volo: nam ambos amo.
ST. Vapulat peculium: actum est, fugit hoc libertas caput.
STE. Date mihi locum ubi accumbam, amabo! siquidem placeo: tum mihi
Cupio cum utroque mihi esse bene. *ST.* dispereo! *SA.* quid ais? *ST.* quid, ego?
SA. Ita me dî ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin saltet tamen.
Age mulsa mea! suavitudo! salta: saltabo ego simul.
ST. Nunquam edepol me istoc vinces, quin ego tibi pruriam.
STE. Siquidem mihi saltandum est, tum vos date, bibat, tibicini.

INTERPRETATIO.

ST. *Vobis obsequar mei amores. Nam ita me suavis amet Venus, ut ego venissem huc jampridem, nisi me exornassem vestri gratiâ. Nam mulieres sunt ejusmodi, ut cum una est bene lauta, tersa, ornata, & picta, tamen est deformis. Meretrix displicet facilius suis sordibus, quàm placet suâ munditiâ.* SA. *Locuta est nimis venustè.* ST. *Est oratio germana Veneris, Sagarine.* SA. *Quid est?* ST. *Totus doleo.* SA. *Totus? Tanto pejus.* STE *Ubi accumbam?* SA. *Ubi voles?* STE. *Volo cum ambobus: nam amo ambos.* ST. *Perit res familiaris: actum est; libertas longe abest à me.* STE. *Date mihi locum in quo decumbam, obsecro! si vobis grata sum: nam cupio deliciari cum utroque.* ST. *Dispereo!* SA. *Quid ais?* ST. *Quid, ego?* SA. *Ita me Dii ament, non veniet, ut hæc non saltet hodie. Age mea mulsa! suavitas! salta: ego saltabo tecum.* ST. *Per eadem Pollucis nunquam assequeris, quin ego pruriam.* STE. *Si mihi est saltandum, fundite tibicini, ut bibat.*

ANNOTATIONES.

4. *Infecta.*] Id est. *non ficta.* Unde Lamb. legit. *Inficta,* id est, *imperfecta.*

9. *Utrubi.*] In quâcumque volueris parte.

10. *Vapulat peculium.*] Id est, *minuitur & dissipatur* in his deliciis.

Fugit hoc libertas caput.] Id est, nunquam manumittemur, quandiu in hoc genere vitæ degemus.

ST. Et quidem nobis. *SA.* tene tibicen primum, postidea loci
Si hoc eduxeris, proinde ut consuetus antehac, celeriter
Lepidam & suavem cantationem aliquam occipito cinædicam,
Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis. inde huc aquam.

INTERPRETATIO.

ST. *Et quidem nobis* fundite. SA. *Accipe, tibicen, primo loco; & postquam siccaveris hoc poculum, ut solitus es antea, incipe celeriter aliquam jucundam & suavem cantilenam, protervam, quâ excites nobis pruritum ab imis unguibus. Asperge huc aquam.*

ANNOTATIONES.

19. *Cantationem cinædicam.*] Alii *cantionem. Cantio cinædica*, est proterva & ad concitandam libidinem composita verbis, modisque cantio. Qui fuerint Cynici Philosophi, & unde dicti nemo nescit.

20. *Perpruriscamus usque ex unguiculis.* Id est, *incendamur libidine.* Non *cinici* servi, sed ipsius *canis* impudentiâ digna oratio.

ACTUS QUINTUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

FACIUNT Stichus, Sagarinus & Stephanium, in Scenâ, si non quidquid suadet amor & ebrietas, saltem quidquid spectatores mediocriter impudentes minimè ferant. Non bene video quare Scena hæc & septima distinguantur à superiore; sed nihil immuto.

EIDEM.

SAGARINVS.

TEne tu hoc, educe: dudum haud placuit potio:
Nunc minùs gravatè jam accipit, tene tu. interim
Meus oculus! da mihi suavium, dum illic bibit.
Prostibili est autem stantem stanti savium
Dare amicum amicæ. euge euge! si furi datur.
Quid igitur? quanquam gravatus, non nocuit tamen.

INTERPRETATIO.

SA. *Accipe tu, sicca hoc* poculum: *amox bibere recusasti: potat nunc minus ægrè, accipe tu. Interea mea Stephanium, da mihi osculum, intereadum ille bibit. Est meretricis stantem amicum osculari. Euge! Sic datur furtim! quid ergo? Quanquam bibisti ægrè, tamen non nocuit.*

ANNOTATIONES.

1. *Haud placuit potio.*] Versu 34. Scenæ 4. tibicen recusavit bibere: id illi exprobrat hoc loco Sagarinus.

4. *Prostibili.*] *Stabulum* fermè appellabatur *statio* in quâ commorarentur, aut sese prostituerent meretrices, quarum, quæ adeò pudorem omnem ejurassent, ut sese publicæ libidini offerrent, stabant vulgò ante ostium *stabulorum.* Unde *prostibula* sum appellatæ.

5. *Sic furi datur.*] Osculum, quasi ab invitâ Stephanio, inter saltandum, extortum notat Sagarinus.

Age, jam infla buccas. *ST.* nunc jam aliquid ſuaviter!
Redde cantionem veteri pro vino novam.

INTERPRETATIO.

Age, infla nunc tibias. ST. *Nunc aliquid ſuaviter! funde cantilenam novam, pro veteri vino.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

ADEST finis compotationis & libidinis ſervilis.

EIDEM.

SAGARINVS.

QUI Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere poſſiet?
Si iſtoc me vorſu viceris, alio me provocato:
Fac tu hoc modo. *ST.* at tu hoc modo. *SA.* babæ! *ST.* tatæ!
SA. papæ! *ST.* pax.
SA. Nunc pariter ambo. omnes voco cinædos contra.
Satis eſſe nobis non magis potis eſt, quam fungo imber.
Intrò hinc abeamus. nunc jam ſaltatum ſatis pro vino'ſt.
Vos ſpectatores, plaudite! atque ite ad vos com iſſaum.

INTERPRETATIO.

SA. *Quis eſt ſaltator Ionicus aut cinædicus, qui ſic ſaltet? Si me ſuperaveris hac converſione in orbem, provoca me aliâ: ſalta hoc modo.* ST. *At tu hoc modo.* SA. *Babæ!* ST. *Tatæ!* SA. *Papæ!* ST. *Pax.* SA. *Nunc ſaltemus ambo pari ſaltu. Provoco omnes cinædos. Non nobis magis pares erunt, quàm ullus imber eſt par fungo. Ingrediamur. Eſt jam ſatis ſaltatum pro vini* copiâ. *Vos ſpectatores plaudite! Et ite ad vos comeſſatum.*

ANNOTATIONES.

1. *Qui Ionicus.*] Erat modus Ionicus ad emolliendos animos, incitandoſque ad libidinem factus.

2. *Vorſu.*] *Vorſus*, ſeu *verſus* eſt *orbis ſaltatorius*. Cicero: *Cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem.*

5. *Fungo imber.*] Nunquam fungus ſatis habere poteſt imbris, utpotè qui ex imbre eneſcatur, ex imbre nutriatur, ex imbre conſtet. Ejuſmodi eſt comparatio: quemadmodum eſt nullus imber qui ſit par fungo; ſic nullus cinædus eſſe poteſt par Sagarino. Satis animadvertit Lector, quid meâ comparatione deſideretur.

FINIS STICHI.

M. ACCII PLAUTI

TRINUMMUS.

ARGUMENTUM.

CHARMIDES mercator Athenienſis, Leſbonici pater, & filiæ unius anonymæ, profectionem adornat ad mercatum. Itaque omnem familiam, familiaremque rem commendat amico ſuo ſummo & familiari Callicli, ut etiam indicet ei theſaurum, quem habebat in ædibus ſuis defoſſum, ut, ſi quid in itinere abſenti accideret humanitus, hæreditas ad ſuos illa perveniret. Proficiſcitur in Seleuciam ad mercatum. Eo diutius abſente, filius in omne voluptatum genus, quidquid erat rei, profundit. Solæ ædes patriæ ſuperſunt. Venales inſcribit. Callicles, ne theſaurus, quem ſolus in ædibus eſſe defoſſum ſciebat, cum ædibus veniret in poteſtatem aliorum, emit ædes ipſas, eo conſilio, ut reddat Charmidi, quando reverſus fuerit. Alii Charmidis amici, qui ſciebant Calliclis fidei Charmidem omnia ſua credidiſſe, culpant Calliclem, quòd emat ædes abſentis amici. Inter alios Megaronides eum liberè & coràm reprehendit: ſe purgat apud Megaronidem Callicles, eique, ſui deffendendi neceſſitate, aurum eſſe in ædibus dicit; id ut ſervaret emiſſe ſe ædes profitetur. Philto vicinus Charmidis, dives imprimis, habet filium Lyſitelem, amicum Leſbonici. Hic petit in matrimonium filiam Charmidis ſororem Leſbonici, eo conſilio, ut adjuvare poſſit Leſbonicum amicum in eâ inopiâ, in quam lapſus eſt, non vitio, ſed comitate quæ culpa eſt hominum bene natorum. Petit à Leſbonico ſororem, in matrimonium. Leſbonicus putat ſe à Philtone irrideri: ſed tandem adductus Leſbonicus, ut credat peti ſororem ſeriò, rem eſſe, & cum Callicle amico patris & tutore ſororis, & cum ipſa ſorore communicandam reſpondet. Callicles convenit de eâ re Magaronidem amicum & ſuum & Charmidis; deliberant ſimul quid agendum: demum ſtatuunt dare virgini dotem, aureos Philippos mille, idque de theſauro; ſed provident ne Leſbonicus, aut reſciſcat unde ſumpta ſit hæc pecunia, aut inquirendi

locum habeat. Itaque dolum bonum comminiſcuntur; nimirum allegandum hominem, qui peregrino habitu, ignotâ facie, oratione ad fallendum compoſitâ, duas litteras afferat, unam ad Leſbonicum, alteram ad Calliclem, quaſi ab Seleuciâ ſcriptas: in quarum alterâ mittat ad Calliclem mille nummos Philippeos ad collocandam filiam ſuam. Homo eo habitu, atque adeò eâ mente, ad ædes Charmidis abſentis viam dirigit. Sed ecce advenit ex improviſo ipſe Charmides, ignotus Trinummo. It obviam Trinummus. Inſtituit ſermonem cum eo, & ipſi narrat ſe duas habere epiſtolas à Charmide & nummos mille; alteram deferendam ad Leſbonicum filium Charmidis, alteram reddendam Callicli, cum nummis mille. Charmides dicit ſe eſſe Charmidem. Trinummus irridet hominem & relinquit. Incidit deinde Charmides in Staſimum ſervum Leſbonici, à quo petit, ut res ſe habeant domi. Docet calamitatem fortunarum Leſbonici, cui ne domus quidem ſit jam, & Calliclem amicum emiſſe domum. Charmides dolet quidem vicem filii, ſed imprimis quod ipſe Callicles tabulas naufragii fortunarum ejus rapuerit. Sed mox quum Charmides lamentatur caſum fortunarum ſuarum, Callicles, qui effodiebat aurum ad dotem filiæ Charmidis, excitatus ejus voce prodit, pulvere etiamnum conſperſus totus. Res ordine exponit. Fidem amici ſingularem agnoſcit Charmides. Rata facit omnia, quæ juſſerat. Inſtaurantur fortunæ Leſbonici. Collocatur Lyſiteli filia Charmidis. Et Scena tota lætitiâ circumfluit. Hæc Fabula dicitur *Trinummus*, quia nihil in eâ eſt, tam feſtivum, quàm Sycophanta, cui id nominis imponitur, fruſtrationes ejus, ſycophantiæ, errores. Dicitur *Trinummus*, quia, pactâ mercede trium nummorum, homo ſuſceperat provinciam ſycophantiæ obeundæ, à quâ pendebat inſtauratio fortunarum Charmidis. Hæc Fabula conſtat Prologo, Fabulâ & Epilogo. Prothaſis patet ab initio ad Scenam ſecundam Actus ſecundi; Epithaſis à Scenâ ſecundâ Actus ſecundi ad Scenam quartam Actus quarti; ſolutio ab Actus quarti Scenâ quartâ ad finem. In eâ videre licet exemplum boni, ac fidi amici.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

CHARMIDES mercator Athenienſis.

LESBONICUS filius Charmidis.

STASIMUS ſervus Leſbonici.

CALLICLES Athenienſis, amicus Charmidis & Leſbonici.

MEGARONIDES amicus Calliclis & Charmidis.

PHILTO ſenex.

LYSITELES filius Philtonis.

SYCOPHANTA.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

THESAURUM abstrusum abiens peregre Charmides,
RIN emque omnem amico Callicli mandat suo.
ſtoc absente, malè rem perdit filius.
Nam & ædis vendit: has mercatur Callicles.
5 Virgo indotata soror istius poscitur:
AMMUS inus quò cum invidiâ ei det dotem Callicles,
andat qui dicat aurum ferre se à patre.
t venit ad ædis, hunc deludit Charmides
enex, ut rediit; cujus nubunt liberi.

INTERPRETATIO.

CHarmides, jamjam profecturus longè, commendat thesaurum absconditum, & fortunas omnes amico suo Callicli. Filius, eo absente fortunas miserè dilapidat. Domum etiam vendit: Callicles illam emit. Virgo, soror Lesbonici poscitur in matrimonium *sine dote: Callicles, ut citra invidiam* fratris *tribuat dotem virgini, allegat* Sycophantam, *qui profiteatur se afferre pecuniam à patre virginis. Quando* Sycophanta *accedit ad ædes* Callicles, *reversus Charmides hominem deludit; hujus conjugantur liberi.*

ANNOTATIONES.

3. *Filius.*] Lesbonicus Charmidis filius.

5. *Virgo.*] Soror Lesbonici anonyma.

6. *Cum invidia.*] Videlicet non audebat quidquam dare sorori in dotem, quin filio invidiæ locum daret Lesbonico.

9. *Nubunt liberi.*] Lesbonicus & Lesbonici soror.

PROLOGUS.

ARGVMENTVM.

LUXURIA & Luxuriæ filia, Inopia, non tam Prologum faciunt, quàm à senibus duobus mox esse faciendum pronunciant. Quo Philemo fabulam, quo Plautus nomine appellarit, notant.

LUXURIA & INOPIA.

SEQUERE me, mea gnata, ut munus fungaris tuum.
SIN. Sequor. sed finem fore quem dicam, neſcio.
LU. Adeſt. hem! illæ ſunt ædes: i intrò nunc jam!
Nunc, ne quis erret voſtrûm, paucis in viam
Deducam, ſiquidem operam dare promittitis.
Nunc igitur primum, quæ ego ſim, & quæ illa hæc ſiet,
Huc quæ abiit intrò, dicam, ſi animum advortitis.
Primùm mihi PLAUTUS nomen LUXURIÆ indidit:
Tum hanc mihi gnatam gnatam eſſe voluit INOPIAM.
Sed ea huc quid introierit impulſu meo,
Accipite, & date vacivas auris, dum eloquor.
Adoleſcens quidam eſt, qui in hiſce habitat ædibus:
Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, qui me aleret, nihil video eſſe reliqui,
Dedi meam gnatam, quîcum ætatem exigat.
Sed de argumento ne exſpectetis Fabulæ.
Senes qui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen Græcè eſt THESAURO Fabulæ:
Philemo ſcripſit, Plautus vertit barbarè:

INTERPRETATIO.

LU. *Sequere me, mea filia, ut obeas tuum officium.* IN. *Sequor. Quousque tandem te ſequar.* LU. *Adeſt. Hem! Adeſt illa domus: ingredere! nunc deducam vos in itinere, paucis* verbis, *ne quis veſtrum aberret, dum modo pollicemini prabere attentionem. Primùm aperiam, qua ego ſim, & qua ſit illa, qua eſt ingreſſa in ades, ſi attente audiatis. Primùm Plautus me vocavit Luxuriam: deinde ei placuit meam filiam eſſe Inopiam. Sed audite, quare illa ingreſſa eſt illuc meo hortatu, & prabete aures vacuas, dum verba facio. Eſt quidam juvenis, qui manet in hiſce tectis: is amiſit opes paternas meo auxilio. Quia animadverto ei nihil ſupereſſe, quo me nutriat, dedi meam filiam, cum qua traducat vitam. Verùm ne expectetis argumentum hujus Comœdia. Hi ſenes, qui prodibunt huc, vobis explicabunt rem. Nomen hujus Comœdia eſt Theſaurus: Philemo eam ſcripſit Græcè, Plautus eam vertit Latinè:*

ANNOTATIONES.

1. *Sequere me, mea gnata.*] Luxuria alloquitur filiam ſuam, ac pediſſequam inopiam. Non eſt opus multis verbis, ut oſtendatur quàm ſapienter à Poëta inopia dicatur & filia & pediſſequa Luxuriæ. Claud. in Rufinum:

Et Luxus populator opum: cui ſemper adhærens
Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.

S. Paulinus Epiſtolâ ad Amandum: *Pediſſequam pigrorum* dixit *eſſe Inopiam.*

2. *Sed finem fore quem dicam.*] Appoſita Inopiæ reſponſio; videlicet aſſidua eſt, & perpetua Luxuriæ pediſſequa.

19. *Philemo.*] Menander & Philemo apud Græcos ejuſdem Argumenti ſcripſerunt Comœdiam, & *Theſaurum* inſcripſerunt. Hanc Plautus vertit Latinè, inſcripſitque *Trinummum*; quia trium nummorum mercede ſycophantia ſuſcepta eſt.

Barbarè.] Id eſt, *Latinè. Barbaria* ponitur pro *Italia*: nam *Barbari* dice-

Nomen TRINUMMO fecit. nunc hoc vos rogat
Ut liceat possidere hanc nomen Fabulam.
Tantum est. valete, adeste cum silentio.

INTERPRETATIO.

eam vocavit trinummum. Nunc vos Plautus *orat, ut liceat huic Comœdiæ obtinere hoc nomen. Habeo tantùm* hoc dicendum, *Valete: audite cum silentio.*

ANNOTATIO.

bantur à Græcis antiquitùs omnes gentes, exceptis Græcis. Idem frequentatum est deinceps à Romanis. Nos non barbaros dicimus, nisi alienos à Religione Christianâ. Cæteros non barbaros, sed urbaniori nomine exteros vocamus: *Etrangers.*

ACTUS PRIMUS.

ARGVMENTVM.

CALLICLES absentis amici Charmidæ domum, quam emerat à Lesbonico filio, immigrans etiam atque etiam commendat uxori, ut domesticum Deum Larem, qui custos ædium habebatur, debito cultu afficiat. Megaronides, ignarus quâ mente id faciat Callicles, hominem quasi cupiditatis arguit & fluxæ pro Charmide fidei. Callicles sese abunde purgat apud Megaronidem, communicato cum eo consilio, quo adductus fecerit; nimirum, ne, & ædes amici Charmidis, & thesaurus in iis defossus, ad alios perveniret.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

MEGARONIDES testatur quàm ægrè ferat Calliclem emisse Ædes Charmidis à Lesbonico Charmidis filio; ignarus quo consilio Callicles id fecerit. Hac fermè Scenâ totâ est commendatio fidi & constantis amici ab oppositis.

MEGARONIDES senex.

NÆ AMICUM CASTIGARE ob meritam noxiam,
Immune est facinus ; verùm in ætate utile
Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commeritâ noxiâ,
Invitus, nî me id invitet ut faciam fides.
Nam hic nimium morbus mores invasit bonos,
Ita plerique omnis jam sunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali
Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè.
„NEQUE QUICQUAM hîc vile nunc est, nisi mores mali.
„Eorum licet jam messem metere maximam,
„NIMIOQUE hîc pluris pauciorum gratiam
„Faciunt pars hominum, quàm id, quod prosit pluribus.
„Ita vincunt illud conducibile gratiæ ;
„Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt,
„Remoramque faciunt rei privatæ & publicæ.

INTERPRETATIO.

PRofectò est grave castigare amicum quando meretur ; attamen est salutare & fructuosum in vitâ. Ego arguam hodie meum amicum propter culpam quam admisit : facerem invitus, nisi fides me adduceret, ut id facerem. Etenim hæc tabes infecit mores nimium bonos ; & sic universi hoc morbo sunt fermè extincti. Interea dum illi laborant, improbi mores copiosè inoleverunt, veluti herba irrigata. Nihil negligitur hîc, nisi pravi mores. Potest eorum colligi nunc uberrima messis, & magna pars hominum facit multo plurus amicitiam nonnullorum, quàm id, quod pertinet ad plures : adeò gratia concedit utilitas publica. Gratia, inquam, quæ obest compluribus rebus, & est invisa, & impedimento rebus publicis & privatis.

ANNOTATIONES.

1. *Immune.*] *Immune* est factum minimè amicum. *Munes* olim, *amici* ; *immunes*, *inimici*. Sanè si judicio ejus qui peccavit, & qui non vult argui, rem metiamur, reprehensio est non *amici*, sed *inimici*.

2. *In ætate.*] Id est, *in vita.*

7. *Plerique sunt intermortui.*] Superiori versu de morbo *morum* : hoc de graviori morbo hominum, & eo cui mors imminere jamjam videatur.

8. *Ægrotant.*] Id est, *homines.*

11. *Messem metere.*] Id est, *sunt plures.*

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

SE purgat Callicles apud Megaronidem, ostenditque se id, officio, non cupiditate impulsum, fecisse ; ut nimirum ædes & thesaurus

in ædibus defossus, ad alios minimè perveniret, & Charmidi è Seleuciâ reverso, & ædes & thesaurum restitueret.

CALLICLES, MEGARONIDES senes duo.

CALLICLES.

LAREM coronâ nostrum decorari volo.
Uxor! venerare; ut nobis hæc habitatio
Bona, fausta, felix, fortunatáque eveniat,
Teque ut quàm primum possim, videam emortuam.
ME. Hic ille est, senectâ ætate qui factus est puer,
Qui admisit in se culpam castigabilem.
Aggrediar hominem. *CA.* cuja vox propè me sonat?
ME. Tui benevolentis, si ita es, ut ego volo:
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
CA. O amice, salve, atque æqualis! ut vales
Megaronides? *ME.* & tu edepol salve, Callicles!
Valen'? valuistin'? *CA.* valeo, & valui rectius.
ME. Quid agit tua uxor? ut valet? *CA.* plusquàm ego volo.
ME. Bene hercle est, illam tibi benè valere & vivere.
CA. Credo hercle te gaudere, si quid mihi mali est.
ME. Omnibus amicis quod mihi est, cupio esse idem.
CA. Ehò, tua uxor quid agit? *ME.* immortalis est.
Vivit, victuraque est. *CA.* bene hercle nuncias,
Deosque oro, ut vitæ tuæ superstes suppetat.

INTERPRETATIO.

CA. *Volo nostros penates ornari coronâ. Uxor! cole eos: ut hæc commoratio nobis sit bona, auspicata, beata, & opportuna, & ut te conspiciam mortuam quàm primùm.* ME. *Hic est ille, qui evasit puer ætate devexâ, qui perpetravit scelus subjiciendum pœnæ. Adoriar hominem.* CA. *Qua vox sonat juxta me?* ME. *Tui amici. Si es sicut ego exopto: si es aliter,* vox est *hostis, & tibi infensi.* CA. *O amice, atque æqualis, salve! quomodo vales, Megaronides?* ME. *Et tu certe, Callicles, salve! Valesne? Valuistine?* CA. *Valeo, & rectius valui.* ME. *Quid facit tua conjux? quomodo valet?* CA. *Melius quàm ego opto.* ME. *Profectò es beatus, quòd rectè valeat & vivat.* CA. *Profectò credo te lætari si mihi accidat aliquid adversi.* ME. *Exopto esse cunctis amicis idem, quod mihi est.* CA. *Ehò, quid facit tua uxor?* ME. *Est immortalis. Vivit, & vivet.* CA. *Profectò nuncias jucunda, & precor Deos, ut tibi sit superstes.*

ANNOTATIONES.

3. *Bona, fausta.*] Præfatio ominis causa, *quod bonum, faustum, fœlix, fortunatumque sit.*

5. *Senecta ætate.*] Senectum corpus. Senecta membra. Senectam infirmitatem, Plautus, Lucretius, Salustius, Apuleius dixerunt.

11. *Et tu edepol salve!*] Donatus in Terent. *Olim salutantes jusjurandum addiderunt, ut sedulò feciisse viderentur.*

ME. Dum quidem hercle tecum nupta sit, sanè velim.
CA. Vin' commutemus? tuam ego ducam, & tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
ME. Neque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepseris.
CA. Næ tu hercle faxo haud scies quam rem egeris.
ME. Habeas, ut nactus: NOTA MALA res, optuma'st.
Nam ego nunc si ignotam capiam, quid agam, nesciam.
CA. Edepol, PROINDE ut BENE vivitur, diu vivitur.
ME. Sed hoc animum advorte, atque aufer ridicularia:
Nam ego deditâ operâ huc ad te advenio. *CA.* quid venis?
ME. Malis te ut verbis multis multum objurgitem.
CA. Men'? *ME.* num quis est hîc alius præter me atque te?
CA. Nemo est. *ME.* Quid igitur rogitas, téne objurgitem?
Nisi túte mihi me censes dicturum malè.
Nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus;
Aut si demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos servas, aut captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Ut te videre audiréque ægroti sient.

INTERPRETATIO.

ME. *Dum modò esset conjugata tecum, optarim.* CA. *Visne ut commutemus? Ego ducam tuam, & tu meam? Efficiam ut non mihi verba dederis ullomodo.* ME. *Neque enim, credo, tu mihi imposueris imprudenti.* CA. *Profectò efficiam, ut tu haud scias rem quam perfeceris.* ME. *Retine eam ut accepisti: mala res cognita, est optima. Nam si ego ducam jam incognitam, ignorabo quid moliar.* CA. *Profectò, quo melius vivitur, vivitur diutius.* ME. *Sed adhibe mentem ad hoc, & aufer jocularia: nam ego accedo huc ad te de industriâ.* CA. *Quare venis?* ME. *Ut te increpem plurimùm, pluribus verbis.* CA. *Mene?* ME. *Estne hic aliquis alius præter te & me?* CA. *Est nemo.* ME. *Quare igitur rogas, utrum te increpem? Nisi tu existimas me mihi ipsi maledicturum. Nam si tua antiqua techna laborant in te, sive optes mutare mentem moribus, aut si mores mutant tuam mentem, neque tueris veteres, sed assumis novos, tu conflabis gravem ægritudinem omnibus amicis, ita ut evadant ægroti, si te aut videant, aut audiant.*

ANNOTATIONES.

21. *Nota mala res optima est,*] Apud Livium:
Mulier tum demum est bona, cùm apertè est mala.

27. *Proinde ut bene vivitur.*] Varro: *Non eos optimè vixisse dixit, qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimè.* Seneca cap. 8. de brevitate vitæ. *Non est quod quemquam propter canos, aut rugas putes diu vixisse: non ille diu vixit, sed diu fuit.*

34. *Si in te ægrotant artes.*] Lucretius lib. 4. *Ægrotat fama vacillans.* Donatus: *Antiqui artes, & virtutes, & vitia vocarunt.* Certè etiamnum artes, sine addito, fermè accipiuntur, & pro bonis, & pro malis artibus.

36. *Mores.*] Id est, contagio morum sæculi hujus. Seneca: *Desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia mores sunt.* Tacitus de Moribus Germanorum: *Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi sæculum vocatur.*

CA. Quî in mentem venit tibi istæc dicta dicere?
„ *ME.* Quia OMNES BONOS BONASQUE accurare addecet,
„ Suspicionem & culpam ut ab se segregent.
CA. Non potest utrumque fieri. *ME.* quapropter? *CA.* rogas?
„ NE ADMITTAM culpam, ego meo sum promus pectori:
„ SUSPICIO EST in pectore alieno sita.
Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite, è Capitolio,
Quod in culmine astat summo: si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier,
Quî tu id prohibere me potes, ne suspicer?
Sed istuc negotii scire cupio, quicquid est.
ME. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam
Cui pectus sapiat? *CA.* edepol haud dicam dolo;
Sunt, quos scio esse amicos: sunt, quos suspicor:
Sunt, quorum ingenia atque animos non possum noscere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.
Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus.
Si quid scis me fecisse inscitè aut improbè,
Si id me non accusas, tute ipse objurgandus es. *ME.* scio!
Et, si aliâ huc caussâ ad te adveni, æquum postulas.

INTERPRETATIO.

CA. *Quomodo tibi incidit in animum proferre ista verba?* ME. *Quia decet omnes bonos & bonas providere, ut arceant ab sese culpam & suspicionem.* CA. *Non potest fieri utrumque.* ME. *Quamobrem?* CA. *Postulas? Ego sum dominus animi, ne admittam peccatum: suspicio est posita in animo alieno. Nam si ego suspicer nunc te suffuratum esse coronam de capite Jovis, qui stat in summo culmine Capitolii: si non commiseris, attamen mihi placeat suspicari id, quomodo vales tu me impedire, ne suspicer id? Sed opto scire, quæ sit hæc res.* ME. *Estne tibi aliquis amicus, aut familiaris, qui sapiat?* CA. *Profectò non dicam citra dolum: sunt, quos novi esse amicos: sunt, quos suspicor: sunt, quorum nequeo penetrare ingenia, atque animos utrum stent à partibus amicorum, an inimicorum. Sed tu mihi es certissimus omnium amicorum certorum. Si me non insimulas hujus rei, tu ipse es reprehendendus à te ipso.* ME. *Intelligo! & rogas æquum, si adveni huc ad te alio consilio.*

ANNOTATIONES.

41. *Accurare.*] Id est, *accurrate operam dare.* Ausonius:

— *Nec vero crimine ladar,*
Nec maculer dubio: paulùm differre videntur
Suspectus veréque reus.

44. *Meo sum promus pectori.*] Erasmus in Epistolis: *Innocentiam præstare possum: quid homines de me loquantur, non possum.* Justus Lipsius in Epistolis: *Mihi sententia de me, non nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Interno isto judice si probus audiam; quid addent aut dement mihi Marculi aut Laconis alicujus sermones? Quis sim, in me scitum est: qualis audiam, in vano isto vulgo.*

47. *Jovi coronam.*] Perilius Jovi Capitolino surripuisse coronam dicitur; unde *Capitolinus* dictus est.

CA. Exſpecto ſi quid dicas. *ME.* primùm dum omnium,
Malè dictitatur tibi vulgò in ſermonibus:
Turpilucricupidum te vocant cives tui.
Tum autem ſunt alii, qui te vulturium vocant:
Hoſtesne an cives comedis, parvipendere.
Hæc cùm audio in te dicier, excrucior miſer.
CA. Eſt, atque non eſt, mihi in manu, Megaronides.
Quin dicant, non eſt: merito ut ne dicat, id eſt.
ME. Fuitne hic tibi amicus Charmides? *CA.* eſt, & fuit.
Id ita eſſe ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam poſtquam hic ejus rem confregit filius,
Videtque ipſe ad paupertatem protractum eſſe ſe,
Suamque filiam eſſe adultam virginem,
Simul ejus matrem, ſuámque uxorem mortuam;
Quoniam hinc iturus eſt ipſe in Seleuciam,
Mihi commendavit virginem gnatam ſuam,
Et rem ſuam omnem, & illum corruptum filium.
Hæc ſi mihi inimicus eſſet, credo, haud crederet.
ME. Quid tu adoleſcentem, quem eſſe corruptum vides,
Qui tuæ mandatus eſt fidei & fiduciæ,
Quin eum reſtituis? quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,

INTERPRETATIO.

CA. *Auſculto ſi dicas quiddam.* ME. *Ante omnia vulgus tibi maledicit in confabulationibus: tui cives te nuncupant turpis quæſtus amantem: ſunt alii qui te appellant vulturium:* dicuntque *te non curare vores hoſtem an civem. Quando audio dici hæc in te, angor infelix.* CA. *Hæc res eſt in meâ poteſtate, & non eſt, Megaronides. Quominus dicant, non eſt* in manu: *ut non dicant meritò, eſt* in manu. ME. *Hic Charmides fuitne tuus amicus?* CA. *Eſt, & fuit. Tibi proferam rem ipſam, quaſi teſtem, ut credas, hoc eſſe ſic. Etenim ex quo hic ejus filius labefactavit rem familiarem, & animadvertit ſe eſſe delapſum in egeſtatem, & ſuam natam eſſe virginem ætate provectam, & unà ejus matrem eſſe defunctam, & ſuam uxorem; quia ipſe eſt migraturus hinc in Seleuciam, mihi commendat ſuam filiam virginem, & ſua bona, illum natum vitioſum. Si eſſet inimicus, puto, haud committeret illa.* ME. *Quare tu non reſtituis adoleſcentem, qui eſt commiſſus tuæ fidei & fiduciæ, quem cernis eſſe flagitioſum? Quare non revocas ad meliorem frugem? Fuiſſet multò juſtius, te incumbere ei rei.*

ANNOTATIONES.

63. *Turpe-lucri-cupidum.*] Vox ex tribus conflata, αἰσχροκερδῆ. Apuleius *Lucricupidinem* appellat, quod Græci φιλοκερδείαν.

64. *Vulturium.*] *Vultur*, ſeu *Vulturius*, avis eſt rapax. Conjectum in avaros rapaces & fures. Cic. in Piſonem: *Appellatus eſt hic Vulturius illius provinciæ, ſi Diis placet, imperator.* Ibidem: *Scaurus vulturius Reipub.*

65. *Hoſtesne an cives?*] Varroni: *hoſtes* ſunt *peregrini.*

70. *Rem tibi authorem dabo.*] Id eſt, *reipſa oſtendero.* Manilius lib. 2.
Ipſi res operi faciet pondusque fidemque.

Si quî probiorem facere poſſis, non uti
In eandem túte accederes infamiam,
Malumque ut ejus cum tuo miſceres malo.
CA. Quid feci? *ME.* quod homo nequam. *CA.* non iſtuc meum eſt.
ME. Emiſtin' de adoleſcente has ædes? quid taces?
Ubi nunc túte habitas. *CA.* emi, atque argentum dedi
Minas quadraginta adoleſcenti ipſi in manum.
ME. Dediſti argentum? *CA.* factum: neque facti piget.
ME. Edepol fidei adoleſcentem mandatum malæ.
Dediſtíne hoc pacto ei gladium, quî ſe occideret?
Quid ſecus eſt, aut quid intereſt dare te in manus
Argentum amanti homini adoleſcenti, animi impoti,
Quî exædificaret ſuam inchoatam ignaviam?
CA. Non ego illi argentum redderem? *ME.* non redderes:
Neque de illo quicquam neque emeres, neque venderes,
Nec, quî deterior eſſet, faceres copiam.
Inconciliaſtin' eum qui mandatu'ſt tibi?
Ille qui mandavit, eum exturbaſti ex ædibus?
Edepol mandatum pulcrè, & curatum probè.
Crede huic tutè: ſuam jam melius rem geſſerit.
CA. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeò, ut quod meæ concreditum eſt
Taciturnitati clàm, fidei & fiduciæ,
Ne enunciarem cuiquam, neu facerem palàm;
Uti mihi neceſſe ſit jam id tibi concredere.
ME. Mihi quod credideris, ſumes, ubi poſiveris.

INTERPRETATIO.

ſi quâ ratione eum poſſes efficere meliorem, non ut tu incurreres in eandem contumeliam, & ut miſceres ejus vitia, cum tuis vitiis. CA. *Quid egi?* ME. *Id quod homo perverſus.* CA. *Iſtud non ad me ſpectat.* ME. *Esne mercatus hanc domum ab juvene? Quare ſiles? Ubi manes nunc?* CA. *Emi & numeravi quadraginta minas ipſi juveni in manum.* ME. *Numeraſti pecuniam?* CA. *Eſt factum: neque piget facti.* ME. *Sane juvenem commiſſum pravæ fidei. Eine contuliſti enſem, quo ſe interimeret eâ ratione? Quid eſt aliud, aut quo differs, qui ſuppediſtati juveni amanti & amenti pecuniam, ut afferret extremam manum ſuæ ſocordiæ priſtinæ?* CA. *Ego non illi reſtituerem pecuniam?* ME. *Non reſtitueres: neque venderes, emeres, neque quidquam ab illo, neque dares, quo eſſet pejor. Abalienaſtine ab officio eum qui tibi demandatus eſt? Ejeciſti ex ædibus eum qui tibi eum credidit? Profectò commiſſum eſt commodè, & benè eruditum. Committe tu huic: adminiſtrarit nunc melius ſua bona.* ME. *Me cogis tuis convitiis, Megaronides, novâ ratione, ut mihi ſit neceſſe nunc tibi committere id, quod eſt concreditum clàm meo ſilentio fidei & fiduciæ, ne aperirem cuiquam, & ne patefacerem.* ME. *Invenies id, quod mihi commiſeris, ubi depoſueris.*

ANNOTATIO.

99. *Inconciliaſtin' eum.*] Id eſt, *nonne per dolum decepiſti.* Feſtus.

CA. Circum-

CA. Circumspice dum te, ne quis assit arbiter
Nobis: & quæso identidem circumspice.
ME. Ausculto, si quid dicas. *CA.* si taceas, loquar,
Quoniam hinc est profectus peregrè Charmides,
Thesaurum mihi demonstravit in hisce ædibus,
Hîc in conclavi quodam. sed circumspice!
ME. Nemo est. *CA.* nummorum Philippeûm ad tria millia.
Id solus solum, per amicitiam & per fidem,
Flens me obsecravit, suo ne gnato crederem,
Néve cuiquam, unde ad eum id posset permanascere.
Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi.
Si quid eo fuerit, certo illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo dotem unde dem,
Ut eam in se dignam conditionem collocem.
ME. Prò dî immortales! verbis paucis quàm citò
Alium fecisti me! alius ad te veneram.
Sed ut occepisti, perge porrò proloqui.
CA. Quid tibi ego dicam? quî illius sapientiam
Et meam fidelitatem, & celata omnia
Pæne ille ignavus funditùs pessum dedit!
ME. Quî dum? *CA.* quia rure dum sum ego unos sex dies.
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Ædes venales hasce inscribit literis.

INTERPRETATIO.

CA. *Circumspice, ne quis sit testis, qui nobis adsit: & rogo circumspice identidem.* ME. *Auscultо, si dicas aliquid.* CA. *Loquar, si sileas: quoniam Charmides est profectus hinc longè, mihi ostendit thesaurum, in hisce tectis: hìc in quodam conclavi. Sed circumspice.* ME. *Est nemo.* CA. *Ad tria millia nummorum Philippeorum. Me rogavit solum solus lachrymans, per amicitiam & per fidem, ne crederem id suo nato, & nulli à quo id posset pervenire ad eum. Si ille reversus sit huc salvus, illi reddam, quod ejus est, salvum. Si quid acciderit humanitùs, habeo unde dem certò dotem ejus filiæ, quæ mihi est commissa, ut eam tradam in matrimonium dignum se.* ME. *Proh dii immortales! quàm citò me rediditi alium paucis verbis! Sed prosequere loqui, ut instituisti.* CA. *Quid tibi dicam ego? quomodo ille ignavus pessumdedit propemodum prorsus illius sapientiam, & meam fidem, & omnia arcana.* ME. *Quomodo?* CA. *Quia dum ego sum rure per sex dies tantum, inscribit litteris, me absente, atque insciente, me inconsulto, has ædes esse venales.*

ANNOTATIONES.

110. *Si quid eo fuerit.*] Cicero: *Si quid humanitus ei acciderit*; id est, *Si mortuus fuerit.* Veteres abstinebant, quantum in se erat, à mortis mentione, tanquam à verbo mali ominis. Idcircò, aut circumlocutione utebantur, aut metonymiâ. Itaque abitionem, pro morte, dicebant: Græci οἰχεσθαι, *Abire vita, Vixit, Abiit, Fuit.*

131. *Inscribit.*] Veteri more venalia prædia proscribebantur, ut etiamnum apud nos tàm venalia, quàm locabilia. Cic. 3. Offic. *Claudius ædes, quas in Cælio monte habebat, proscripsit; insulam vendidit.* Te-

ME. Adeſurivit magis, & inhiavit acriùs
Lupus. obſervavit, dum dormitaret canes,
Gregem univerſum voluit totum avertere.
CA. Feciſſet edepol, ni hæc præſenſiſſet canes.
Sed nunc rogare ego viciſſim te volo,
Quid fuit officium meum me facere, face ſciam.
Utrum indicare me ei theſaurum æquum fuit,
Adverſum quàm ejus me obſecraviſſet pater;
An ego alium dominum paterer fieri hiſce ædibus?
Qui emiſſet, ejus eſſetne ea pecunia?
Emi egomet potius ædis, argentum dedi
Theſauri cauſſâ, ut ſalvum amico traderem.
Neque adeo haſce emi mihi nec uſuræ meæ:
Illi redemi rurſum: à me argentum dedi.
Hæc ſunt! ſeu rectè, ſeu pervorsè facta ſunt;
Egomet feciſſe confiteor, Megaronides.
Hem mea malefacta! hem meam avaritiam tibi!
Haſcine me propter res maledicta differunt?
ME. Pauſa! viciſti caſtigatorem tuum.
Occlûſti linguam: nihil eſt quî reſpondeam.
CA. Nunc ego te quæſo, ut me operâ & conſilio juves,
Communicesque hanc mecum meam provinciam.
ME. Polliceor operam. *CA.* ergo ubi eris paulo pòſt? *ME.* domi.
CA. Nunquid vis? *ME.* cures tuam fidem. *CA.* fit ſedulò
ME. Sed quid ais? *CA.* quid vis? *ME.* ubi nunc adoleſcens habet?

INTERPRETATIO.

ME. *Lupus eſurivit magis, & inhiavit cupidius; obſervavit uſq; eò dum canis dormitaret; voluit abducere gregem totum univerſum.* CA. *Profectò feciſſet niſi canis perſenſiſſet hæc. Sed ego volo nunc à te ciſcitari viciſſim, ut facias, ut intelligam, quid meum fuerit agere; utrum fuerit par me ei detegere theſaurum, contra obſecrationem ejus patris, an ego finerem dari alium dominum hiſce ædibus? Eane pecunia eſſet ejus, qui emiſſet has ædes? Sum potius mercatus egomet ædes; numeravi pecuniam propter theſaurum, ut ſervarem amico ſalvum. Neque ſum mercatus has ædes pro me, nec in meum uſum; redemi iterum illi; numeravi pecuniam è meo ære. Hæc feci, ſeu ſunt facta probè ſeu improbè, fateor me feciſſe, Megaronides. Ecce meum crimen! ecce mea avaritia! Convitiis appetor idcircò?* ME. *Subſiſte, ſuperaſti tuum reprehenſorem. Obſtruxiſti os; eſt nihil quod reponam.* CA. *Ego te rogo jam, ut me adjuves operâ & conſilio, & communices mecum hanc meam provinciam.* ME. *Spondeo auxilium.* CA. *ubi eris igitur modò?* ME. *Domi.* CA. *Nunquid vis aliud?* ME. *Cura quod eſt commiſſum tuæ fidei.* CA. *Curo attentè.* ME. *Quid dicis?* CA. *Quid vis?* ME. *Ubi manet nunc juvenis?*

ANNOTATIONES.

rentius. Heaut. *Inſcripſi illicò ædes mercede.* Cic. ad Atticum: *Iſte locare incipit non proſcriptâ neque editâ die.* Id fiebat pendente ex ædibus tabulâ, ut nunc fit.

241. *Ejus eſſetne ea pecunia?*] Theſaurus in re emptâ inventus cedit emptori,

CA. Posticulum hoc recepit, cùm ædis vendidit.
ME. Istuc volebam scire. i sanè nunc jam.
Sed quid ais? *CA.* quid? *ME.* nunc virgo nempe apud te est.
CA. ita, est:
Juxtáque eam curo cum meâ. *ME.* rectè facis.
CA. Num, priusquàm abeo, me rogaturus? *ME.* vale.
Nihil est profectò stultius neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeò cum illis unà ibidem traho,
Qui illorum verbis falsis acceptor fui:
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove:
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt.
Falsòn' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, sciant.
Omnes mortales hunc aiebant Calliclem
Indignum civitate hâc esse & vivere,
Bonis qui hunc adolescentem evertisset suis.
Ego de eorum verbis famigeratorum insçius
Profilui amicum castigatum innoxium.

INTERPRETATIO.

CA. *Retinuit hanc partem posteriorem, quando vendidit domum.* ME. *Optabam scire id. Profiscere nunc. Sed quid ais?* CA. *Quid?* ME. *Nempe nunc virgo est apud te.* CA. *Ita est, & curo eam juxta atque meam.* ME. *Rectè facis.* CA. *Num vis rogare aliquid, antequàm excedo?* ME. *Vale. Certè est nihil amentius, neque habetius, neque mendacius, neque argutius, neque confidentius, neque perjurius, quàm cives urbani assidui, quos appellant scurras. Atque adeò me insinuo ibidem simul cum illis, qui existiti illorum falsis dictis: qui fingunt se nosse cuncta, nec norunt quidquam. Norunt quod quisque habet in mente, aut habiturus est. Norunt id quod rex dixerit ad aurem reginæ. Norunt quod Juno fabulata est cum Jove: tamen illi sciunt res, quæ neque futuræ, neque gestæ sunt. Non curant utrùm falso an vero laudent, vituperent, quem voluerint: dummodò noscant illud, quod lubeat. Cuncti mortales dicebant hunc Calliclem esse indignum hac civitate & vitâ, qui avocasset hunc adolescentem à suis bonis. Ego imprudens cucurri ad increpandum amicum innoxium, impulsus dictis istorum sparsorum rumoris.*

ANNOTATIONES.

157. *Posticulum hoc recepit.*] Id est, posteriorem domûs partem exceptam fecit. Nonius: *Cum ædes vendidit, particulam quandam, quæ post eas ædes erat, non vendidit, sed retinuit.* Cic. lib. 2. de Oratore: *Dicet, te cum ædes venderes, ne inrutis quidem & cæsis solium tibi paternum recepisse. Recipere* hìc pro *excipere.*

168. *Qui omnia se simulant scire.*] De curiosis dicitur, quo pertinet illud Theocriti:

Πάντα γυναῖκες ἴσασιν, καὶ ὡς Ζεὺς
ἠράσθη Ἥρην.

Mulieres omnia sciunt, etiam quod Jupiter tractat cum Junone.

Quòd si exquiratur usque ab stirpe auctoritas.
Unde quicquid auditum dicant, nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno & malo:
Hoc ita si fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qui sciant quod nesciunt,
Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

INTERPRETATIO.

Quòd si investigentur auctores usque ab initio, unde dicant quidquid auditum nisi id pateat, res cedat in detrimentum, & cladem sparsoris rumorum; si hoc fiat, sic vertat in bonum publicum efficiamus sint pauci qui sciant quod ignorent, & habeant amentiam obstructiorem.

ANNOTATIONES.

182. *Famigeratori.*] Id est, *Rumusculorum authori & sparsori.*

185. *Stultiloquentiam.*] Μωρολογίαν, authores rumorum incertorum, curiosi, & novarum rerum architecti, olim supplicii coërcebantur.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

LYSITELES Philtonis filius locupletissimi petit in matrimonium Charmidis filiam sororem Lesbonici. Lesbonicus putat se à Philtone, & ejus filio Lysitele irrideri propter inopiam. Demum rem, & cum Callicle, & cum sorore esse communicandam respondet.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LYSITELES secum prolixè disputat de amore, & ejus naturâ, quid in eo insit suavitatis, quid molestiæ.

LYSITELES adolescens.

MULTAS res simitu in meo corde verso, multum in cogitando
Dolorem indipiscor: egomet me concoquo, & macero, & defatigo.
Magister mihi exercitor animus hinc est. sed hoc non liquet,
Nec satis cogitatum est, utram potiùs harum mihi artem expetessam.
Utram ætati agundæ arbiter firmiorem: amorin' me, an rei
Obsequi potiùs par siet: utrâ in parte plus voluptatis sit vitæ,
Ad ætatem agundam. de hâc re mihi satis haud liquet. nisi hoc
Sic faciam opinor: utramque rem simul exputem: judex sim,
Reusque ad eam rem. ita faciam! ita placet! omnium primùm
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. NUNQUAM
AMOR QUEMQUAM nisi cupidum hominem postulat se in plagas
Conjicere: eos cupit, eos consectatur, subdolè blanditur: ab re
Consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Elegans, despoliator. latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator. nam qui ab eo, quod amat',
Quàm extemplò saviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes.

INTERPRETATIO.

LYVolvo *in mea mente multas res unâ: magnam ægritudinem in meditando colligo: memet exercito & vexo, & incito. Animus est meus pædagogus à quo exerceor. Id non constat, nec satis est meditatum, utram harum artium magis expetam, utram solidiorem ad agendam ætatem putem; an sit potiùs æquum me obtemperare amori, an rei familiari: in quâ parte vitæ sit plus voluptatis, ad degendam ætatem. Non satis mihi constat de hâc re; nisi putem mihi ita agendum: expendam unâ utrumque: sum judex & reus in hâc re. Sic agam! Sic libet! Imprimis exponam in quo artes amoris utiles sint. Nunquam amor gaudet ullum incurrere in retia, nisi volentem. Eos ambit; eos prosequitur, callidè adulatur: capit consilium è re nata dulciloquus, rapax, mendax, cupidus, avarus, scitus, prædo, vitiator hominum qui colunt latebras, insidiosus, egenus, curiosus secretorum alienorum. Nam bona ejus, qui est vulneratus, ab eo quod amat oscula, tanquam sagittis, dissolvuntur, statim labuntur. Cedo mihi id, mea suavitas, si me diligis, si potes.*

ANNOTATIONES.

3. *Exercitor animus.*] Græcè παιδοτρίβης, *magister, exercitor* dicitur, seu *præceptor*, Græcis etiam *progymnastæ*, erant *pædagogi*.

14. *Elegans.*] Hìc in vitio ponitur. Agellius: *Elegans homo non dicebatur cum laude: sed id ferè verbum ad ætatem Marci Catonis, vitii, non laudis fuit.*

16. *Saviis sagittatis.*] Id est, *oscula instar sagittarum animum percellentia*. Alibi: *Armata oscula* dicuntur, & è contrario, *inermia oscula*.

17 *Labitur.*] Lucretius lib. 4.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt;
Tibullus: *Labuntur opes.* Sallustius: *Dilabitur*, pro diffluit ac dissipatur. Diony-

Ibi ille cucúlus ; Ocelle mi, fiat ! & istuc, & si amplius vis dari,
Dabitur ! ibi illa pendentem ferit : jam amplius orat. non sat
Id est mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comest,
Quod facit sumpti. nox datur ? ducitur familia tota ;
Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii, raptores panis & peni.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. hæc ego cùm ago
Cum meo animo, & recolo, ubi qui eget, quàm pretii sit parvi ;
apage te,
Amor : non places, nihil te utor : quanquam ILLUD EST DULCE, esse
& bibere.
„ AMOR AMARA DAT tibi satis, quod ægrè fit fugit forum, fu-
„ gat tuos
„ Cognatos, fugat ipse se à suo contuitu.
„ Neque enim eum sibi amicum volunt dici. MILLE modis amor
„ ignorandu'st :
„ Procul adhibendus est, atque abstinendus. nam QUI IN AMOREM
„ PRÆCIPITAVIT, pejus perit, quàm si Saxo saliat. apage sis amor !

INTERPRETATIO.

Tum cuculus respondet iis : esto, mi ocule ! & hoc accipies & amplius, si optas dari. Tum illa multat munere pendentem animi : rogat amplius. Id non est satis detrimenti, nisi detur etiam, quod potet, quod comedat, quod insumat : nox amatori *conceditur* ab amicâ ? *Ducitur tota familia ; custodes vestium, unguentarius, custos auri, qua flabellum ferunt, qua sandalia, psaltria, qua cistellatrices, nuntii, renuntii, prædones panis & peni. Ipse amator evadit egenus, quando est liberalis illis. Quando ego agito hæc mecum, & reputo, quàm sit exigui pretii qui inops est ; abi, amor : non places, non utor tuâ consuetudine : quamvis est illud jucundum edere & potare. Amor tibi ministrat satis acerba, quæ sunt molesta, fugit forum, excludit tuos cognatos, ipse fugat suum conspectum. Neque enim patiuntur eum appellari suum amicum. Est ejiciendus animo amor mille de causis : summovendus est procul, atque deprecandus à se. Nam qui corruit in amorem perit crudelius, quàm si desiliat de rupe. Abi, si vis, amor !*

ANNOTATIONES.

sius Cato in Distichis de moribus, ad filium :

Utere quæsitis parcè, quum sumptus abundat.
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

18. *Cuculus.*] Avis dicta à duabus prioribus vocis hujus syllabis, quæ cantum ejus exprimunt. Veteres enim & fermè omnes gentes præter Gallicam nostram Cuculum quidem scribunt ; sed quasi *Couculum* pronunciant. De alieni thori insidiatore dicitur, quoniam avis hæc in alieno nido ova ponit. Alibi dictum,

22. *Vestispica.*] Nonius : *Vestispici, id est, vestium custodes servi : quod frequenti diligentiâ vestes inspiciant.* Dicebantur etiam *à veste, & ad vestem.* Olim *calispex* etiam dicebatur, pro *astronomo.*

Sandaligerulæ.] Sandalia erant matronis lautioribus, ut nunc sunt, carissima, etiam aurea. Persius Sat. 5. notat purpurea interdum fuisse.

— solea puer objurgabere rubra.

24. *Comis.*] Comitas, quæ aliàs laudatur, hìc vitio vertitur, in prodigo.

31. *Saxo saliat.*] Subauditur *Tarpeio.* Cogebantur interdum fontes de Tarpeiâ rupe sese dare præcipites.

Tuas res tibi habe! Amor, mihi amicus ne fuas unquam. sunt tamen
Quos miseros maléque habeas, quos tibi obnoxios feciſti.
Certum'ſt ad frugem applicare animum: quanquam ibi animo
Labos grandis capitur. boni ſibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam. hoc probis pretium'ſt: eò mihi magis lubet
Cum probis potius, quàm cum improbis vivere vanidicis.

INTERPRETATIO.

Habe tuas res tibi, O amor! ne mihi ſis unquam amicus. Sunt tamen quos reddas infelices, & malè accipias, quos tibi devinxiſti. Propoſitum eſt mentem convertere ad meliorem frugem: quanquam ad id improbus labor adhibendus ſit. Boni ſibi optant hæc; rem, fidem, honorem, gloriam & gratiam. Probi hoc ſibi præmium proponunt. Idcircò libentius vitam agam cum probis, quàm cum improbis, qui vana garriunt.

ANNOTATIONES.

32. *Tuas res tibi habe.*] Verba in divortiis faciendis ſolemnia.

35. *Labos grandis capitur.*] Nihil eſt enim tam arduum, quam vitia vitiorumque matrem cupiditatem domare. Perſius Sat. 5. *Et premitur ratione animus vincique laborat.*

37. *Vanidicis.*] Comica compoſitio. Alibi, *blandidicus, magnidicus falſidicus.* Terentius: *Savidica dicta:* Cicero: *Veridicus.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

LYSITELES Philtonis filius, amicus quidem Lesbonici, ſed longè diſſimilibus moribus, orat patrem, ut liceat inire matrimonium cum ſorore Lesbonici. Cujus nomen in hâc ſcenâ minimè exprimitur; eo conſilio, ut auxilio eſſe poſſit ipſi Lesbonico, ad maximas rei familiaris anguſtias, non tam vitio ſuo, quàm comitate, quæ virtus eſt hominum bene natorum, redacto Philto dives & ſenex, atque adeò avarus, multa documenta congerit ad expugnandam filii voluntatem; ſed incaſſum. Demum eò res redit, ut ad deliberandum de eo matrimonio tempus à filio roget.

PHILTO ſenex, LYSITELES adoleſcens.

PHILTO.

QUo illic homo foras ſe penetravit ex ædibus? *LY.* pater, aſſum.
Impera quodvis: neque tibi ero in morâ, neque latebroſè me abs tuo

INTERPRETATIO.

PH. *Quò ille prorupit ex ædibus?* LY. *Adſum, pater. Manda quod libeat. Non te morabor, neque fugiam in latebras à tuis oculis.*

Conſpectu occultabo. *PH.* feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum ſi percoles. Per pietatem! nolo ego cum improbis te viris,
Gnate mi, neque in viâ, neque in foro ullum ſermonem exſequi.
„ NOVI EGO HOC ſeculum, moribus quibus ſit. malus bonum, malum
Eſſe volt, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent mores mali; rapax,
Avarus, invidus: ſacrum profanum, publicum privatum habent:
Hiulca gens. hæc ego doleo: hæc ſunt quæ me excruciant.
Hæc dies noctesque tibi canto, ut caveas. quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quò manus abſtineant:
Cætera, rape, trahe, fuge, late. lacrumas hæc mihi, cùm video,
Eliciunt quia ego ad hoc genus hominum duravi. quin prius
„ Me ad plures penetravi? nam HI MORES MAIORUM laudant:
„ Eosdem lutulant, quos collaudant. hiſce ego te artibus gratiam
Facio; neu colas neu imbuas ingenium. meo modo, & moribus vivito
Antiquis. quæ ego tibi præcipio, ea facito. nihil ego iſtos
Moror fatuos mores, & turbidos, quibus boni dedecorant ſe.
Hæc tibi, ſi mea imperia capeſſes, multa bona in pectore conſident.
LY. Semper ego uſque ad hanc ætatem ab ineunte adoleſcentiâ,
Tuis ſervivi ſervitutem imperiis & præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum eſſe ratus ſum: pro imperio tuo,

INTERPRETATIO.

PH. *Facies rem dignam tuis cæteris geſtis, ſi honores tuum patrem. Per pietatem! Ego tibi veto, mi fili, inſtituere ullum colloquium cum malis viris, neque in itinere, neque in foro. Ego intelligo quibus inſtitutis ſit hoc ſæculum. Improbus optat probum fieri improbum, ut ſit ſui ſimilis: mali mores concitant turbas, ſeditiones; rapax, avarus, invidus habent ſacra perinde ac profana, publica veluti privata, gens avida. Ego ægrè fero hæc. Hæc ſunt quæ me torquent. Tibi occanto hæc diu noctuque, ut caveas ab his. Exiſtimant eſſe tantum æquum non injicere manus iis quæ non poſſunt rapere. Aufer cætera, trahe, fuge, deliteſce. Quando video hæc, excutiunt lachrymas. Quia ego vixi uſque ad hoc genus hominum. Quin deſcendi ad mortuos ante hoc tempus? Nam hi celebrant mores majorum: inficiunt eoſdem, quos prædicant. Ego tibi concedo ut non excolas te his artibus; neve imbuas ingenium. Vive meo modo & inſtitutis vetuſtis: fac ea quæ ego tibi mando. Aſpernor iſtos inſanos mores, & turbulentos, quibus boni ſeſe inquinant. Omnia hæc bona manebunt in tuo pectore, ſi capeſſas mea mandata.* LY. *Pater, ſemper obtemperavi tuis mandatis & documentis, ab incunte infantia ad hanc ætatem. Ego ratus ſum me eſſe liberum, pro viribus animi; pro imperio tuo.*

ANNOTATIONES.

4. *Per pietatem.*] Obteſtatio eſt atque obſecratio: ut hæc: *per Deos.*

15. *Gratiam facio.*] Id eſt, *condono.*

16. *Moribus vivito antiquis.*] Omnes fermè Scriptores ſuorum temporum mores culparunt; antiqua tempora, antiquoſque mores impensè laudarunt. Hoc etiam fermè homines in devexâ ætate ſolent facere. Unde Horatius ſenes vocat, *laudatores temporis acti.*

Meum

Meum animum tibi servitutem servire, æquum censui.
„ *PH.* Qui homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,
„ Utrum is itáne esse mavelit, ut eum animus æquum censeat;
„ An ita potius, ut parentes eum esse & cognati velint:
„ Si animus hominem perpulit; actum est, animo servibit; non sibi.
„ Sin ipse animum perpulit; dum vivit, victor victorum cluet.
„ Tu SI ANIMUM VICISTI, potius quàm animus te, est quod gaudeas.
„ NIMIO SATIUS est, ut opu'st, te ita esse, quàm ut animo lubet.
„ Qui animum vincunt, quàm quos animus, semper probiores cluent.
LY. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me usquam ubi esset damni conciliabulum:
Ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri.
Neu tibi ægritudinem, pater, párerem, parsi sedulò.
Sarta tecta tua præcepta usque habui meâ modestiâ.
PH. Quid exprobras? benè quod feci, tibi feci, non mihi.
Mihi quidem ætas acta est fermè: tuâ istuc refert maximè.
„ Is PROBUS EST, quem non pœnitet quàm probus sit & frugi bonæ.
„ Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonæ.
„ BENEFACTA benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

INTERPRETATIO.

existimavi esse æquum meum animum tibi servitutem pendere. PH. *Homo qui ab ineunte ætate pugnat cum suo animo, utrum malit esse, sicut animus existimat esse par eum esse; an potius, sicut parentes & cognati velint eum esse. Si libido incitat hominem, est actum* de eo; *obtemperabit libidini, non sibi: sin ipse regit libidinem, quandiu vivet, tandiu habebitur victor victorum. Si tu superavisti libidinem, potiusquàm libido te superavit; est quod tibi gratuleris. Est longè præstantius te esse, sicut decet, quàm sicut placet menti. Qui expugnant libidinem, semper habebuntur meliores, quàm ii quos libido debellat. Ego semper habui hoc præsidium meæ vitæ, ne me conjicerem in ullum locum, in quo esset concilium pestiferum: ne noctu divagarer, cavi diligenter, & ne detraherem aliis quod est suum, & ne tibi procurarem molestiam, ô pater. Servavi tua instituta, salva & integra, præ meâ modestiâ.* PH. *Quid exprobras? Tibi feci, non mihi, id quod benefeci. Mea vita quidem est propemodum exacta: istud tuâ interest imprimis. Is est bonus quem non pœnitet, quod sit bonus & laudata frugi. Qui sibi placet satis ipse, nec est bonus, nec recta frugi. Contege rectefacta aliis rectefactis, ne impluat.*

ANNOTATIONES.

25. *Animus.*] Id est, *libido.* Alibi Plautus: *Meo animo morem gero.* Græci, φίλῃ ψυχῇ χαρίζεσθαι, *genio indulgere.*

28. *Dum vivit, victor victorum cluet.*] Plato 1. de Legibus: Τὸ νικᾶν ἑαυτὸν, παντῶν νικῶν κράτιστα τε καὶ ἄριστον. τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὖτον ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε καὶ κάκιστον. *Vincere se est optima omnium victoriarum: vinci autem à se turpissimum omnium malorum.* Valer. Max. lib. 3. *Multo seipsum, quàm hostem superasse operosius est.*

38. *Mihi quidem ætas acta fermè est.*] Cicero ad Brutum: *Sed de hoc tu videris. De me possum idem quod Plautinus pater in Trinummo: mihi quidem ætas acta fermè est.*

40. *Qui ipsus sibi satis placet.* Cyprianus Serm. 3. de bono Patientiæ: *Qui nec humiles sunt, nec mites, sed sibi multum placent, hoc ipso quod sibi placeant, Deo displicent.*

„ Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ. [volo
LY. Ob eam rem hæc, pater, autumavi: quia res quædam'st, quam
Ego me abs te exorare. *PH.* quid id est? veniam jam dare gestio.
LY. Adolescenti huic genere summo, amico atque æquali meo,
Minus qui cautè & cogitatè suam rem tractavit, pater,
Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. *PH.* nempe de tuo.
LY. De meo: nam quod tuum'st, meum'st; omne meum est autem tuum
PH. Quid is, egètne? *LY.* eget. *PH.* habuitne rem? *LY.* habuit.
PH. quî eam perdidit?
Publicisne affinis fuit, an maritumis negotiis?
Mercaturámne, an venales habuit, ubi rem perdidit?
LY. Nihil istorum. *PH.* quid igitur? *LY.* per comitatem edepol, pater.
Præterea aliquantum animi caussâ in deliciis disperdidit.
PH. Edepol hominem prædicatum fermè familiariter.
Qui quidem nusquam per virtutem rem confregit, atque eget,
Nihil moror eum tibi esse amicum cum ejusmodi virtutibus.
LY. Quia sine omni malitiâ est, tolerare egestatem ejus volo.
PH. De mendico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.

Interpretatio.

Qui se despicit ipse, est in eo indoles, industriæ. LI. *Dixi hæc, pater, idcircò, quoniam est quædam res, quam ego opto impetrare à te.* PH. *Quid est id? Libet jam tibi concedere veniam.* LY. *Ego exopto, pater, si tu vis, beneficio afficere hunc juvenem natum summo genere, meum amicum æqualem, qui administravit sua bona nimis prudenter & considerate.* PH. *Nimirum de tuâ pecuniâ.* LY. *De meâ: nam quod est tuum, est meum: omne autem meum est tuum.* PH. *Quid est, estne inops?* LY. *Eget.* PH. *Habuitne opes?* LY. *Habuit.* PH. *Quomodò eas amisit? Séne implicuit rebus publicis, an maritimis? Exercuitne mercaturam, an sumsit res venales, in quibus amisit opes?* LY. *Nihil horum.* PH. *Quid est ergo?* LY. *Profectò per urbanitatem, pater. Præterea amisit aliquam partem in voluptatibus, animi gratiâ.* PH. *Profectò ecce hominem celebratum amicè propemodum. Qui quidem nusquam profudit bona sua in præclarè factis, & indiget. Nihil impedio quominus sit tuus amicus cum ejusmodi virtutibus.* LY. *Quoniam est absque ullâ nequitiâ, desidero levare ejus inopiam.* PH. *Ille exitio est mendico, qui ei suppeditat id quod comedat, aut id quod potet.*

Annotationes.

44. *Veniam jam dare gestio.*] Ad Heren. 4. *Veniam ad vos, si mihi Senatus det veniam.* Id est, *si permittat.* Nam, *veniam dare*, non est tantùm *parcere* & *ignoscere* alicujus culpæ & errato; sed interdum *permittere, concedere, sinere.*

51. *Mercaturamne, an venales habuit?*] Id est, *Fuitne mercator an mango? Mercator* dicitur de quavis mercatura: *Mango*, de mancipiis venalibus.

54. *Prædicatum familiariter.*] Hoc loco *familiariter*, significat *comiter.* Quasi dicat: *excusus amicum alioquin reum verecundâ circumlocutione.*

58. *De mendico.*] Sententia Laconici Apophtegmatis, quod extat apud Plutarchum. *Mendicus à Lacone stipem petebat: hic verò; Si darem, inquit, tibi, eò*

Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miseriam.
Non eò hoc dico, quin quæ tu vis, ego velim, & faciam lubens:
Sed ego hoc verbum cùm illi cuidam dico, præmonstro tibi,
„Ut ITA TE aliorum misereſcat, ne tui alios misereat.
LY. Deſerere illum, & dejuvare in rebus adverſis pudet.
„*PH.* Pol PUDERE QUAM pigere præſtat, totidem literis.
„*LY.* Edepol, deûm virtute dicam, pater, & majorum, & tuâ,
„Multa bona bene parta habemus. BENE SI amico feceris,
„Ne pigeat feciſſe: ut potius pudeat, ſi non feceris.
PH. De magnis divitiis ſi quid demas, plus fit, an minus?
„*LY.* Minus, pater. ſed CIVI IMMUNIFICO scis quid cantari ſolet?
„Quod habes, ne habeas: & illud quod nunc non habes, habeas malum:
Quandoquidem nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri.
PH. Scio equidem iſtuc ita ſolere fieri. verùm, gnate mi,
„Is EST IMMUNIS, cui nihil eſt, quî munus fungatur ſuum.
LY. Deûm virtute habemus, & quî nosmet utamur, pater,
Et aliis quî comitati ſimus benevolentibus.

INTERPRETATIO.

Nimirum & ille amittit quod dat, & producit ejus vitam ad perferendam calamitatem. Ego minimè loquor id, quia ego nolim juvare & facere lubenter quod optas. Sed quando ego dico hoc verbum de illo, quicunque tandem ſit, commonefacio te, ut te miſereat ejus, ita ut efficias, ne alius miſereſcat tui. LY. *Pudet illum deſerere, & minimè adjuvare in rebus afflictis.* PH. *Profectò præſtat pudere quàm pigere, totidem litteris.* LY. *Dicam quod auxilio Deorum, & majorum, & tuo habemus multa bona parta. Si affeceris beneficio amicum, ne pœniteat feciſſe: ſed pudeat potius, ſi non feceris.* PH. *Si tollas aliquid de magnis opibus, ſupereſtne plus, an minus!* LY. *Minus, pater. Sed noſti id quod ſolet occantari civi illiberali? Ne habeas id, quod habes: & habeas malum, quod non habes. Nunc quoniam nec potes pati tibi eſſe bene, nec alteri.* PH. *Ego ſanè novi iſtuc ſolere ſic circumferri. Sed, mi fili, ille eſt immunis à munere largiendo, cui eſt nihil, quo fungatur ſuo munere.* LY. *Pater habemus benignitate Deorum, & id quo utamur noſmet, & id quo ſimus munifici erga amicos.*

ANNOTATIONES.

magis mendicares. Nam huic tuæ deformitati cauſam præbuit is, qui primus tibi dedit, eoque te ignavum reddidit. Sed eſt hæc crudelis, & barbara ſenis avaritia.

63. *Dejuvare.*] Id eſt, *non juvare.* Alii *deſivare* & *deſinare*, pro *deſerere* & *deſinere juvare*, ex Feſto. Olim veteres dicebant *deſinere* & *deſinare*; *fodere* & *fodare*. Seneca epiſt. 117. *Imbecillæ mentis iſta verba ſunt, & hâc deſinatione miſericordiam captantis.* Ubi *deſinatio* ſignificat, *deſinere auxilium ferre.*

64. *Pol pudere quâ pigere præſtat.*] Nonius: *Pudet, verecundia eſt: piget, pœnitentia.*

65. *Deûm virtute.*] Formula loquendi à veteribus uſurpari ſolita, quâ res proſperas Diis acceptas referebant, & ſuam operam in iis quàm minimi facere ſignificabant.

66. *Multa bona benè parta habemus.*] Terentius: *Omnes te in lautâ, & benè auctâ parte putant.*

73. *Is eſt immunis.*] Iſidorus: *Amœna loca Verrius Flaccus dicta ait, quòd ſine munere ſint, nec quidquam in iis officii; quaſi amunia; id eſt, ſine fructu, unde nullus fructus exſolvitur. Inde etiam nihil præſtantes, Immunes*, vocantur.

PH. Non edepol tibi pernegare possum quicquam quod velis.
Cujus egestatem tolerare vis? loquere audacter patri.
LY. Lesbonico huic adolescenti, Charmidæ filio,
Qui illic habitat. *PH.* qui comédit quod fuit, quod non fuit?
LY. Ne opprobra, pater. MULTA EVENIUNT homini, quæ vult, quæ nevult.
PH. Agedum eloquere. quid dare illi nunc vis? *LY.* nihil quicquam, pater.
„ SAPIENTIÆ ÆTAS condimentum'st: SAPIENS ætati cibus est.
PH. Mentire edepol, gnate! atque id nunc facis haud consuetudine.
„ Nam SAPIENS quidem pol ipse fingit fortunam sibi.
Eò ne-multa quæ nevolt eveniunt, nisi fictor malus fiet.
Multâ est operâ opus fictoræ, qui se fictorem probum
Vitæ agendæ esse expetit. *LY.* sed hic admodum adolescentulus.
„ *PH.* NON ÆTATE, verùm ingenio adipiscitur sapientia.
LY. Tu modò ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.
PH. An eo egestatem ejus tolerabis, si quid ab illo acceperis?
LY. Eo, pater. *PH.* pol ego istam volo me rationem edoceas.
LY. licet.

INTERPRETATIO.

PH *Profectò nihil possum negare, quod velis. Cujus cupis levare inopiam? Dic audacter patri.* LY. *Hujus juvenis Lesbonici, qui est filius Charmidæ, qui manet illic.* PH. *Qui ligurit quod fuit, quod non fuit?* LY. *Ne exprobra, pater. Multa accidunt homini, quæ optat, quæ non vult.* PH. *Agedum dic? Quid optas illi dare nunc?* LY. *Nihil omnino, pater. Ætas est condimentum sapientiæ: sapiens est esca ætati.* PH. *Profectò fili mentiris! & facis nunc id præter morem. Etenim sanè sapiens sibi fabricatur ipse fortunam. Et idcircò nullæ contingunt sapienti contra sententiam, nisi quia est imperitus faber* Fortunæ. *Ei est opus magnâ industriâ in fingendo, qui exoptat se esse laudatum artificem regendæ vitæ.* LY. *Sed hic admodum juvenis.* PH. *Acquiritur sapientia non ætate, sed mente.* LY. *Dummodò tu non vetes ne accipiam, si mihi det aliquid.* PH. *Nonne levabis ejus inopiam, si quid acceperis ab illo?* LY. *Levabo, pater.* PH. *Profectò ego exopto ut me doceas istam rationem levandæ alienæ inopiæ.* LY. *Edocebo.*

ANNOTATIONES.

82. *Sapientiæ ætas condimentum.*] Id est: ætas perficit sapientiam; accedente enim ætate accedit sapientia. *Sapiens ætati cibus est.* Id est: sapientia alit ætatem; ætatem enim citra sapientiam languere oportet, atque emori.

84. *Sapiens fingit fortunam sibi.*] Cicero in Paradoxis: *Nec est ulla res, quæ plus apud sapientem polleat, quàm ipsius voluntas atque judicium: cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit, sicut sapiens Poëta dixit; Suis ea cuique fingitur moribus.* Appius in Sallustio: *Sed res docuit id verum esse, quod in Carminibus Appius ait: Fabrum esse suæ quemque fortunæ.* Cornelius Nepos, in vitâ Attici: *Sui quique mores fortunam fingant.*

88. *Non ætate.*] Ambrosius: *Non annorum canities est laudanda, sed morum.*

Scin' tu illum quo genere gnatus sit ? *PH.* scio, apprimè probo.
LY. Soror illi est adulta virgo grandis : eam cupio, pater,
Ducere uxorem. *PH.* sine dote? *LY.* sine dote. *PH.* uxorem? *LY.* ita.
Tuâ re salvâ. hoc pacto ab illo inibis summam gratiam :
Neque commodiùs ullo pacto ei poteris auxiliarier.
PH. Egóne indotatam te uxorem ut patiar ? *LY.* patiundum est, pater :
Et eo pacto addideris nostræ lepidam famam familiæ.
PH. Multa ego possum docta dicta & quamvis facundè loqui :
Historiam veterem atque antiquam hæc mea senectus sustinet :
Verùm ego quando te & amicitiam & gratiam in nostram domum
Video allicere, etsi adversatus tibi fui, istàc judico.
Tibi permitto, posce, duce. *LY.* dî te servassint mihi,
Sed adde ad istam gratiam unum. *PH.* quid id est autem unum ? *LY.* eloquar.
Túte ad eum adeas, túte concilies, túte poscas. *PH.* eccere.
LY. Nimio citius transiges : firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quàm centum mea.
PH. Ecce autem in benignitate hoc repperi negotium.
Dabitur opera. *LY.* lepidus vivis. hæ sunt ædes : hîc habet.
Lesbonico est nomen : age rem cura : ego te opperiar domi.

INTERPRETATIO.

Scine tu quo genere ille est ortus ? PH. *Scio, probo imprimis.* LY. *Illi est soror quæ est grandis adulta virgo : opto eam ducere uxorem, pater.* PH. *Sine dote ?* LY. *Sine dote.* PH. *Uxorem ?* LY. *Ita. Salvâ tuâ re : hoc modo illum afficies magno beneficio : neque poteris illum adjuvare commodiùs ullâ ratione.* PH. *Patiarne ego te ducere uxorem sine dote ?* LY. *Ferendum est pater, & hoc modo impertieris nostræ familiæ jucundam famam.* PH. *Quamvis ego possum loqui multa dicta docta, & magnopere diserta : hæc mea senectus tenet historiam veterem atque antiquam. Verùm quando ego te video inducere in ædes nostras, & amicitiam & gratiam, tametsi fui contrarius, tibi illam adjudico : tibi concedo ; postula ; duc.* LY. *Dii te servent mihi. Sed adjice unum ad istam gratiam.* PH. *Quid autem est id unum ?* LY. *Edicam. Adi tu ad illum, tu consilia, tu poscas.* PH. *Profectò.* LY. *Transiges multò celeriùs : quidquid tu feceris erit firmum. Unum tuorum verborum erit gravius in eâ re, quàm centum meorum.* PH. *Ecce verò suscepi hanc rem propter meam beneficentiam. Curabitur id.* LY. *Es jucundus. Adsunt ejus ædes : hîc manet. Nominatur Lesbonicus : age, cura negotium : ego te expectabo domi.*

ANNOTATIONES.

105. *Concilies.*] *Concilio & conciliator, & conciliatrix*, in utramque partem capiuntur : nonnunquam in bonam, nonnunquam in malam. Nonnunquam pro *proxeneta & proxenetria* ; nonnunquam pro *lenone & lenâ*.

Eccere.] Charisius idem quod *ecce*. Festus, formula jurandi *per Cererem*. Quasi esset è *Cere*, per *idem Cereris*.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PHILTO senex secum reputat & consilium & voluntatem filii Lysitelis de ducenda uxore Lesbonici sorore, & statuit ejus obsequi voto.

PHILTO senex.

NON optuma hæc sunt, neque ut ego æquum censeo.
Verùm meliora sunt, quàm quæ deterrima.
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,
Quia, QUI NIHIL ALIUD, nisi quod sibi soli placet,
„ Consulit advorsum filium, nugas agit:
„ Miser ex animo fit: factiùs nihilo facit.
„ Suæ senectuti is acriorem hiemem parat,
Cùm illanc importunam tempestatem conciet.
Sed aperiuntur ædes, quò ibam: commodò
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

INTERPRETATIO.

HÆc non sunt bona, neque esse puto, ut est æquum. Sed sunt meliora, quàm ea quæ sunt pessima. Verùm id unum me reficit atque meam mentem: quia ille agit nugas, qui nihil aliud suadet adversus filium, quàm id quod sibi soli placet: est verè infelix: nihilo melius agit. Ille accersit hyemem molestiorem suæ senectuti, quando conflat illam procellam importunam. At domus quò pergebam panditur. Lesbonicus ipse cum servo prodit foràs commodè.

ANNOTATIONES.

6. *Factiùs nihilo facit.*] *Factiùs* à *faciendo*; id est, *facilius*. Alii legunt *sectiùs*, sive *seciùs*, à *seco*; quasi *sequos* quòd vices gereret *activi sequor*. Sic sexto Æneidos: *Ille viam secat ad naves*, id est; *sequitur ad naves*. Et decimo: *Quam quisque secat spem*, id est; *sequitur spem*. Inde *seculum*, *secundus*, *sectus*; uno verbo, *sectius* & *secius* à *seco*, idem sunt, ac *sequius* à *sequor*.

7. *Senectuti hyemem.*] Erathostenes *Senectutem*, *hyemem vitæ* appellat.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

PHILTO adit Lesbonicum: rogat sororem in matrimonium. Putat se irrideri Lesbonicus, propter inopiam, & suam & sororis. Philto tandem suadet Lesbonico seriò id & amoto omni joco fieri.

LESBONICVS adoleſcens, STASIMVS ſervus, PHILTO ſenex.

LESBONICVS,

MINUS quindecim dies ſunt, cùm pro hisce ædibus
Minas quadraginta accepiſti à Callicle.
Eſtne hoc quod dico, Staſime? *ST.* cùm conſidero,
Meminiſſe videor fieri. *LE.* quid factum eſt eo?
ST. Comeſum, expotum, exutum, elotum in balneis.
Piſcator, piſtor abſtulit, lanii, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes. confit citò,
Quàm ſi tu objicias formicis papaverem.
LE. Minus hercle in hisce rebus ſumptum eſt ſex minis.
ST. Quid, quod dediſti ſcortis? *LE.* ibidem una traho.
ST. Quid, quod ego defraudavi? *LE.* hem! iſta ratio maxuma eſt.
ST. Non tibi illud apparere, ſi ſumas, poteſt:
Niſi tu immortale rere eſſe argentum tibi.
Serò atque ſtultè, prius quod cautum oportuit,
Poſtquam comedit rem; pòſt rationem putat.

INTERPRETATIO.

LE. *NUndum ſunt quindecim dies, ex quo numeratæ ſunt tibi à Callicle quadraginta minæ pro hiſce ædibus. Verane dico, Staſime?* ST. *Quando cogito, videor meminiſſe me accepiſſe.* LE. *Quid eſt actum de eo?* ST. *Liguritum, exhauſtum, conſumptum in veſtibus, dilutum in balneis. Piſcator, piſtor abſtulit, lanii, coqui, olitores, myropolæ, aucupes. Conſumitur citiùs, quàm ſi tu apponas papaver formicis.* LE. *Profectò eſt minus inſumptum ſex minis in hiſce rebus.* ST. *Quid dicam id, quod impendiſti meretricibus?* LE. *In eodem articulo accenſeo.* ST. *Quid dicam de eo, quod ſuffuratus ſum?* LE. *Hem! iſta eſt maxima ratio.* ST. *Id nequit à te animadverti, ſi expendas: niſi arbitreris tibi eſſe argentum inexhauſtum. Expendis tardè & inſipienter id, quod oportebat cavere antea. Poſtquam ligurivit ſua bona, poſtea rationes ſubducit.*

ANNOTATIONES.

5. *Exutum.*] Id eſt, pecunia in veſtibus emendis poſita. Alii, *exunctum*, id eſt, in unguentis parandis.

Elotum.] Id eſt, in balneis eſt pecunia perdita, *heluo*, ab *eluendo*. Magis crediderim *exutum*: & *elotum* dici à Poëta, quia ante quam ſe eluant in balneis, ſeſe exuunt. Itaque ad notandam bonorum dilapidationem, quemadmodum ſæpiùs in hoc Poëta, *elotus bonis dicitur*, ſic, & *exutus bonis* metaphoricè, pro *ſpoliatus bonis*.

7. *Confit citò, quàm ſi.*] *Citò*, pro *citiùs*.

8. *Papaverem.*] Chariſius: *Papaver neutri generis eſt: ſed maſculino Plautus dixit.* Varro: *Infria ſeni papaverem.*

10. *Ibidem una traho.*] Id eſt, ſex alteras minas duco.

12. *Si ſumas, poteſt.*] Pro *inſumas*.

LE. Nequaquam argenti ratio compáret tamen.
ST. Ratio quidem hercle apparet. argentum οἴχεται.
Minas quadraginta accepisti à Callicle,
Et ille ædis abs te accepit mancupio. *LE.* admodum.
PH. Pol, opinor, affinis noster ædes vendidit.
Pater cùm peregrè veniet, in portâ est locus:
Nisi fortè in ventrem filio correpserit.
ST. Trapezitæ mille drachumarum Olympicûm,
Quas de ratione debuisti, reddítæ.
LE. Nempe quas spopondi. *ST.* imò, quas dependi, inquito.
Quas sponsione pronuper tu exactus es
Pro illo adolescente, quem tu aiebas esse divitem.
LE. Factum. *ST.* ut quidem illud perierit. *LE.* factum id quoque est.
Nam nunc eum vidi miserum, & me ejus miseritum'st.
ST. Miseret te aliorum, tui te nec miseret, nec pudet.
PA. Tempus adeundi est. *LE.* éstne hic Philto, qui advenit?
Is hercle est ipsus. *ST.* edepol næ ego istum velim
Meum fieri servum cum suo peculio.

INTERPRETATIO.

LE. *Tamen rationes pecuniæ expensæ nullo modo habentur.* ST. *Profectò, ratio tenetur, argentum evasit. Accepisti à Callicle quadraginta minas, & ille domum accepit à te mancupio.* LE. *Maximè.* PH. *Per Pollucem existimo nostrum affinem reddidisse domum. Quando pater veniet à peregrinatione, erit manendum sub dio: nisi fortassè irrepserit in ventrem filii.* ST. *Reddita sunt mille drachmæ Olympicæ Trapezitæ, quas debuisti ex ratione.* LE. *Nimirum quas spopondi.* ST. *Imò dic, quas impendi. Quas tu es coactus sponsione exsolvere nuper pro illo juvene, quem tu dicebas esse locupletem.* LE. *Sic est actum.* ST. *Scis quemadmodum hæc pecunia perierit.* LE. *Id est actum quoque. Nam eum conspicatus sum nunc infelicem, & me est misertum ejus.* ST. *Te miserat aliorum, nec te miseret tui, nec pudet.* PH. *Est tempus conveniendi.* LE. *Estne hic Philto, qui accedit? Est ille ipse per Herculem.* ST. *Per ædem Pollucis, ego vellem illum fieri meum servũ cum suo peculio.*

ANNOTATIONES.

17. *Argentum οἴχεται.*] Id est, *periit, abiit.*

21. *In porta est locus.*] Id est, foris & sub dio habitabit, vel mendicabit in porta trigemina, in quâ considere solebant mendicantes. Alii legunt *in ponte*, in quo iidem stipem rogabant. Seneca de Vitâ beatâ: *In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideò tamen me despiciam, quòd in illorum numero considéo, qui manum ad stipem porrigunt.*

22. *Nisi in ventrem correpserit.*] Nimirum Lesbonicus filius Charmidis ædes paternas, & vendiderat & voraverat. Itaque Comicè dicitur, *habere domum in ventre.* Cicero. Est *gurges, vorago, barathrum; eversor patrimonii.*

23. *Mille drachumarum.*] Sicut mille hominum, mille passuum. Id est, mille drachmæ, mille homines, mille passus.

Olympicûm.] Pro *Olympicarum.* Notum est, & pervulgatum, aliâ, atque aliâ monetâ usos fuisse Græcos, in quibus aliud erat talentum Atticum, aliud Olympicum. Sic de drachmâ, sic de minâ.

26. *Quas sponsione.*] *Sponsio* verbum juridicum, quod nos vernaculo nostro, *Promesse, Obligation.*

32. *Næ ego.*] Pro, *ni ego.*

PH. Herum

PH. Herum atque servum plurimum Philto jubet
Salvere, Lesbonicum & Stasimum. *LE.* dî duint
Tibi, Philto, quæcunque optes. quid agit filius?
PH. Bene vult tibi. *LE.* edepol mutuum mecum facit.
„*ST.* NEQUAM ILLUD verbum'st, Bene vult, nisi quî bene facit.
Ego quoque volo esse liber; nequicquam volo:
Hic postulet frugi esse; nugas postulet.
PH. Meus gnatus me ad te misit, inter se atque vos
Affinitatem ut conciliarem & gratiam.
Tuam vult sororem ducere uxorem. & mihi
Sententia eadem'st, & volo. *LE.* hau! nosco tuum:
Bonis tuis rebus meas res irrides malas.
PH. Homo ego sum, homo tu es: ita me amabit Juppiter!
Neque te derisum veni, neque dignum puto.
Verùm hoc, ut dixi, meus me oravit filius,
Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.
LE. MEARUM RERUM me noviſſe æquum'st ordinem.
Cum vestris nostra non est æqua factio.
Affinitatem vobis aliam quærite.
SI. Satin'tu sanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi
Ferentarium esse amicum inventum intellego.

INTERPRETATIO.

PH. *Philto jubet plurimùm salvere dominum atque servum, Lesbonicum, atque Stasimum.* LE. *Dii tibi tribuant, Philto, quæcunque cupis. Quid facit filius?* PH. *Tibi vult bene.* LE. *Per eadem Pollucis benevolentia est mutua.* ST. *Illud verbum est malum, optat bene, nisi qui agit bene. Ego exopto etiam esse liber; opto incassum: is postulet esse probus; postulet nugas.* PH. *Meus filius me misit ad te, ut contraherem affinitatem & gratiam inter se, atque vos. Optat habere uxorem tuam sororem. Et mihi est eadem mens, & opto.* LE. *Hau! novi tuam mentem. Illudis jactura mearum fortunarum tuâ secundâ fortunâ.* PH. *Ego sum homo, tu es homo: ita me amabit Jupiter! Neque accessi ad te deridendum, neque existimo esse æquum. Sed, ut dixi, meus filius me rogavit, ut rogarem tuam sororem sibi uxorem.* LE. *Fas est recordari rationem mearum rerum. Nostræ opes non sunt æquales vestris. Quærite aliam affinitatem.* ST. *Túne satis sanus mentis & tui animi, qui rejicis hanc conditionem? Nam animadverto te invenisse illũ amicum expeditum adferendum auxilium.*

ANNOTATIONES.

37. *Mutuum mecum facit.*] Id est, à me mutuò amatur.

38. *Nisi qui benefacit.*] Id est, nisi qui in aliquâ re se beneficum ostendit.

44. *Hau.*] Interjectio turbatæ mentis index, indignabundæ, & sensu mali perculsæ.

51. *Non est æqua factio.*] Vestri ordinis hominibus, qui estis *factiosi*, id est, *divites* ac *potentes*, nos inopes tenuesque, pares esse non possumus.

55. *Ferentarium esse amicum.*] Id est, *celebrem & expeditum.* Nimirum ferentarii milites, qui facilè opitulantur. Plautus jocosè & comicè, *amicum ferentarium* vocat, qui laboranti amico ultrò succurrit. Varro explicat *ferentarium, inanem*, id est, *levis armaturæ equitem.*

LE. Abin' hinc dierectè? *ST.* si hercle ire occipiam, vetes.
LE. Nisi quid me aliud vis Philto, respondi tibi.
PH. Benigniorem Lesbonice te mihi,
Quàm nunc experior esse, confido fore:
„ Nam & STULTE FACERE, & stultè fabularier,
„ Utrumque, Lesbonice, in ætate haud bonum'st.
ST. Verùm hercle hic dicit. *LE.* oculum ego effodiam tibi,
Si verbum addideris. *ST.* hercle quin dicam tamen.
Nam si sic non licebit, luscus dixero.
PH. Ita tu nunc dicis non esse æquiparabiles
Vestras cum nostris factiones atque opes?
LE. Dico. *PH.* quid? nunc si in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par fortè ut venerit,
Apposita sit cœna, popularem quam vocant,
Si illî congestæ sint epulæ à clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illî congestum siet,
Edisne, an incœnatus cum opulento accubes?
LE. Edim, nisi ille vetet. *ST.* at pol ego, etiamsi vetet,
Edim, atque ambabus mâlis expletis vorem:
Et quod illi placeat, præripiam potissimum:
Neque illi concedam quicquam de vitâ meâ.
„ VERECUNDARI NEMINEM apud mensam decet,

INTERPRETATIO.

LE. *Abis hinc furcifer?* ST. *Si per Herculem incipiam abire, prohibeas.* LE. *Nisi vis me aliquid aliud, Philto, tibi reposui.* PH. *Lesbonice, spero te mihi futurum esse humaniorem, quàm sentio esse nunc: nam & facere amenter & loqui insipienter, neutrum est laudabile in ætate.* ST. *Hic per Herculem dicit verum.* LE. *Ego tibi eruam oculum, si addideris verbum.* ST. *Per Herculem loquar tamen. Nam si non sic licet, loquar luscus.* PH. *Ita tu dicis nunc vestras divitias atque fortunas non esse conferendas cum nostris?* LE. *Dico.* PH. *Quid? Nunc si veneris in templum ad cœnam, & ibi fortè instructa sit cœna, quam popularem appellant, quando opulentus tibi æqualis venerit, si cibi sint collati illuc à clientibus, edesne, si aliquid tibi placeat, quod sit illic appositum, an accubes cum opulento inpransus?* LE. *Edam, nisi ille prohibeat.* ST. *At certè ego ederem, etiamsi vetaret, & manducarem plenis genis ambabus: & occupabo imprimis id, quod illi placeat: neque patiar ab illo adimi quidquam de meâ vitâ. Neminem oportet esse verecundum in mensa.*

ANNOTATIONES.

56. *Dierectè.*] Nonius: *Dierectus est ad crucem actus: quasi ad diem erectus.*

61. *In ætate.*] Id est, *interdum, aut in vitâ.*

64. *Luscus dixero.*] Id est, vel dispendio unius oculi dixero.

66. *Opes.*] Veteres *oves* appellabant *opes.* Hinc *opiserda, opilio.* Et quia ex ovibus proveniunt *opes* multæ, *ab opibus*, id est, *ovibus*, dictæ sunt *opes*, seu *divitiæ.*

69. *Cœnam popularem.*] Est epulum, quod populo dabatur in publicâ aliquâ lætitiâ; verbi gratiâ, quando quis triumphabat.

77. *Verecundari apud mensam.*] Sententia parasitica de deponendo omni pudore, cum de ventre saburrando agitur.

Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
PH. Rem fabulare. *ST.* non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de viâ, de semitâ,
De honore populi: verùm quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longè, nisi me pugnis vicerit.
Cœna hæc annona est sine sacris hæreditas.
„ *PH.* SEMPER TU HOC facito, Lesbonice, cogites,
„ Id optimum esse, túte uti sis optimus:
„ Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus.
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, & quam abs te peto,
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites sunt, deos decet opulentia
„ Et factiones. verùm NOS HOMUNCULI
„ SALILLUM ANIMÆ qui cùm extemplo amisimus,
„ Æquo mendicus atque ille opulentissimus
„ Censetur censu ad Acherontem mortuus.
ST. Mirum, ni tu illuc tecum divitias feras,
Ubi mortuus sis, ità sis ut nomen cluet.
PH. Nunc ut scias hîc factiones atque opes

INTERPRETATIO.

nam ibi certamen est de divinis & humanis. PH. *Dic quod res est.* ST. *Non tibi dicam subdolè: ego illi concedam in viâ, in incessu, in honoribus popularibus: sed quod spectat ad mensam, per Herculem, ne latum unguem cesserim, nisi me superavit pugnis. Cœna hæc annua est hæreditas sine sacris.* PH. *Tu age semper hoc, Lesbonice, cogita id esse optimum, ut tu sis optimus: si id non possis, ut proximè accedas ad optimos. Lesbonice, volo te dare & accipere nunc hanc conditionem, quam ego fero, & quam à te postulo. Divites sunt Dii, opulentia & potentia decet Deos. Sed nos homunculi salinum anima sumus, qui quum primùm mortui sumus, mendicus & ille ditissimus censetur æquali censu, apud inferos, quando est mortuus.* ST. *Mirum, nisi tu feras tecum opes illuc, quando eris mortuus, ut sis quod nomen sonat.* PH. *Ut intelligas nunc non esse hîc opes & potentiam,*

ANNOTATIONES.

78. *Cernitur.*] Id est, *dimicatur.*

83. *Cœna hæc annona est.*] Id est, cœna ista popularis annuus quidam nobis velut frugum proventus est, sine ullo impendio: ut hæreditas, quæ obvenit, nullis sacris obnoxia, sacrorumque sumptibus. *Cœna annona*, quasi *cœna annonaria*; est enim *annonus, a, um. Hæreditas sine sacris*, est quando hæres non adsciscitur in *sacra & gentem.* Cum ea hæreditate servus cœnam comparat gratuitam.

90. *Nos homunculi salillum anima.*] Id est, *anima nostra est nostro corpori pro sale.* Id à Chrysippo sumptum, qui dixisse dicitur, *Porco pro sale animam dari tam ne computresceret.* Hoc videtur nimis detractum dignitati naturæ humanæ, meliori parte sui immortalis.

92. *Æquo sensu censetur.*] Id est, post mortem mendicus est opulentissimo similis. Inde Horatius: *Æqua tellus pauperi recluditur, regumque pueris.*

95. *Ut nomen cluet.*] Quasi dicat: *credo profectò te ad Acherontem divitias tuas perlaturum ubi demum post mortem sis, ut nomen cluet*, id est, sonat. *Philto*, hoc est, *hominum amans.* Nam, ut nunc es, tu es admodum parcus, & *Aphilto*, id est, *non amans benignitatem & humanitatem.*

Non esse, neque nos tuam negligere gratiam;
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quæ res bene vortat! habeon' pactam? quid taces?
ST. Prò di immortales, conditionem quojusmodi?
PH. Quin fabulare. Dî bene vortant! spondeo.
ST. Eheu! ubi usus nihil erat dicto, Spondeo
Dicebat: nunc hîc, cùm opus est, non quit dicere.
LE. Cùm affinitate vestrâ me arbitramini
Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam.
Sed etsi hercle graviter cecidit stultitia mea,
Philto; est ager sub urbe hîc nobis, eum dabo
Dotem sorori. nam is de stultitiâ meâ
Solus superfit præter vitam reliquus.
PH. Profectò dotem nihil moror. *LE.* certum'st dare.
ST. Nostrámne vis nutricem, here, quæ nos educat,
Abalienare à nobis? cave sis feceris.
Quid edemus nosmet postea? *LE.* etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam? *ST.* planè periimus,
Nisi quid ego comminiscor. Philto, te volo.
PH. Si quid vis, Stasime? *ST.* huc concede aliquantum. *PH.* licet.
ST. Arcanò tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat,
Néve alius quisquam. *PH.* crede audacter quid lubet.
ST. Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum siris unquam fieri, neque gnati tui.
Ei rei argumentum dicam. *PH.* audire edepol lubet.

Interpretatio.

neque nos aspernari tuam amicitiam, postulo tuam sororem pro filio sine dote. Quod vertat bene! habeóne promissam? Quid stes? ST. *Proh Dii immortales, quæ conditio?* PH. *Quin pronuncias hæc verba. Dii bene vertant! spondeo.* ST. *Heu! quando non erat opus dicere, dicebat, spondeo: nunc hìc, quando est necesse, non potest dicere.* LE. *Quando me putatis dignũ vestrâ affinitate, vobis habeo, Philto, magnam gratiam. Verùm per Herculem, Philto, tametsi mea amentia corruit graviter, nobis est hìc ager in suburbio, quem dabo dotem sorori. Nam ille solus supereſt de meâ stultitiâ, præter vitam.* PH. *Profectò nihil curo dotem.* LE. *Est propositum dare.* ST. *Here, visne agrum, nostram nutricem, qua nos educat, amandare à nobis? Cave ne feceris? Quid nosmet comedemus deinceps?* LE. *Etiam tu taces? Ego tibi reddam rationem?* ST. *Nisi ego excogito aliquid, planè interiimus. Te volo, Philto,* PH. *Si vis aliquid, Stasime?* ST. *Concede huc aliquantulum.* PH. *Concedo.* ST. *Ego tibi dico hoc secretò, ne ille accipiat ex te, neve alius quisquam.* PH. *Dic constanter quid vis.* ST. *Dico, per Deos & homines, tu ne patiaris unquam illum agrum fieri tuum, aut tui filii. Dicam rationem hujus rei.* PH. *Per ædem Pollucis velim scire.*

Annotatio.

111. *Nostramne vis nutricem.*] Id est, agrum, cujus proventu, tanquam nutrice, alebantur. Valer. Max. *Siciliamque & Sardiniam, benignissimas urbis nostræ nutrices.*

ST. Primùm omnium, olim terra cùm proſcinditur,
In quinto quôque ſulco moriuntur boves.
PH. Apage. *ST.* Acherontis oſtium in noſtro'ſt agro.
Tum vinum, priusquam coactum'ſt, pendet putidum.
LE. Conſuadet homini, credo, etſi ſceleſtus eſt,
At mihi infidelis non eſt. *ST.* audi cætera.
Poſt id, frumenti cùm alibi meſſis maxima'ſt,
Tribus tantis illî minus redit, quàm obſeveris.
PH. Hem! iſtîc oportet obſeri mores malos,
Si in obſerendo poſſint interfieri.
ST. Neque unquam quisquam eſt, cujus ille ager fuit,
Quin peſſumè ei res vorterit, cujum fuit.
Alii exulatum abierunt, alii emortui,
Alii ſe ſuſpendêre. hem! nunc hic cujus eſt,
Ut ad incitas redactus! *PA.* apage à me iſtum agrum!
ST. Magis, apage! dicas, ſi omnia à me audiveris.

INTERPRETATIO.

ST. *Primùm quando aratur terra, boves moriuntur, quinto quôque ſulco.* PH. *Apage.* ST. *Janua eſt inferorum in noſtro agro. Antequam etiam vinum eſt coactum, pendet putidum.* LE. *Credo, ſuadet homini, tameſi eſt ſceleſtus, ſed non mihi eſt infidus.* ST. *Attende cætera. Præterea, quando alibi meſſis frumenti eſt copioſiſſima, ille reddit minus tertio tanto, quàm mandaris.* PH. *Hem! oportet ſerere in illo malos mores, ſi poſſint interfici in obſerendo.* ST. *Neque eſt ullus unquam, ad quem hic ager pertinuerit, quin negotia ei verterint peſſimè. Alii ſunt ejecti in exilium, alii ſunt mortui, alii ſeſe ſuſpenderunt. Ecce verò hic, ad quem pertinet nunc, quo pacto eſt redactus ad egeſtatem!* PH. *Apage à me iſtunc agrum!* ST. *Dicas magis, apage! ſi à me acceperis cætera.*

ANNOTATIONES.

123. *Quinto quôque ſulco.*] *Quinto ſulco, ſexto, nono*; dicunt: pro, *Serere quinquies, ſexies, novies exaratum agrum.* Hoc loco ſignificat, boves vix quintum deſignaſſe ſulcum, cum ſtatim pereunt.

124. *Acherontis oſtium.*] Id eſt, *inferorum.* Veteres exiſtimabant orci patere oſtium in his locis, in quibus eſſet peſtilentia. Feſtus: *Manalem lapidem, ſeu potius manal, ſive manale oſtium manium vocat.* Cicero; *Sunt partes agrorum aliæ peſtilentes, aliæ ſalubres.* Idem: *Ager cælo ac loco calamitoſus.*

125. *Vinum pendet putidum.*] Id eſt, *Uva, vindemia.*

129. *Tribus tantis.*] Vernaculo noſtro, *trois fois autant.* In Bacchidibus: *Sexcenta tantò reddam.*

131. *Poſſint interfieri.*] Id eſt, *confici, abſumi.* Lucretius lib. 3.

Aut flammis interfiat, málisve ferarum.

136. *Ad incitas redactus.*] Antiqui fines ſeu terminos, quos amplius promovere non poſſent, incitos vocabant. Et qui eò rerum redacti erant, ut nullum certum in rebus ſuis conſilium capeſcere poſſent, ad incitas redacti dicebantur: ubi ſubaudi *lineas.* Eſt metaphora à ludo duodecim ſcriptorum. Nam cum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is, cujus intererat, *ad incitas* lineas dicebatur redactus; calculi verò ipſi *inciti.*

Nam fulguritæ sunt alternæ arbores.
Sues moriuntur anginâ acerrumè.
Oves scabræ sunt, tam glabræ, hem! quàm hæc est manus.
Tum autem Syrorum, genus quod patientissimum est
Hominum, nemo extat, qui ibi sex menses vixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.
PH. Credo ego istuc, Stasime, ita esse: sed Campas genus
Multo Syrorum jam antidit patientiâ.
Sed iste est ager profectò, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnes publicè mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt castè suam,
Conveniant. contrà istòc detrudi maleficos
Æquum videtur, qui quidem istius sit modi.
ST. Hospitium est calamitatis. quid verbis opu'st?
Quamvis malam rem querens, illic reperias.
PH. At tu hercle & illî & alibi. *ST.* cave si dixeris,
Me tibi dixisse hoc. *PH.* dixisti arcano satis.
ST. Quin hîc quidem cupit illum ab sese abalienarier;
Si quidem reperire posset, cujus os sublinat.
PH. Meus quidem hercle nunquam fiet. *ST.* si sapies quidem.

Interpretatio.

Nam arbores percutiuntur fulmine alternæ in illo agro. Sues intereunt celeriter anginâ. Oves sunt scabræ, tam glabræ, aspice, quàm est hæc manus. Tum verò est nullus Syrorum, quod est genus hominum patientissimum, qui in eo vitam produxerit ad sex menses: sic omnes intereunt morbo solstitiali. PH. *Ego puto, Stasime, id esse sic: sed genus Campanum antecellit multùm patientiâ genus Syrorum. At sanè iste ager est ejusmodi, ut te audivi loqui, in quem oportet mittere cunctos improbos. Sicut dicunt insulas fortunatas, in quas omnes qui duxerunt castè suam vitam, conveniant. Contrà videtur quidem justum conjici in agrum, sceleratos, qui sit hujusmodi.* ST. *Est domicilium malorum. Quid est opus verbis? Invenias in eo agro quamlibet rem malam, si quaras.* PH. *At tu profectò quare & illic & alibi.* ST. *Cave, si vis, ne dixeris, me tibi dixisse id.* PH. *Dixisti satis arcano.* ST. *Quin hîc quidem optat illum abalienare ab sese, si quem posset reperire, quem decipiat.* PH. *Profectò nunquam erit meus.* ST. *Ita sanè, si sapies.*

Annotationes.

138. *Fulguritæ.*] Id est, *Fulgure affiatæ arbores.*

Alternæ.] Id est, *E duabus altera*, ut una incolumis remaneat.

139. *Angina.*] Sues *anginâ* infestantur. Plinius lib. 8. *Obnoxium genus sues morbis anginæ maximè & strumis.*

140. *Oves scabræ sunt.*] Id est, *scabie asperæ.*

143. *Solstitiali morbo.*] *Solstitialis morbus, est quilibet pravus & lethalis.* Quasi dicat servus, neminem intra sextum mensem iis in ædibus non interire. Hyppocrates de aëre, locis & aquis, docet solstitium periculosum, atque exitiale esse.

144. *Campas genus.*] Id est, *Campani genus*, seu *Campanum*, pro *mollibus & libidinosis hominibus.*

145. *Antidit.*] Pro *anteit*; *antidee*, pro *anteeo.*

157. *Os sublinat.*] Id est, *illudat.*

Lepidè hercle de agro ego hunc ſenem deterrui:
Nam quî vivamus, nihil eſt, ſi illum amiſerit.
PH. Redeo ad te, Lesbonice. *LE.* dic ſodes mihi,
Quid hic locutus tecum? *PH.* quid cenſes? homo'ſt:
Vult fieri liber: verùm, quod det, non habet.
LE. Et ego eſſe locuples, verùm nequiquam volo.
ST. Licitum, ſi velles: nunc, quoniam nihil eſt, non licet.
LE. Quid tecum, Staſime? *ST.* de iſtoc quod dixiſti modò,
Si antea voluiſſes, eſſes: nunc ſerò cupis.
PH. De dote mecum convenire nihil potes:
Quid tibi lubet, tute agito cum nato meo.
Nunc tuam ſororem filio poſco meo.
Quæ res benè vortat. quid nunc? etiam conſulis.
LE. Quid iſtic! quando ita vis, dî bene vortant! ſpondeo.
PH. Nunquam edepol cuiquam tam exſpectatus filius
Natus, quàm eſt illud Spondeo natum mihi.
ST. Dî fortunabunt veſtra conſilia! *PH.* ita volo.
LE. Sed, Staſime, abi huc ad meam ſororem: ad Calliclem
Dic hoc negotii quomodo actum eſt. *ST.* ibitur.
LE. Et gratulator meæ ſorori. *ST.* ſcilicet!
PH. I hàc Lesbonice mecum, ut coràm nuptiis
Dies conſtituatur: eâdem hæc confirmabimus.
LE. Tu iſtuc cura quod juſſi. ego jam hîc ero.
Dic Callicli, me ut conveniat. *ST.* quin tu i modò!
LE. De dote ut videat, quid opus ſit facto. *ST.* i modò!
LE. Nam certum'ſt me ſine dote haud dare. *ST.* quin tu i modò!

INTERPRETATIO.

Ego profectò feſtivè deterrui hunc ſenem de agro: nam eſt nihil, quo vivamus, ſi illum amiſerit. PH. *Leſbonice, redeo ad te.* LE. *Dic mihi ſodes, quid hic fabulabatur tecum?* PH. *Quid putas? Eſt homo: optat fieri liber: ſed non habet, quod det.* LE. *Et ego cupio eſſe locuples, verùm incaſſum cupio.* ST. *Conceſſum, ſi optares: nunc quoniam eſt nihil, non licet.* LE. *quid dicis tecum, Staſime?* ST. *Eſſes, ſi voluiſſes antea iſto modo, quo dixiſti: jam optas ſerò.* PH. *Nihil potes ſtatuere mecum de dote: quid tibi lubet, agito tutò cum meo nato. Nunc poſco tuam ſororem pro meo filio. Quæ res vertat benè. Quid nunc? dubitas etiam.* LE. *Quid iſtic? Quandoquidem ſic vis, Dii bene vertant! ſpondeo.* PH. *Sanè nunquam nativitas filii fuit tam expectata cuiquam, quàm mihi eſt expectatum illud verbum, Spondeo.* ST. *Dii fortunabunt veſtra conſilia!* PH. *Sic volo.* LE. *Sed, Staſime, abi huc ad meam ſororem: dic ad Calliclem, quomodo hæc res facta eſt.* ST. *Ibimus.* LE. *Et gratulator meæ ſorori.* ST. *Scilicet!* PH. *Veni mecum Lesbonice, ut te preſente, indicetur dies nuptiarum: confirmabimus hæc eâdem.* LE. *Tu cura id quod mandavi: ego ero jam hic. Dic Callicli, ut me adeat.* ST. *Quin tu i modò!* LE. *Ut videat de dote, quid fieri oporteat.* ST. *I modò!* LE. *Nam conſtitutum eſt me non daturum eſſe ſine dote.* ST. *Quin tu i modò!*

ANNOTATIO.

182. *I modò.*] Quaſi dicas per contemptum & faſtidium, *abi, abi.*

LE. Neque enim illi damno unquam esse patiar. *ST.* abi modò!
LE. Meam negligentiam. *ST.* i modò. *LE.* ô pater!
Æquum videtur quid quod peccarim. *ST.* i modò!
LE. Potissimùm mihi id obsit. *ST.* i modò! *LE.* ô pater!
En unquam aspiciam te? *ST.* i modò! i modò! i modò!
Tandem impetravi abiret. dî vestram fidem,
Edepol re gestâ pessumè gestam probè,
Siquidem ager nobis salvus est! etsi admodum
In ambiguo est etiam, nunc quid de hâc re fuat.
Sed si alienatur, actum'st de collo meo.
Gestandus peregrè clypeus, galea, sarcina:
Effugiet ex urbe, ubi erunt factæ nuptiæ:
Ibit istàc aliquò in maximam malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quò mihi imperatum'st, etsi odi hanc domum,
Postquam exturbavit hic nos ex nostris ædibus.

INTERPRETATIO.

LE. *Nam non feram illi esse detrimento.* ST. *I modò!* LE. *Meam socordiam!* ST. *I modò!* LE. *O pater! videturne æquum, ut quod peccarim,* ST. *I modò!* LE. *Id mihi non obsit potissimùm.* ST. *I modò!* LE. *O pater! Nunquamne aspiciam te?* ST. *I modò! i modò! i modò! Tandem consecutus sum ut abiret. Dii vestram fidem, sanè rem gestam feliciter re gestâ pessumè, siquidem ager nobis est salvus! tametsi est etiam admodum in ancipiti, nunc quid fiet de hâc re. Sed si alienatur, est factum de meo collo. Gestandus longè clypeus, cassis, sarcina: effugiet ex urbe, quando nuptiæ futurnt celebratæ: perget istàc aliquò in maximam malam crucem prædatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam. Ibo huc, quò mihi est imperatum, etsi odi hanc domum, postquam hic nos exturbavit ex nostris ædibus.*

ANNOTATIONES.

189. *En unquam.*] Antiquitùs pro *unquamne?* Virgil. 1. Ecl. *En unquam patrios lares, &c.* Et alibi: *En erit unquam illa dies?*

191. *Rem gestam probè.*] Quasi dicat: tametsi rem hactenùs malè gessimus, tamen & hoc benè gessimus, quòd inde filia heri collocata sit in tam luculentam familiam, & salvus nobis maneat ager noster.

198. *Latrocinatum.*] Id est, *militatum, bellatum.*

ACTUS TERTIUS.

ARGVMENTVM.

DELIBERANT Megaronides & Callicles, Charmidis amici duo, de dandâ Charmidis filiâ in matrimonium Lysiteli Philtonis

tonis filio, & de dote. Statuuntque mille nummos dare, & de conducendo Trinummo, qui fingat eos afferre cum litteris à Charmide; sed à Thesauro in ædibus Charmidis defosso depromendos esse constituunt.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

STASIMUS nunciat Callicli seni posci à Lysitele in matrimonium Charmidis filiam Lesbonici sororem.

CALLICLES senex, STASIMVS servus.

CALLICLES.

QUO MODO tu istuc, Stasime, dixisti? nostrum herilem filium
Lesbonicum suam sororem despopondisse? *ST.* hoc modo.
CA. Cui homini despondit? *ST.* Lysiteli Philtonis filio,
Sine dote. *CA.* sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. *ST.* at tu edepol nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero. *CA.* quid? *ST.* me nihili pendere.
CA. Quamdudum istuc, aut ubi actum'st? *ST.* illicò hîc ante ostium.
Tam modò, inquit Prænestinus. *CA.* tanton' in re perditâ,
Quàm in re salvâ, Lesbonicus factus est frugalior?
ST. Atque equidem ipsus ultrò venit Philto oratum filio.
CA. Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.
Postremò edepol ego istam rem ad me attinere intellego.

INTERPRETATIO.

CA. *Quo pacto, Stasime, tu dixisti id? Filium nostri Domini Lesbonicum despopondisse suam sororem?* ST. *Hoc modo.* CA. *Cui homini despondit?* ST. *Lysiteli filio Philtonis, sine dote.* CA. *Ille illam inducet in tantas opes sine dote? Non dicis verisimile.* ST. *At tu per ædem Pollucis credideris: si non credis hoc, ego credidero.* CA. *Quid?* ST. *Me pendere nihil.* CA. *A quo tempore, aut ubi hoc factum est?* ST. *Statim hic ante januam. Quàm mox, ait Prænestinus.* CA. *Lesbonicus factusne est moderatior, in re eversâ, quàm in re incolumi?* ST. *Atque profectò ipse Philto venit ultrò rogatum pro filio.* CA. *Per Herculem fiet scelus, nisi detur dos virgini. Postremò ego scio id ad me pertinere.*

ANNOTATIO.

8. *Tam modò.*] Id est, *modò.* Festus notat Prænestinorum barbariem, & irridet peregrinitatem sermonis.

Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam.
ST. Propemodum quid illic festinet sentio & subolet mihi,
Ut agro evortat Lesbonicum', quando evertit ædibus.
O here Charmide, quàm absente te hîc tua res distrahitur tibi!
Utinam te rediisse salvum videam, ut inimicos tuos
Ulciscare, ut mihi, ut erga te fui & sum, referas gratiam!
„ Nimium difficile'st reperiri amicum, ita ut nomen cluet,
„ Cui tuam cùm rem credideris, sine omni curâ dormias.
Sed generum nostrum ire eccillum video cum affini suo.
Nescio quid non satis inter eos convenit. celeri gradu
Eunt uterque. ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euschemè astiterunt. huc aliquantum abscessero.
Est lubido orationem audire duorum affinium.

Interpretatio.

Ibo ad meum censorem, atque ab eo rogabo consilium. ST. *Video fermè & odoro quare ille agitetur, ne avocet Lesbonicum ab agro, postquàm ejecit ex ædibus. O here Charmide, quantum dilapidatur hìc tua res, te absente! Utinam te aspiciam reversum incolumem, ut sumas ultionem de tuis inimicis, ut mihi agas gratias quod sum & fui ejusmodi erga te! Est valde arduum, invenire amicum, sicut nomen sonat, cui, quando commiseris tuam rem, dormias citra ullam sollicitudinem. Sed ecce video nostrum socerum, accedere cum suo affini. Est aliquid in quo non consentiunt satis inter sese. Uterque ambulat veloci gradu. Ille retrahit hunc priorem pallio. Illi astiterunt haud decorè, Concessero huc aliquantum. Libet audire orationem duorum affinium.*

Annotationes.

19. *Ita ut nomen cluet.*] Id est, re non nomine tantum amicus vocavit antea ferentarium; id est, qui semper est in procinctu ad juvandum.

Cluet.] Vox & ipsi Ciceroni usurpata in Bruto.

20. *Sine omni cura dormias.*] Tibullus: *Somnus sollicitas deficit ante fores.* Statius: *Quis alta tuenti somnus.* Horatius: *Somnus agrestum lenis virorum, non humiles domos fastidit.*

22. *Celeri gradu eunt.*] Alibi: *tu es gradibus grandibus:* pro, *tu is celeri curriculo; fui*, pro *ivi.*

24. *Euschemè.*] Εὐσχημῶς, id est, *honestè, decorè.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

Lysiteles petit à Lesbonico sororem in matrimonium. Lesbonicus renuit dare sine dote. Lysiteles recusat dotem. Tandem vincit Lesbonicus, & vel agrum unum, qui ex omnibus opibus superfuerat, cogit in dotem accipere.

LYSITELES, LESBONICUS adolescentes, STASIMUS servus.

LYSITELES.

STA illico. noli avorsari, neque te occultassis mihi.
LE. Potin' ut me ire, quò profectus sum, sinas? *LY.* si in rem tuam,
Lesbonice, esse videatur, gloriæ aut famæ, sinam.
LE. Quod est facillimum, facis. *LY.* quid id est? *LE.* amico injuriam.
LY. Neque meum'st, neque facere didici. *LE.* indoctus quàm docte facis!
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi?
Qui bene cùm simulas facere mihi te, malè facis, malè consulis.
LY. Egóne? *LE.* tu næ. *LY.* quid malè facio? *LE.* quod ego nolo, id cum facis.
LY. Tuæ rei bene consulere cupio. *LE.* tu mihi es melior, quàm egomet mihi?
Sat sapio, satis in rem quæ sint meam ego conspicio mihi.
LY. An id est sapere, ut qui beneficium benevolente repudies?
LE. NULLUM BENEFICIUM esse duco id, quod, cui facias, non placet.
Scio ego & sentio ipse quid agam, neque à me officium migrat:
Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.

INTERPRETATIO.

LY. *Mane illic. Noli aversari, neque te abscondas à me.* LE. *Paterisne me pergere, quò sum profectus?* LY. *Lesbonice, patiar, si putes esse conducibile tuæ gloriæ aut famæ.* LE. *Agis, quod est facillimum.* LY. *Quid est id?* LE. *Injuriam amico.* LY. *Neque est meum, neque didici facere.* LE. *Quàm facis docte indoctus! Quid ageres, si quis te tibi commonstrasset, ut mihi esses sic odiosus? Qui facis malè, quando fingis te mihi facere benè, consulis malè.* LY. *Egóne?* LE. *Tu profectò.* LY. *Quid committo improbè?* LE. *Quando agis id quod ego nolo.* LY. *Opto consulere rectè tuis commodis.* LE. *Tu mihi es commodior, quàm ego mihi? Satis prudens sum, ego video satis ea quæ mihi sunt commoda.* LY. *Estne id sapientis viri, rejicere munus oblatum ab amico?* LE. *Existimo illud munus esse nihili, quod non acceptum est ei, cui præstes. Ego scio ipse & sentio quid faciam, neque munus abscondit à me: neque avocor tuis verbis, quominus obtemperem famæ.*

ANNOTATIO.

13. *Neque à me officium migrat.*] Aliter *neque meum se officium migrat*; in quo *migrare* activè dicitur, pro *mutare*. Lucretius:

Nec manet ulla sui similis res; omnia migrat,
Omnia cõmutat natura & vertere cogit.

Cicero: *Credo, ne communia jura migrare videantur.* Agellius: *Cassita nidum migravit.*

LY. Quid ais? (nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promeres)
Itáne tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes:
Atque honori posterorum tuorum ut vindex fieres?
Tibi patérque avúsque facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem: tu feciſti ut difficilis foret
Culpâ maximè & desidiâ, tuisque ſtultis moribus.
Præoptaviſti amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? ah! non ita est,
Cape sis virtutem animo, & corde expelle desidiam tuo:
In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut ſolitus es:
Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixè expeto;
Ut tibi sit, quî te corrigere possis: ne omnino inopiam
Cives objectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
LE. Omnia ego istic quæ dixisti scio, vel exsignavero:
Ut rem patriam & majorum gloriam fœdarim meûm.
„ SCIEBAM UT ESSE ME deceret: facere non quibam miser;
„ Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi:
Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.
LY. At operam perire meam sic, & te hæc dicta corde spernere,
Perpeti nequeo: simul me piget parum pudere te.

INTERPRETATIO.

LY. *Quid dicis? Non possum non dicere, ea quæ mereris: siccine demum tui majores tibi pepererunt gloriam, ut amitteres ea quæ comparaverunt antea suâ virtute, per flagitium: & ut evaderes labes honoris tuorum posterorum? Pater & avus straverunt iter pronum & expeditum ad comparandam gloriam: tu reddidisti culpâ & socordiâ, & tuis insanis moribus maximè arduum, ut anteferres tuum amorem virtuti. Nunc existimas te posse obvelare hoc modo peccata? Ah! non est sic. Indue, si vis, constantiam mente, & depone segnitiem de tuâ mente: fer opem amicis in foro, non in cubili amicæ, ut moris est. Idcircò exopto etiam atque etiam ut istum agrum retineas: ut habeas, quo te valeas emendare: ne cives, quos tu habes infensos, queant tibi exprobrare egestatem.* LE. *Ego teneo cuncta quæ loquutus es hîc, vel subsignavero, ut contaminaverim fortunas patrias, & nomen majorum meorum. Intelligebam qualem oporteret me esse: non poteram esse, infelix: ita constrictus vi Veneris, delinitus quiete in perniciem incurri: & tibi ago jam magnas gratias, sicut mereris.* LY. *Sed nequeo ferre meum laborem labi sic, & te contemnere hæc verba: unà me piget te minimè pudere.*

ANNOTATIONES.

18. *Ut vindex.*] Ut vindex fieres honori posterorum; id est, ut posterorum honorem contaminares. *Vindicare* enim interdum significat, *injectâ manu aliquid occupare per vim, quod non est suum.* Aliter, *vindicare*; id est, dimittere: ut dicitur, vindicari servus in libertatem. Revera Græcè vindicta dicitur, ἀφαίρεσις, & ἐξαίρεσις, *dimissio.* Alii pro *vindex*, scribunt *vibex*; quasi dicas esse inustam gloriæ posterorum labem & maculam.

29. *Vel exsignavero.*] Id est, *subscripsero*: adeò scitum illud, & certum puto.

32. *Otio captus.*] D. Chrysostomus: πᾶσαν κακίαν ἐδίδαξεν ἡ ἀργία: quod expressit è Scripturâ: *Omnem malitiam docuit otiositas.*

„ Et postremò, NISI ME AUSCULTAS, atque hoc ut dico facis,
„ Túte ponè te latebis facilè, ne inveniat te honor:
„ In occulto jacebis, cùm te maximè clarum voles.
Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te sponte non tuâpte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse. atque ipse amoris teneo omnes vias.
„ ITA EST AMOR; balista ut jacitur: nihil sic celere est, neque volat,
„ Atque is mores hominum moros & morosos efficit.
„ Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.
„ Cùm inopia'st, cupias; quando ejus copia'st, tum non velis.
„ Ille qui aspellit, is compellit: ille qui consuadet, vetat.
„ INSANUM EST MALUM in hospitium devorti ad Cupidinem.
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si istuc, ut facis indicium, conâre, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aquæ erit cupido. genus quî restinguas tuum.
Atque erit, si nactus, proinde ut corde amantes sunt cati,
Ne scintillam quidem relinques, genus quî congliscat tuum.
„ *LE.* Facile est inventu: DATUR IGNIS, tametsi ab inimicis petas.
Sed tu objurgans me à peccatis rapis deteriorem in viam.

INTERPRETATIO.

Et demum nisi me audis, & agis hoc, ut edico, tu te occultabis facilè ponè te, ne honor te reperiat: jacebis in obscuro, quando optabis te esse maximè illustrem. Profectò, Lesbonice, intelligo tuam mentem magnopere hebetem. Scio te peccasse, non tuâ sponte, sed amorem tibi obtudisse mentem; & ipse novi omnes vias amoris. Amor est ejusmodi, sicut contorquetur telum: est nihil tam velox, neque tam celeriter volat, atque reddit mores hominum difficiles ac stultos. Id quod ei suadetur magis, ei placet minus: id quod ei dissuadetur, ei placet. Quando abest aliquid, id *desideras; quando adest, tunc nolis. Ille qui avocat, idem incitat: ille qui hortatur, prohibet. Est insignis amentia quærere hospitium apud Cupidinem. Sed te hortor, quantum in me est, ut cogites quid velis agere. Si enitare agere id, quòd indicas te velle agere, inflammabis tuam domum. Tum optabis aquam, ut arceas ignem à tuâ familiâ. Et si inveneris, ut amantes sunt callidæ mentis, ne relinques quidem scintillam, quâ tuum genus augeatur.* LE. *Est facile reperire ignem: datur etiam, si roges ab inimicis. Sed quando me castigas ob peccata, trahis in viam pejorem.*

ANNOTATIONES.

37. *Tute ponè te.*] Id est, tu ipse tibi obstabis, & efficies ne te honor inveniat.

39. *Imperitum tuum ingenium.*] *Imperitus* veteribus *impeditus*. Sic dicebant, *arsines* pro, *adsines*, quod nos *affines*; *arferre, arvenire*, pro *adferre, advenire*.

43. *Moros.*] Μώρους, id est, *stultos*.

47. *Insanum est malum.*] Festus: *Insanum magnum*, pro *valde magnum*. Nonius: *Insanum te uterque amat*, pro, *valde*. Ausonius: *Dives insanum in modum*. Varro: *Plautus vehementer est: Insanè*, quòd *insani* faciant omnia *vehementer*. Cicero: *Insanas moles substructionum*.

49. *Tuum incendes genus.*] Ut nos vernaculo dicimus, *Vous mettrez le feu aux quatre coins de vôtre famille*.

Meam vis sororem tibi dem : suades sine dote. hoc non convenit;
Me, qui abusus sum tantam rem patriam, porrò in divitiis
Esse, agrúmque habere : egere illam autem ; ut me meritò oderit.
„ NUNQUAM ERIT alienis gravis, qui suis se concinnat levem.
Sicut dixi, faciam : nolo te jactari diutius.
LY. Tanto meliu'st te sororis caussâ egestatem exsequi,
Atque eum agrum me habere quàm te, tua quî toleres mœnia?
LE. Nolo ego mihi te tam prospicere, quî meam egestatem leves,
Sed ut inops infamis ne sim : ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse, magis quàm in matrimonium.
Quis me improbior perhibeatur esse ? hæc famigeratio
Te honestet, me autem collutulet, si sine dote duxeris.
Tibi sit emolumentum honoris : mihi quod objectent, siet.
LY. Quid ? te Dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?
LE. Neque volo, neque postulo, neque censeo ! verùm tamen
„ IS EST HONOS homini pudico, meminisse officium suum.
LY. Scio equidem te, animatus ut sis : video, subolet, sentio.
Id agis, ut ubi affinitatem inter nos nostram adstrinxeris,

INTERPRETATIO.

Exoptas ut tibi collocem meam sororem : hortaris ut dem sine dote : sed non decet, me versari diutiùs in bonis, qui dilapidavi tantas fortunas patrias, & me possidere agrum : illam verò esse inopem, adeò ut me aversetur jure. Qui studet esse facilis suis, nunquam erit difficilis aliis. Agam, sicut dixi ; nolo te agitari diutius. LY. *Est æquiùs te sororis gratiâ premi inopiâ, & me possidere eum agrum, quàm te, quò obeas tua munia ?* LE. *Nolo te tam providere mihi, quomodo succurras meæ inopiæ, verùm ut non sim unà & infamis & egenus : ne spargant hunc rumorem, me tibi collocasse meam sororem germanam, sine dote, quasi in concubinam, potius quàm in conjugium. Quis dicatur esse me scelestior ? Si duxeris sine dote, hic rumor te efferat, me verò deprimat. Tibi erit accessio gloriæ : mihi verò sit convitium.* LY. *Quid ? Existimas te fore Dictatorem, si acceperim à te agrum?* LE. *Neque opto, neque rogo, neque existimo! Attamen est hominis honesti recordari sui officii.* LY. *Profectò ego scio, quæ sit tua mens ; video, odoro, animadverto. Contendis id, ut quando conjunxeris nostram affinitatem inter nos,*

ANNOTATIONES.

61. *Tua qui toleres mœnia.*] Unde tua munia & sumptus quotidianos tolerare, ac sustinere possis.

63. *Famam differant.*] *Differre famam* est *malis sermonibus differre*, aliqui legunt *mehe*, pro *me*.

67. *Collutulet.*] Nonius : *Dedecoret, & quasi luto inquinet.*

68. *Emolumentum.*] *Emolumentum* non tantum significat *quæstum*, & quidquid conducit : sed etiam id quod est operosum ac difficile, attentionemque requirit.

69. *Quid ? te dictatorem.*] Hoc eò pertinet, quòd Lesbonicus dixerat, Lysitelem apud homines honorem consecuturum esse, si agrum non accipiat ; se verò dedecus. Quid, inquit Lysiteles, si agrum mihi dederis ? téne Dictaturam consecuturum putas ?

Atque eum agrum dederis, nec quicquam hîc tibi sit, quî vitam colas,
Effugias ex urbe inanis, profugus patriam deseras,
Cognatos, affinitatem, amicos, factis nuptiis:
Meâ operâ hinc proterritum te, meâque avaritiâ autument.
Id me commissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
ST. Non enim possum quin exclamem: Euge! euge! Lysiteles, πάλιν!
Facile palmam habes. hic victus. vicit tua Comœdia.
Hic agit magis ex argumento, & versus meliores facit.
Etiam ob stultitiam tuam te tueris? multam abomina.
LE. Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessio est?
ST. Eodem pacto, quo huc accessi, abscessero. *LE.* i hàc mecum domum,
Lysiteles: ibi de istis rebus plura fabulabimur.
LY. Nihil ego in occulto agere soleo. meus ut animus est, eloquar:
Si mihi tua soror, ut ego æquum censeo, ita nuptum datur
Sine dote, neque tu hinc abiturus; quod meum erit, id erit tuum:
Sin aliter animatus es, bene quod agas, eveniat tibi!
Ego amicus nunquam tibi ero alio pacto. sic sententia est!
ST. Abiit hercle ille quidem. ecquid audis, Lysiteles? ego te volo.
Hic quoque hinc abiit. Stasime, restas solus. quid ego nunc agam?
Nisi uti sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:

Interpretatio.

atque dederis eum agrum, tibi nihil sit hic, quo toleres vitam; celebratis nuptiis, effugias ex urbe egenus, relinquas patriam fugitivus, cognatos, affinitatem, amicos: existiment te ejectum hinc meâ culpâ, meâque avaritiâ. Ne existimes me id facturum, ut patiar fieri. ST. *Nam non possum quin exclamem: Euge! Euge! Lysiteles, obtines facile victoriam! hic est superatus. Tua Comœdia est anteponenda. Hic eam exhibet magis ex ratione argumenti, & condit versus meliores. Te ipse defendis tuâ amentiâ? Abominare plurimum.* LE. *Quare nos interpellas, aut accedis huc in consilium?* ST. *Migrabo eodem modo, quo accessi huc.* LE. *I hàc mecum domum Lysiteles; dicemus plura de istis rebus.* LY. *Ego nihil soleo agere in occulto. Eloquar, ut est meus animus: si tua soror mihi datur, nuptum, sine dote ut ego existimo esse justum: neque tu abiturus hinc; id quod erit meum, erit tuum: sin es affectus aliter, tibi id quod agas, vertat benè! Ego nunquam ero alio modo, tuus amicus, mens est sic.* ST. *Profectò ille excessit. Quid auscultas, Lysiteles? Ego te cupio. Hic abiit hinc quoque. Stasime, superes solus. Quid agam ego jam? Nisi ut constringam sarcinam, & accommodem clypeum ad dorsum:*

Annotationes.

79. Πάλιν.] *Rursus.*

81. *Multam abomina.*] Id est, *abominare*; quasi dicat: audes contendere cum Lysitele, in tuam rem loquente, & repugnare? Sile, & propter peccata abominare; id est, verere multam.

Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis: non ſiſti poteſt.
Video caculam militarem me futurum haud longiùs:
Aut aliquem ad regem in ſaginam herus ſe conjecit meus.
Credo ad ſummos bellatores acrem fugitorem fore:
Et capturum ſpolia ibi illum qui meo hero adverſus venerit.
Egomet autem cùm extemplò arcum mihi, & pharetram, & ſagittas ſumpſero,
Caſſidem in caput, dormibo placidè in tabernaculo.
Ad forum ibo: nudius ſextus cui talentum mutuum
Dedi, repoſcam, ut habeam mecum quod feram viaticum.

INTERPRETATIO.

jubeam ſuffigi ſoleas ſoccis; non poteſt retineri. Video me futurum brevi calonem: aut meus herus conceſſerit apud aliquem divitem, apud quem ſaginatur. Puto fore neminem in fugâ magis ſtrenuum inter bellatores: & illum capturum ibi prædam, qui occurrerit meo hero. Ego verò quando accepero arcum, & pharetram, & ſagittas, caſſidem in caput, dormiam quietè in tentorio. Ibo ad forum: repetam talentum ab eo cui dedi mutuum nudius ſextus, ut habeam viaticum, quod deferam mecum.

ANNOTATIONES.

94. *Fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis.*] Id eſt, jubeam *fulcimenta* ſeu *fulmenta* ſubſui ſoccis, ut ſint ſolidiores & firmiores. Feſtus: *Calceamenta clavis fixa* ſunt *clavata*; qui ea conficiunt *clavarii*. *Fulmenta* autem ſunt *Soleæ*, ſeu *Solum*. *Suppactum*, ſubauditur *Solum*, *Suppingere*, ſubauditur *calceos*. In Bacchidibus, *qui ſoccis habeat aurum ſuppactum ſolum*, id eſt, *qui ſoleas ſoccorum habet ſuppactas, & ſuffixas clavis aureis*. Apud veteres ſuffigi ſolebant ſoleæ calceorum argenteis aureiſque clavis. Dicitur de Anthiochi exercitu, quòd magna ex parte aureos clavos crepidis ſubjectos habuerit. Plinius refert de purpurato quodam Alexandri magni; quod *aureis clavis crepidas ſuffigere ſolebat*.

95. *Caculam.*] Idem quod *calo*; *calones* autem dicti ſunt, ἀπὸ τοῦ καλᾶν, *à ligno*, quòd eorum eſſet militibus *ligna* ſuppeditare; vel quòd ligneis clavis utebantur ad tutelam dominorum. *Lixæ* etiam appellabantur à *lixâ*, veteri voce quæ aquam ſignificat.

Haud longius.] Id eſt, *propè diem*.

96. *Saginam.*] Alii *ſagenam*. Eſt autem *Sagena*, retis genus, in quod cum incurrerunt piſces nullo pacto ſeſe extricare poſſunt. *Sagina* verò eſt hoc loco ſeſe alicui mancipare non ad laborem, ſed ad otium & ſaginam. Unde Propertius:

Qui dabit immundæ venalia fata ſaginæ,
Vincet ubi craſſas barba pudenda genas.

In otioſum dicitur, & pinguedine diſtentum.

97. *Acrem fugitorem.*] Quaſi dicat: ego novi, quàm acris & fortis ſis, non bellator; ſed *fugitor* ad ſummos autem bellatores; id eſt, ſi conferaris cum ſummis bellatoribus; ut ſuprà in Captivis: *Nam ad ſapientiam hujus ille nimius nugator fuit*; id eſt, *Si Thaletem compares cum hujus ſapientia, &c.*

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

MEGARONIDES & Callicles deliberant de dote Charmidis filiæ dandâ, unde accipienda, ſtatuuntque eſſe depromendam de theſauro, qui conditus eſt in ædibus Charmidis; & ne reſciat Lesbonicus Charmidis filius, allegandum eſſe Trinummum, qui fingat apud Lesbonicum, ſe litteras à Charmide afferre duas, alteram Lesbonico, alteram Callicli reddendam, in quibus de dote mille nummorum filiæ Charmidis agatur.

MEGARONIDES, CALLICLES ſenes duo.

MEGARONIDES.

UT mihi rem narras, Callicles, nullo modo
Poteſt fieri prorſus, quin dos detur virgini.
CA. Namque hercle honeſtè fieri fermè non poteſt,
Ut eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cùm ejus rem penes me habeam domi.
ME. Parata dos domi'ſt, niſi exſpectare vis,
Ut eam ſine dote frater nuptum colloçet:
Pòſt adeas túte Philtonem, & dotem dare
Te ei dicas: facere id ejus ob amicitiam patris.
Verûm hoc ego vereor, ne iſtæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.
Non temerè dicant te benignum virgini,
Datam tibi dotem, ei quam dares, ejus à patre.
Ex eâ largiri te illi; neque ita, ut ſit data, *in-*
columen te ſiſtere illi, & detraxe autument.
Nunc ſi opperiri vis adventum Charmidis.

INTERPRETATIO.

ME. *UT mihi exponis rem, Callicles, nullo pacto poteſt fieri, quin detur dos virgini.* CA. *Etenim per Herculem nequit fieri, ut ſinam eam jungi matrimonio ſine dote, interea dum habeo ejus bona domi in meâ poteſtate.* ME. *Dos eſt parata domi, niſi cupias expectare, ut frater eam det nuptum ſine dote: poſtea tu convenias Philtonem, & dicas te ei daturum dotem: te agere id amicitiæ gratia ejus patris. Sed metuo ne hæc promiſſa te exponant convitiis populi atque contumeliis, ne prædicent te non eſſe ſine ratione liberalem in virginem, tibi datam eſſe dotem, quam ei dares, ab ejus patre. Te in eam eſſe liberalem ex eâ, & ne exiſtiment te non illi reddere incolumem, ut eſt data; ſed te detraxiſſe. Nunc ſi libet expectare adventum Charmidis.*

Perlongum'ſt : huic ducenti interea abſceſſerit.
CA. Nam hercle omniæ iſtæc veniunt in mentem mihi.
ME. Vide ſi hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeam Leſbonicum, edoceam ut res ſe habet.
CA. Ut ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac laſciviæ?
Minimè minimè hercle verò! nam certò ſcio
Locum quoque illum omnem, ubi ſitu'ſt, comederit,
Quem fodere metuo, ſonitum ne ille exaudiat,
Neu ipſam rem indaget, dotem dare ſi dixerim.
ME. Quo pacto ergo igitur? *CA.* clàm dos depromi poteſt,
Dum occaſio ei rei reperiatur : interim
Ab amico alicunde argentum roges.
ME. Potin' eſt ab amico alicunde exorari? *CA.* poteſt.
ME. Gerræ! næ tu illud verbum actutum inveneris,
Mihi quidem hercle non eſt quod dem mutuum.
CA. Malim hercle ut verum dicas, quàm ut des mutuum.
ME. Sed vide conſilium, ſi placet. *CA.* quid conſili'ſt?
ME. Scitum, ut ego opinor, conſilium inveni. *CA.* quid eſt?
ME. Homo conducatur aliquis jam, quantum poteſt,
Quaſi ſit peregrinus. *CA.* quid is ſcit facere poſtea?
ME. Is homo exornetur graphicè in peregrinum modum,
Ignota facies, quæ non viſitata ſit,
Falſidicum, confidentem. *CA.* quid tum poſtea?

INTERPRETATIO.

Eſt diuturnum : interim fraudabitur Lyſiteles, qui puellam ducit. CA. *Etenim per Herculem cuncta hæc mihi veniunt in animum.* ME. *Vide ſi arbitraris id utilius atque conducibilius, ut conveniam Leſbonicum, aperiam quemadmodum res ſeſe habeat.* CA. *Ut ego detegam nunc theſaurum juveni feroci, ardenti amore, & petulantiâ? Nequaquam per Herculem! nam pro certo habeo abſumpſerit, etiam omnem illum locum, ubi eſt poſitus: timeo eum effodere, ne ille audiat ſonitum, ne inveſtiget rem ipſam, ſi dixerim me daturum dotem.* ME. *Quomodo ergo?* CA. *Poteſt depromi dos occultè, interea dum ſeſe offerat occaſio illius rei : interim petas alicunde pecuniam à quopiam amico.* ME. *Poteſtne exorari alicunde ab amico?* CA. *Poteſt.* ME. *Nugæ! Profectò tu reperies illico in ore omnium hoc verbum; per Herculem mihi non habeo quod tribuam commodato.* CA. *Per Herculem malim ut dicas verum, quàm ut des mutuum.* ME. *At vide conſilium, ſi placet.* CA. *Quodnam conſilium eſt?* ME. *Reperi, ut ego exiſtimo, rectum conſilium.* CA. *Quid eſt?* ME. *Conducatur aliquis homo nunc, quamprimùm fieri poterit, quaſi ſit peregrinus.* CA. *Quid faciat deinceps?* ME. *Ille homo veſtiatur ſcitè, ſicut peregrinus, vultus ignotus, inuſitatus, falſidicus, audax.* CA. *Quid deinceps?*

ANNOTATIONES.

17. *Ducenti abſceſſerit.*] Id eſt, ducendi voluntas, vel, ducenti puellam juveni dos. Quaſi dicat : ſi operiri voles tantiſper fortè ducendæ virginis voluntatem, abjiciet Lyſiteles.

36. *Quantum poteſt.*] Id eſt, *Cum primùm fieri poterit.*

ME. Quasi ad adolescentem à patre ex Seleucià
Veniat, salutem ei nunciet verbis patris,
Illum bene gerere rem, & valere & vivere,
Et eum rediturum actutum. ferat epistolas
Duas: eas nos consignemus, quasi sint à patre:
Det alteram illi, dicat alteram tibi
Dare sese velle. *CA.* perge porrò dicere.
ME. Séque aurum ferre virgini dotem à patre
Dicat, patremque id jussisse aurum tibi dare.
Tenes jam? *CA.* propemodum! atque auscultо perlubens.
ME. Tum tu igitur demum id adolescenti aurum dabis,
Ubi erit locata virgo in matrimonium.
CA. Scitè hercle sanè. *ME.* hoc, ubi thesaurum effoderis,
Suspicionem ab adolescente amoveris.
Censebit aurum esse à patre allatum tibi.
Tu de thesauro sumes. *CA.* satis scitè & probè.
Quanquam hoc me ætatis sycophantari pudet.
Sed epistolas quando obsignatas afferet,
Siquidem obsignatas attulerit epistolas,
Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum noviisse? *ME.* etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem caussæ possunt colligi:
Illum quem habuit, perdidit, alium pòst fecit novum.
Jam si obsignatas non feret, dici hoc potest,
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse. in hujusmodi negotio
Diem sermone terere, segnities mera'st.
Quamvis sermones possunt longi texier.

INTERPRETATIO.

ME. *Quasi veniat ex Seleucià ad adolescentem à patre, eum jubeat salvere verbis patris, illum gerere rectè rem, & valere & vivere, & eum reversurum brevi. Gerat duas epistolas: nos obsignemus eas, quasi sint à patre: illi det alteram, dicat sese velle tibi dare alteram.* CA. *Prosequere porrò.* ME. *Et dicat se ferre aurum virgini dotem à patre, patrémque imperasse tibi dare id aurum. Scis jam?* CA. *Fermè! & audio lubenter.* ME. *Tum demum ergo tu dabis id aurum juveni, quando virgo erit collocata in matrimonium.* CA. *Festivè profectò.* ME. *Quando effoderis thesaurum, averteris suspicionem, hoc modo, ab adolescente. Existimabit aurum tibi fuisse allatum à patre. Tu accipies de thesauro.* CA. *Satis eleganter & probè. Quamvis me pudet sycophantam agere hâc ætate. Verùm quando afferet epistolas sigillo munitas, dummodò attulerit litteras sigillo communitas, nonne existimas illum juvenem cognoscere signum annuli patris?* ME. *Tu etiam siles? Possunt conferri in unum sexcenta rationes hujus rei: amisit illum quem habebat, postea fecit aliud novum. Nam si ferat minimè obsignatas, potest dici hoc, eas fuisse apertas apud tabellarium, & visas. Est mera negligentia consumere diem sermone in hacce re. Tametsi possunt instituи longæ orationes.*

Abi ad thesaurum jam confestim clanculum,
Servos, ancillas amove. atque audin'? *CA.* quid est?
ME. Uxorem quoque ipsam hanc rem ut celes, face.
Nam pol tacere nunquam quicquam'st quod queat.
Quid nunc stas, quin te hinc amoves, & te moves?
Aperi, deprome inde auri ad hanc rem quod sat est.
Continuò operito denuò: sed clanculum,
Sicut præcepi: cunctos exturba ædibus.
CA. Ita faciam. *ME.* at enim nimis longo sermone utimur.
Diem conficimus, quod jam properato'st opus.
Nihil est de signo quod vereare, me vide!
Lepida est illa caussa, ut commemoravi, dicere,
Apud portitores esse inspectas. denique
Diei tempus non vides? quid illum putas
Naturâ illâ atque ingenio? jamdudum ebriu'st.
Quidvis probari poterit. tum, quod maxumum est,
Afferre, non petere hic se dicet. *CA.* jam sat est.
ME. Ego sycophantam jam conduco de foro,
Epistolasque jam consignabo duas,
Eumque huc ad adolescentem meditatum probè
Mittam. *CA.* eo ego igitur intrò ad officium meum.
Tu istuc age. *ME.* actum reddam. nugace sunt nisi.

Interpretatio.

Vade jam ad thesaurum velociter clam, amove servos, ancillas: audisne? CA. *Quid est?* ME. *Face etiam ut celes uxorem hanc rem. Nam per Pollucem est nihil quod possit celare unquam. Quid stas jam? Quin fugis hinc & te moves loco? Resera, deprome inde quod est satis auri ad hanc rem. Statim tege rursus: at occultè, sicut mandavi. Exturba omnes ex ædibus.* CA. *Faciam sic.* ME. *Sed versamur in longa oratione. Confecimus diem, quo opus est accelerato. Vide, est nihil quod formides de signo! Illa causa est festiva, ut institui dicere, esse visas apud tabellarios. Demum non vides tempus diei? Quid existimas hunc illâ indole atque animo? Est ebrius jampridem, poterit suaderi quidvis. Tum hic dicet, se afferre, quod est maximum, non rogare.* CA. *Nunc sat est.* ME. *Ego nunc conduco sycophantam de foro, jamque consignabo duas epistolas, eumque mittam huc ad juvenem egregiè doctum. Igitur ego introeo ad meum officium. Fac id.* ME. *Perficiam.*

Annotationes.

83. *Jam dudum ebriu'st.*] Aucupantur senes tempus ad prudenter decipiendum Lesbonicum, quo videlicet jam sit temulentus.

90. *Actum reddam.*] Quasi dicat: alia cura hujus perficiendi provinciam in me recipio.

Nugace.] Pro *nugax*. Dicebant veteres *nugas adassint*, pro *adaxint*. Quasi dicat *nugax sim*, nisi *actum reddidero*.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

TRINUMMUS, ab senibus duobus Megaronide & Callicle allegatus, adest, cum duabus epistolis : habitu, & oratione ad sycophantiam compositâ incidit in Charmidem ipsum, à quo se missum mentiebatur. Nihil est in totâ hâc Fabulâ magis ingeniosum, ac festivum.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CHARMIDES reversus in patriam gratias agit Neptuno, quod salvus & incolumis evaserit ex periculis maximis. Et defendit ipsum Neptunum adversus eos, qui insimulant eum, propter tempestates & naufragia, quibus jactantur & pereunt.

CHARMIDES senex.

SALSIPOTENTI & multipotenti Jovis fratri, & Nerei Neptuni,
Lætus, lubens, laudes ago, & grates gratiásque habeo, & fluctibus salsis,
Quòm penes me potestas bonis mis quid foret, & meæ vitæ :
Quom suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt.
Atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo summas.

INTERPRETATIO.

LAudo & gratias ago hilariter, lubenter Nereo Neptuno fratri Jovis, domino maris omnipotenti, & fluctibus salsis, penes quos fuerunt, quidquid bonorum fuit, ego & mea vita : quoniam me reducunt ex suis locis in patriam & in mœnia urbis. Atque ego, Neptune, tibi ago gratias maximas & habeo prater alios deos.

ANNOTATIO.

1. *Salsipotenti.*] Horatius : *Potenti maris Deo.*

Nam te omnes sævumque severumque atque avidis moribus commemorant,
Spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum. contrà operâ expertus:
Nam pol placido te & clementi meo usque modo, ut volui, usus sum in alto.
Atque hanc tuam gloriam jam antè auribus acceperam, & nobiles apud homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.
Abi! laudo! scis ordine, ut æquum'st,
„ Tractare homines. Hos DIS DIGNUM'ST, semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti. infidum esse iterant. nam absque foret te, sat scio in alto
Distraxissent, disque tulissent satellites tui me miserum fœdè,
Bonaque omnia item unà mecum passim cæruleos per campos.
Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti:
Imbres fluctusque atque procellæ infensæ frangere mâlum,
Ruere antennas, scindere vela, nî tua pax propitia foret præstò.
Apage me sis! deinde hinc certum'st otio me dare. satis partum habeo,
Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro!

INTERPRETATIO.

Nam cuncti prædicant te ferocem & moribus cupidis, immundum, crudelem, intolerandum, insanum. Experientiâ didici te non esse ejusmodi: etenim sum expertus te in mari quietem, atque levem meo arbitrio, ut volui. Et quidem audiveram auribus jam anteà apud homines nobiles tuam benignitatem, te consuetum ignoscere egenis, vexare opulentos & domare. Abi! laudo! nosti agere cum hominibus ordine, ut est par, id est, dignum Diis, ut sunt semper propitii indigis. Fuisti fidus. Quamquam dicent te esse infidum. Nam nisi tu prohibuisses, tui satellites, satis scio, dilacerassent miserè in mari, & dissipassent fœdè me infelicem & universas fortunas simul mecum passim per agros cæruleos. Adeò turbines venti circumveniebant jam navem, non aliter ac canes: imbres undæque atque procella conjurata rumpere malum, dejicere antennas, lacerare vela, nisi fuisses propitius. Abduc me, si placet! constitui me dedere deinceps hinc otio. Habeo satis comparatum divitiarum. *Cum quot molestiis colluctatus sum, dum paro opes filio!*

ANNOTATIONES.

7. *Spurcificum.*] Nonius: *Sævum sanguinarium.*

13. *In alto distraxissent, disque tulissent.*] Virgilius:

Haud procul inde citæ metum in diversa quadrigæ
Distulerant.

15. *Cæruleos campos.*] Id est, *mare.* Lucretius lib. 5.

Maxima qua nunc se ponti plaga cærula tendit.

Virgilius:

Annixi torquent spumas & cærula verrunt.

Alibi: *Natantes campos; liquentes campos; salis campos; arva Neptunia* appellat.

Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque
Simul? pol! quanquam domum cupio, opperiar hîc, quam gerat rem.

INTERPRETATIO.

Sed quis est hic, qui ingreditur in plateam, cum novo habitu, & nova specie simul? Per Pollucem! tametsi opto ire domum, expectabo, ut videam, quid agat.

ANNOTATIONES.

11. *Specieque simul.*] Alii *simula*, id est, *simulata*, veteres enim *simule*, *simulate*, & *ficte*.

22. *Domum cupio.*] Alii *domi*. Ut est in Terentio: *quasi domi cupidus.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

SCENA hæc tota est jucunda ludificatio Sycophantæ à Charmide, in quem ex improviso incidit, facta.

SYCOPHANTA, CHARMIDES senex.

SYCOPHANTA.

HUic ego diei nomen TRINUMMO faciam: nam ego operam meam
Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.
Advenio ex Seleuciâ, Macedoniâ, Asiâ, atque Arabiâ,
Quas ego neque oculis, neque pedibus unquam usurpavi meis.
„ Viden' EGESTAS quid negotii dat homini misero mali!
Qui ego nunc subigor trium nummorum caussâ, ut has epistolas
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque novi: neque natus, nécne is fuerit, id solidè scio.
CH. Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum tegit:

INTERPRETATIO.

SY. *Appellabo hunc diem Trinummum: nam collocavi hodie meam industriam tribus nummis ad artes ludicras. Venio ex Seleuciâ, Macedoniâ, Asiâ, & Arabiâ, quas nunquam, aut vidi oculis, aut pedibus peragravi. Cernisne quid inopia accersit molestiarum homini calamitoso! Ego cogar jam dicere, propter tres nummos, me accepisse ab eo homine has epistolas, quem ego ignoro, qui homo sit. Neque novi: neque scio certò, utrum is fuerit natus, nécne.* CH. *Per Pollucem, hic est de prosapiâ fungorum; se operit totum capite:*

ANNOTATIONES.

4. *Oculis usurpavi.*] *Usurpare oculis; usurpare sensibus*, id est, *videre; sentire.*

9. *Fungino genere est.*] *Fungi* nihil aliud sunt fermè, quàm caput. De petaso seu pileo Sycophantæ.

Hillurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.
SY. Ille qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum.
Quæ voluit, mihi dixit: docuit, & prænonstravit prius,
Quomodo quicque agerem. nunc adeò, si quid ego addidero amplius,
Eò conductor melius de me nugas conciliaverit.
„Ut ille me exornavit, ita sum ornatus. ARGENTUM HOC FACIT.
Ipse ornamenta à Chorago hæc sumpsit suo periculo.
Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam: ut me esse ipsum planè sycophantam sentiat.
CH. Quàm magis specto, minus placet mihi hominis facies, mira sunt,
Ni illic homo'st aut dormitator, aut sector zonarius.
Loca contemplat, circumspectat sese, atque ædis noscitat.
Credo edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca.
Magis lubido'st observare, quid agat: ei rei operam dabo.
SY. Has regiones demonstravit mihi ille conductor meus:
Apud illas ædis sistendæ mihi sunt sycophantiæ.
Fores pultabo. *CH* ad nostras ædes hic quidem habet rectam viam.
Hercle opinor mihi advenienti hâc noctu agitandum est vigilias.

INTERPRETATIO.

vultus hominis videtur ex Illyria; accedit hoc ornatu. SY. *Ille qui me locavit, ubi locavit, abduxit domum, mihi dixit quæ libuit: docuit & prænonuit anteà, quâ ratione quidve facerem. Nunc adeò, si ego addidero aliquid amplius, qui me conduxit, proferet eò melius nugas meâ operâ. Sum vestitus, ita ut ille me vestiit. Pecunia præstat hoc. Ipse sumpsit hæc ornamenta suis damnis à Chorago. Jam si ego potero decipere hominem vestibus, efficiam: ut intelligat me esse planè sycophantam.* CH. *Quò magis specto faciem hominis, mihi placet minus; fallor, nisi ille homo est aut fur, aut sector zonarius. Lustrat loca, sese circumspicit, atque cognoscit ædes. Existimo profectò, contemplatur loca, ut veniat mox furatum. Libet observare magis quid faciat, dabo operam ei rei.* SY. *Qui me locavit mihi demonstravit has regiones: sycophantiæ mihi sunt depromendæ apud illas ædes: feriam fores.* CH. *Hic profectò tenet viam rectam ad nostram domum. Existimo sanè esse agitandas vigilias, hâc nocte, mihi advenienti.*

ANNOTATIONES.

14. *Eò conductor melius.*] Si ea, quæ doctus sum expolivero, tanto melius conductor, meâ operâ, rem nugatoriâ fecerit.

16. *A Chorago.*] Choragus est scenici apparatûs præfectus. Hinc Choragium, locus unde omnia ad ludos necessaria promuntur.

20. *Dormitator.*] Id est, *Fur.* Hesiodus: ἡμερόκοιτον, *furem* appellat, quod interdiu dormiat, noctu furetur. ἡμεροκλέπται, *nocturni grassatores*: passim dicuntur.

Sector zonarius.] Βαλαντόμος, *Crumenisecæ, crumenisex, saccularius*; crimen *crumenisecium*. Antiquitus crumenam de zonis pendentem gerebant, vel in ipsis zonis insinuabant pecuniam.

27. *Agitandum est vigilias.*] Virgilius: *pacem Trojano à rege petendum est.* Cicero: *Quam viam nobis quoque ingrediendum sit.* Hellenismus est, ἀκροατέον αὐτοῦ: *istos audiendum.*

SY. Aperite

SY. Aperite hoc, aperite. heus ! ecquis his foribus tutelam gerit ?
CH. Quid adoleſcens quæris ? quid vis ? quid iſtas pultas ? *SY.* heu ſenex !
Cenſus cum juratori rectè rationem dedi,
Leſbonicum hîc adoleſcentem quæro, in his regionibus
Ubi habitet, & item alterum ad iſtanc capitis albitudinem:
Calliclem aiebat vocari, qui has mihi dedit epiſtolas.
CH. Meum gnatum hic quidem Leſbonicum quærit & amicum meum,
Cui ego liberósque bonáque commendavi, Calliclem.
SY. Fac me, ſi ſcis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.
CH. Quid eos quæris ? aut quis es ? aut unde es ? aut unde advenis ?
SY. Multa ſimul rogitas ! neſcio quid expediam potiſſimum.
Sin unumquidquid ſingillatim & placidè percunctabere,
Et meum nomen, & mea facta, & itinera ego faxo ſcias.
CH. Faciam ita ut vis. agedum nomen tuum primùm memora mihi.
SY. Magnum facinus incipiſſis petere. *CH.* quid ita ? *SY.* quia, pater,
Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine,
Concubium ſit noctis, priusquam ad poſtremum perveneris.
CH. Opus face eſt & viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.
SY. Eſt minuſculum alterum, quaſi vaſculum vinarium.
CH. Hic homo ſolidè ſycophanta eſt. quid ais tu, adoleſcens ?
SY. quid eſt ?

INTERPRETATIO.

SY. Pandite hoc, pandite. Heus ! Ecquis tuetur has fores ? CH. *Quid quæris adoleſcens ? Quid vis ? Quid feris iſtas fores ?* SY. *Heu ſenex ! Sum relatus in cenſum, ſi tradidi rectè rationem quæſtori; quæro ubi maneat Leſbonicus adoleſcens in his regionibus, & item alium perinde canum atque hoc caput eſt : dicebat ſe appellari Calliclem, qui mihi dedit has litteras.* CH. *Hic profectò quærit Leſbonicum meum filium, & meum amicum Calliclem, cui ego commiſi liberos & fortunas.* SY. *Doce me, pater, ſi ſcis, ubi maneant hi homines.* CH. *Quare eos quæris ? Aut quis es ? Aut unde es ? Aut unde venis ?* SY. *Rogas uno tempore multa ! Ignoro quid reſpondebo primùm, niſi fortè interroges ſigillatim & leviter unumquodque, ego efficiam ut cognoſcas & meum nomen, & mea geſta, & mea itinera.* CH. *Faciam ſicut vis. Agedum dic mihi primùm tuum nomen.* SY. *Incipis rogare rem arduam.* CH. *Quid ita ?* SY. *Quia, pater, ſi incipias ante lucem ire à meo primo nomine, erit concubium noctis, antequam perveneris ad poſtremum.* CH. *Adhibenda eſt fax & viaticum ad tuum nomen, ut tu dicis.* SY. *Eſt alterum minuſculum, velut vas vinarium.* CH. *Hic homo eſt planè ſycophanta. Quid dicis tu, adoleſcens ?* SY. *Quid eſt ?*

ANNOTATIONES.

30. *Cenſus cum juratori dedi.*] *Conjurator* erat apud quem peregrini profiteri cogebantur, & nomina & patriam, & negotia. Græcè, συνωμότης, *conjurator*, ſeu *cenſor*. *Conjurator* fortè ſignificat juratoris ſocium & collegam.

45. *Opus face eſt & viatico.*] Quaſi dicat Charmides: ſi tuum nomen eſt tam longum, ut ne intra unum quidem diem pronunciari poſſit, eſt opus tibi face & viatico, ne lux te victuſque deficiat.

CH. Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
SY. Pater istius adolescentis dedit has duas mihi epistolas
Lesbonici. mihi est amicus. *CH.* teneo hunc manifestarium.
Me sibi epistolas dedisse dicit. ludam hominem probè.
SY. Ita ut occepi, si animum advortas, dicam. *CH.* dabo operam tibi.
SY. Hanc me jussit Lesbonico suo gnato dare epistolam,
Et item hanc alteram suo amico Callicli jussit dare.
CH. Mihi quoque edepol, quòm hic nugatur, contrà nugari lubet,
Ubi ipse erat? *SY.* bene rem gerebat. *CH.* ergo ubi? *SY.* in Seleuciâ.
CH. Ab ipson' istas accepisti? *SY.* è manibus dedit mihi ipse in manus.
CH. Quâ facie est homo? *SY.* sesquipede quidem est quàm tu longior.
CH. Hæret hæc res; siquidem ego absens sum, quàm præsens, longior.
Novistin' hominem? *SY.* ridiculè rogitas, quo cum unà cibum
Capere soleo. *CH.* quid est ei nomen? *SY.* quod edepol homini probo.
CH. Lubet audire. *SY.* ille edepol! illi illi! væ misero mihi!
CH. Quid est negotii? *SY.* devoravi nomen imprudens modò,
CH. Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet.
SY. Atque etiam modò versabatur mihi in labris primoribus.
CH. Temperi huic hodie anteveni. *SY.* teneor manifestò miser!

INTERPRETATIO.

CH. *Dic quid tibi negotii est cum istis hominibus, quos tu quaritas?* SY. *Pater istius adolescentis Lesbonici, & meus amicus, mihi dedit has epistolas.* CH. *Deprehendo hunc manifestè: ait me tibi tradidisse epistolas. Ludificabo egregiè hominem.* SY. *Loquar sicut incepi, si advertas mentem.* CH. *Te audiam.* SY. *Mihi imperavit reddere hanc litteram Lesbonico suo filio, & mandavit etiam dare hanc Callicli suo amico.* CH. *Per ædem Pollucis, quandoquidem hic nugatur, mihi lubet nugari etiam ex adverso. Ubi erat ipse?* SY. *Gerebat rem benè.* CH. *Ubi inquam?* SY. *In Seleuciâ.* CH. *Accepistine illas* litteras *ab illo?* SY. *Mihi tradidit ipse è manibus in manus.* CH. *Quo vultu est homo?* SY. *Est quidem altior te pede & dimidio.* CH. *Hæc res cohæret; videlicet, ego sum absens procerior, quàm præsens. Novistine hominem?* SY. *Interrogas ridiculè utrum noscam eum, cum quo consuevi sumere cibum unà.* CH. *Quomodo vocatur?* SY. *Profectò est nomen quod homini bono.* CH. *Libet audire.* SY. *Ille profectò! ille ille! væ mihi misero!* CH. *Quid est rei?* SY. *Excidit mox imprudenti.* CH. *Non placet, qui tenet amicos inclusos intra dentes.* SY. *Atque etiam modò mihi erat in ore.* CH. *Hunc anteverti hodie tempestivè.* SY. *Teneor manifestò, miser!*

ANNOTATIONES.

59. *Hæret hæc res.*] Non benè capio, quid id sibi velit.

62. *Ille edepol! illi! illi.*] Est conatus vocis reddendæ, qualis est ille hominum non benè recordantium eorum, quæ sunt aggressi dicere.

66. *Temperi.*] Id est, *tempestivè.*

CH. Jámne commentatus es nomen ? *SY.* deûm hercle me atque hominum pudet. [ſolet,

„ *CH.* Vide homo ut hominem noveris. *SY.* tanquam me. FIERI ISTUC

„ Quod in manu teneas atque oculis videas, id deſideres.

Literis recommíniſcar. C eſt principium nomini.

CH. Callicias ? *SY.* non eſt. *CH.* Callippus ? *SY.* non eſt. *CH.* Callidemides ?

SY. Non eſt. *CH.* Callinicus ? *SY.* non eſt. *CH.* Callimarchus ? *SY.* nil agis.

Neque adeò edepol floccifacio ; quando egomet memini mihi.

CH. At enim multi Leſbonici ſunt hîc, niſi nomen patris

Dices, non monſtrare poſſum iſtos homines, quos tu quæritas.

Quod ad exemplum eſt ? conjecturâ ſi reperire poſſumus.

SY. Ad hoc exemplum eſt, Char. *CH.* an Chares ? an Charidemus ? num Charmides ?

SY. Hem ! iſtic erit. qui iſtum dî perdant ! *CH.* dixi ego jamdudum tibi ;

Te potius bene dicere æquum'ſt homini amico quàm malè.

SY. Satin' intra labra atque dentes latuit vir minimi pretii ?

„ *CH.* NE MALE loquare abſenti amico. *SY.* quid ergo ille ignaviſſimus

Mihi latitabat ? *CH.* ſi appellaſſes, reſpondiſſet, nomine.

Sed ipſe ubi eſt ? *SY.* pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropiâ inſulâ.

INTERPRETATIO.

CH. Esne *jam recordatus nominis ?* SY. *Profectò me pudet Deûm atque hominum.* CH. *Animadverte homo ut noveris hominem.* SY. *Veluti me. Id ſolet, quæras id, quod habeas in manu, & videas oculis. Litteris refricabo memoriam. C. eſt principium nominis.* CH. *Callicias ?* SY. *Non eſt.* CH. *Callippus ?* SY. *Non eſt.* CH. *Callidemides ?* SY. *Non eſt.* CH. *Callinicus ?* SY. *Non eſt.* CH. *Callimarchus ?* SY. *Nihil agis : neque per ædem Pollucis, cujuſquam facio, quando egomet recordor mei. Nam ſunt hîc complures Leſbonici ; niſi appellet nomen patris, non poſſum oſtendere illos homines quos tu quaris ? Ad quod exemplum eſt ? Si poſſumus invenire conjecturâ.* SY. *Eſt ad hoc exemplum. Char.* CH. *An Chares ? An Charidemus ? Num Charmides ?* SY. *Hem ! erit iſte. Qui Dii perdant iſtum !* CH. *Ego tibi dixi jam pridem ; eſt potius æquum te benedicere homini amico quàm malè.* SY. *Satisne vir minimi pretii occultavit ſe intra labra & dentes ?* CH. *Ne malè dicas amico abſenti.* SY. *Quid ergo ille homo ignaviſſimus me latebat ?* CH. *Si vocaſſes nomine, reſpondiſſet : ſed ubi eſt ille ?* SY. *Pol illum reliqui ad Rhadamantẽ in inſulâ Cecropiâ.*

ANNOTATIONES.

67. *Jámne commentus es.*] In aliis, jámne *recommentus es.* Jam *recommentatus es.* Jam *reincommentatus es.*

83. *In Cecropiâ inſulâ.*] Ludens appellat Orcum, *regnum Rhadamantis*, qui ſceleratos ibi pœnis, & cruciatibus maximis exercet. Homines verò ſceleratos Cecropiæ inſulæ inquilinos. Nam κέκροπες & πίθηκοι ſunt ſimiæ, malignæ imprimis beſtiæ.

CH. Qui homo est me insipientior, qui ipse egomet, ubi sim, quæritem?
Sed nihil disconducit huic rei. quid ais? *SY.* quid? *CH.* hoc te rogo.
Quos locos adisti? *SY.* nimium miris modis mirabiles.
CH. Lubet audire, nisi molestum'st. *SY.* quin discupio dicere.
Omnium primùm in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.
CH. Ehò! an etiam Arabia'st in Ponto? *SY.* est; non illæc, ubi tus gignitur,
Sed ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea.
CH. Nimium graphicum hunc nugatorem! sed ego sum insipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego sciam, atque hic nesciat:
Nisi quia lubet experiri, quò evasuru'st denique.
Quid est tibi nomen, adolescens? *SY.* Pax, id est nomen mihi;
Hoc cotidianum'st. *CH.* edepol nomen nugatorium:
Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax! periisse illico.
Sed quid ais, quò inde iisti porrò? *SY.* si animum advortas, eloquar.
Ad caput amnis, quod de cælo exoritur sub solio Jovis.
CH. Sub solio Jovis? *SY.* ita dico. *CH.* è cælo? *SY.* atque è medio quidem.

INTERPRETATIO.

CH. *Qui homo est stolidior me, qui quæritem, ubi egomet sim? Sed nihil obest huic negotio: quid dicis?* SY. *Quid?* CH. *Te quæso hoc. Quæ loca aditisti?* SY. *Admirabilia modis nimis admirabilibus.* CH. *Velim audire, nisi est incommodum.* SY. *Quin opto dicere. Primùm omnium sumus divecti in Pontum juxta Arabiam.* CH. *Ehò! Arabia estne quoque in Ponto?* SY. *Est: non illa in quâ thus nascitur, sed ubi sit absinthium, atque cunila gallinacea.* CH. *Nugatorem hunc nimium graphicum! sed ego sum stolidior, qui interrogem hunc, unde egomet revertar; qui ego sciam, atque hic nesciat: nisi quia libet experiri, quò evasurus est denique. Quod tibi est nomen, adolescens?* SY. *Pax, id est meum nomen: hoc est quotidianum.* CH. *Per ædem Pollucis nomen ridiculum: quasi dicas, pax, si tibi crediderim aliquid, periisse illicò. Sed quid dicis, quò perrexisti inde porrò?* SY. *Dicam, si advertas animum. Ad fontes fluvii, qui nascuntur in cælo sub solio Jovis.* CH. *Sub solio Jovis?* SY. *Dico ita.* CH. *E cælo?* SY. *Atque è medio quidem.*

ANNOTATIONES.

88. *Arabiam terram.*] Quasi *Arabicam terram*: sic *Italia terra*, *Thessalia regio*, *Gallia mulieres*; pro *Italica*, *Thessalica*, *Gallica*.

90. *Cunila Gallinacea.*] Aliter *satyreia*, *de la serriette*, odorata herba, & condendis leguminibus, ac præsertim fabis, utilis.

96. *Pax.*] Aliis, *tax*, dicitur à *tango*. *Tagax* qui benè non utatur manu sinistrâ. *Tangere* est *furari*. *Tax*, *furtim*, *tactim*. Porrò *pax* est *vox*, quâ silentium imperamus ei, quocum loquimur.

CH. Ehò! an etiam in cælum escendisti? *SY.* imò horiolâ advecti sumus,
Usque aquâ advorsâ per amnem. *CH.* ehò, an etiam vidisti Jovem?
SY. Alii dii isse ad villam aiebant servis depromptum cibum.
Deinde porrò. *CH.* deinde porrò nolo quicquam prædices.
SY. Ego hercle, si es molestus. *CH.* nam pudicum neminem
Esse oportet, qui abs terrâ ad cælum pervenerit.
SY. Dimittam, ut te velle video. sed monstra hosce homines mihi:
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epistolas.
CH. Quid ais tu nunc? si fortè eum ipsum Charmidem conspexeris:
Illum, quem tibi istas dedisse commemoras epistolas,
Noverisne hominem? *SY.* næ tu me edepol arbitrâre beluam,
Qui quidem non noviſſe possim, quî cum ætatem exegerim.
An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummûm crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre jussit ad gnatum suum,
Atque ad amicum Calliclem, cui rem aiebat mandasse hîc suam?
Mihi concrederet, nisi me ille & ego illum nossem approbè?
CH. Enimverò ego nunc Sycophantæ huic sycophantari volo:
Si hunc possum illo mille nummûm Philippo circumducere,
Quod sibi me dedisse dixit: quem ego, qui sit homo, nescio:
Neque oculis ante hunc diem unquam vidi: eine aurum crederem?
Cui, si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.
Aggrediundu'st hic homo mihi astu. heus, Pax, te tribus verbis volo. [Charmide?
SY. Vel trecentis. *CH.* haben' tu id aurum, quod accepisti à

INTERPRETATIO.

CH. Ehò! *an etiam ascendisti in cælum?* SY. *Imò advecti sumus naviculâ, semper adversâ aquâ per flumen.* CH. *Ehò, an vidisti quoque Jovem?* SY. *Cæteri Dii dicebant iviſſe ad villam, latum cibos servis. Deinde porrò.* CH. *Deinde porrò, nolo prædices quidquam.* SY. *Nolo profectò si sim importunus.* CH. *Nam oportet nullum esse castum, qui translatus fuerit à terrâ ad cælum.* SY. *Sinam abire ut animadverto te optare. Sed ostende mihi hosce homines. Ego quæro homines, quibus oportet me deferre has litteras.* CH. *Quid dices tu jam? Si fortè videris eum ipsum Charmidem: illum, quem dicis tibi tradidisse istas epistolas, noverisne hominem?* SY. *Certè tu existimas me esse feram, qui quidem non possum cognoscere quocum duxerim vitam. Essetne ille adeò amens, ut mihi confideret mille nummos Philippeos? quod aurum me mandavit ferre ad suum filium, & ad Calliclem amicum, cui dicebat mandasse suam rem hîc? Mihi concrederet, nisi ille me nosset, & ego illum nossem optimè?* CH. *Nam ego volo sycophantari nunc huic Sycophantæ: si possum huic emungere mille nummos illo Philippeo auro, quod affirmavit sibi à me datum: quem ego ignoro, qui homo sit: neque conspicatus sum unquam oculis ante hunc diem: eine crederem aurum? Cui non crederem nummum plumbeum, si agatur de capite. Est mihi adoriendus hic homo astutiâ. Heus, Pax, te volo tribus verbis.* SY. *Vel trecentis.* CH. *Habesne id aurum, quod accepisti à Charmide?*

ANNOTATIO.

100. *Horiolâ.*] Est navis levis & velox gravioribus navigiis, ad speculandum utilis.

SY. Atque etiam Philippeûm, numeratum illius in mensâ manu
Mille nummûm. *CH.* nempe ab ipso id accepisti Charmide?
SY. Mirum quin ab avo ejus, aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
CH. Adolescens cedò-dum istuc aurum mihi. *SY.* quod ego aurum
dem tibi?
CH. Quod à me te accepisse fassus. *SY.* abs te accepisse? *CH.* ita
loquor.
SY. Quis tu homo es? *CH.* qui mille nummûm tibi dedi, ego
sum Charmides.
SY. Neque edepol tu is es: neque hodie is unquam eris, auro
huic quidem.
Abi sis nugator! nugari nugatori postulas.
CH. Charmides ego sum. *SY.* ne quicquam hercle es: nam nihil
auri fero.
Nimis argutè obrepsisti in eâpse occasiunculâ.
Postquam ego me aurum ferre dixi, pòst tu factus Charmides.
Prius tu non eras, quàm auri feci mentionem. nihil agis.
Proin tu te itidem, ut charmidatus es, rursum recharmida.
CH. Quis ego sum igitur, siquidem is non sum, qui sum? *SY.* quid
id ad me attinet?
Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis meâ caussâ qui lubet.
Prius non is eras, qui eras: nunc is factus, qui tum non eras.
CH. Age si quid agis. *SY.* quid ego agam? *CH.* aurum redde.
SY. dormitas, senex.
CH. Fassus Charmidem dedisse aurum tibi? *SY.* scriptum quidem.
CH. Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus
Dormitator, priusquam ego hîc te jubeo mulcari malè?

INTERPRETATIO.

CH. *Atque etiam aurum mille nummorum Philippeorum numeratum illius manu in mensâ.* CH. *Scilicet id suscepisti à Charmide ipso?* SY. *Mirum si non ab ejus avo acciperem, aut proavo, qui sunt mortui.* CH. *Da mihi igitur, adolescens, illud aurum.* SY. *Quod aurum tibi dabo ego?* CH. *Quod fassus es te accepisse à me.* SY. *A te accepisse?* CH. *Sic loquor.* SY. *Quis es tu?* CH. *Ego sum Charmides, qui tibi dedi mille nummos.* SY. *Neque profectò tu es is: neque eris hodie unquam, quidem auro huic. Abi si vis nugator! vis nugari apud nugatorem.* CH. *Ego sum Charmides.* SY. *Nequicquam es per Herculem: nam nihil fero auri. Obrepsisti nimis astutè in hâcce occasiunculâ. Postquam ego dixi me ferre aurum, postea tu evasisti Charmides. Tu non eras, antequàm facerem mentionem auri. Nihil assequeris. Itaque quemadmodum tu charmidatus es, te itidem rursus recharmida.* CH. *Quis sum ergo, si is non sum, qui sum?* SY. *Quid id ad me spectat? Dum modò non sis ille, quem ego nolo esse: sis quilibet; per me licet. Non eras prius is qui eras: nunc is factus, qui non eras tum.* CH. *Age si quid agis.* SY. *Quid faciam?* CH. *Redde aurum.* SY. *Dormitas, senex.* CH. *Es confessus Charmidem dedisse aurum?* SY. *Scriptum quidem.* CH. *Acceleras, an non acceleras discedere statim ab iis regionibus prædo, antequam ego mandavero te multari malè hîc?*

SY. Quamobrem ? *CH.* quia illum quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides :
Quem tibi epistolas dedisse aiebas. *SY.* ehò ! quæso, an tu is es ?
CH. Is enimverò sum. *SY.* aìn' tu tandem, is ipsúsne es ? *CH.* aio.
SY. ipsus es ?
CH. Ipsus, inquam, Charmides sum. *SY.* ergo ipsúsne es ? *CH.* ipsissimus.
Abi hinc ab oculis. *SY.* enimverò serò quoniam advenis,
Vapulabis meo arbitratu & novorum ædilium.
CH. At etiam maledicis ? *SY.* imò, salvus quandoquidem advenis,
Dî te perdant ; etsi floccifacio, an periisses prius.
Ego ob hanc operam argentum accepi : te macto infortunio.
Cæterùm qui sis, qui non sis, floccum non interduim.
Ibo ad illum, renunciabo, qui mihi tris nummos dedit,
Ut sciat se perdidisse. ego abeo. malè vive & vale !
Quod dî te omnes advenientem peregrè perdant, Charmides.
CH. Postquam ille hinc abiit, pòst loquendi liberè
Videtur tempus venisse, atque occasio.
Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negotii fuerit ante ædis meas.
Nam epistola illa mihi concenturiat metum
In corde, & illud mille nummûm quam rem agat.

Interpretatio.

SY. Quare ? CH. Quia ego sum ipsus illè Charmides, quem es ementitus, & quem dicebas tibi dedisse litteras. SY. Ehò! amabo, an es tu is ? CH. Sum is enimverò. SY. Dicisne tandem, esne tu ipse? CH. Aio. SY. Ipse es ? CH. Ipse sum, Charmides. SY. Ergo ipsene es? CH. Ipsissimus. Fuge hinc à conspectu. SY. Enimverò, quia venis tardè, dabis pœnas meo arbitrio & novorum ædilium. CH. At dicis malè adhuc ? SY. Imò, quoniam advenis salvus, Dii te perdant ; etsi facio nihili, an periisses antea. Ego accepi pecuniam ob hanc rem : te macto infortunio ; sed floccifacio qui sis, qui non sis. Ibo ad illum, qui mihi dedit tres nummos, renunciabo, ut sciat se amisisse. Ego proficiscor, vive malè & vale ! Omnes Dii te perdant advenientem peregrè, Charmides. CH. Postquam ille profectus est hinc, verba faciendi tempus, & locus oblatus videtur. Jamdudum ille aculeus pungit meum pectus, quid rei illi sit, ante meas ædes. Nam illa littera mihi injicit metum in corde, & quam rem gerant illi mille nummi.

Annotationes.

147. *Enimverò serò.*] Moris erat apud antiquos, ut, qui noctu vagarentur, triumvirorum arbitrio pœnas darent. Id in Amphytrione, & alibi.

150. *Etsi.*] In aliis, *si te flocci facio*, pro *etsi*, trajectione litterarum.

160. *Concenturiat.*] *Concenturiare* est colligere, ductum à Centuriis, quæ ad suffragia conveniebant, & in certas classes distribuebantur. *Succenturiatus* melioris notæ authoribus, est, in re militari, sufficere in locum deficientis militis alium militem. Hinc metaphora fit ad significandum quemlibet, qui alienas vices implet.

NUNQUAM edepol TEMERE tinniit tintinnabulum:
Nisi qui illud tractat aut movet; mutum est, tacet.
Sed quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit?
Lubet observare quid agat! huc concessero.

INTERPRETATIO.

Profectò tintinnabulum nunquam tinniit temerè. Est mutum, tacet, nisi aliquis illud impellit, aut movet. Sed quis est hic, qui accurrit in plateam? Observabo quid faciat! huc recedam.

ANNOTATIONES.

162. *Numquam temerè tintinnabulum.*] Quasi dicat: hoc quod dicitur à Sycophanta, non temerè dicitur; neque enim pulsatur tintinnabulum, nisi ad aliquod, seu signum, seu indicium.

163. *Mutum est, tacet.*] Id est, *tintinnabulum*; quasi dicat: *hic non ita loqueretur, nisi impulsu alieno*; ut tintinnabulum non suoptę nutu, sed alieno tinnit.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

CHARMIDES dimisso Sycophantâ incidit in Stasimum servum Lesbonici. Ab eo scisitatur statum rei familiaris, discitque: sed id imprimis atrociter fert, quando discit à Stasimo Charmides, & venditas à Lesbonico ædes, & à Callicle emptas.

CHARMIDES senex, STASIMVS servus.

STASIMVS.

STASIME, fac te properè celerem, recipe te ad dominum domum;
Ne subitò metus exoriatur scapulis stultitiâ tuâ.
Adde gradum! appropera! jamdudum factum'st, cùm abisti domo.
Cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si abieris ab heri quæstione. ne destiteris currere!

INTERPRETATIO.

ST. *STasime, fac te repentè velocem, concede tu domum ad herum; ne timor eveniat repentè humeris, tuâ amentiâ. Accelera gradum! accelera! jampridem excessisti ex ædibus. Vide, si vis, ne crebri cottabi bubuli resonent, si exesseris quando herus te quæret. Ne cesses accelerare!*

ANNOTATIO.

4. *Ne bubuli in te cottabi.*] Græci, inter bibendum, quod reliquum erat in poculis, ad terram certâ ratione conjiciebant; & quod inde existeret murmur, *cottabum* appellant. Sic *cottabos* Plautus appellat, per metaphoram, editum flagris sonitum, quando subjiciuntur mastigiæ.

Ecce

Ecce hominem te, Stasime, nihili! satin in thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?
Recipe te, & recurre petere re recenti. *CH.* huic, quisquis est,
Curculio'st exercitor: is hunc hominem cursuram docet.
ST. Quid, homo nihili, non pudet te? tribúsne te poteriis
Memoriâ esse oblitum? an verò, quia cum frugi hominibus
Ibi bibisti, qui ab alieno facilè cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Mastigiæ.
Inter eósne homines condalium te redipisci postulas;
Quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum?
CH. Ita me dî ament, graphicum furem! *ST.* quid ego, quod periit, petam?
Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper?

Interpretatio.

Ecce hominem nihili, Stasime! ésne oblitus condalium in thermopolio, postquam proluisti guttur calidis laticibus? Recipe te, & redi ad petendum, dum res est recens. CH. *Hic, quisquis est, magistrum habuit curculionem: is docuit hunc hominem currere.* SY. *Quid, homo nihili, te non pudet? Oportetne te esse lapsum memoriâ tribus sciphis siccatis? An verò, quoniam ibi potasti cum hominibus frugi, qui coërcerent facilè manus ab alienis? Fuit Theruchus, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus, Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Mastigiæ. Speransne te recuperaturum condalium inter eos homines; quorum eorum unus surripuit soleam calcei cursori currenti?* CH. *Ita me Dii ament, consummatum furem!* ST. *Quid rogabo, quod amisi? Nisi etiam adjiciam laborem ad jacturam, quasi epithecam?*

Annotationes.

6. *Thermopolio.*] *Thermopolia* vocabantur olim cauponæ, in quibus calida & æsculenta, & potulenta apponebantur. Apud Plautum, *thermopotare* verbum partim Græcum, partim Latinum. Ammianus Marcellinus de ævi sui moribus: *Ita autem pauci sunt inter eos severi vindices delictorum, ut si aquam calidam tardius attulerit servus, trecentis affligi verberibus jubeatur.*

7. *Condalium.*] *Condulus, condalus, & condalium.* Festo est annuli genus.

Thermopotasti gutturem.] Quasi dicat: *postquam callidâ potione guttur proluisti.* Comicâ licentiâ dixit thermopotasti, verbo, tum ex Græco, tum ex Latino constante. Hoc enim in nullo fermè laudatæ notæ authore reperitur, ut verbum ullum partim ex Græco, partim ex Latino constet.

8. *Huic, quisquis est, curculio'st exercitor.*] Athletarum gymnastæ & magistri *exercitores* appellabantur. In hoc joco Poëta rationem habet primæ syllabæ hujus vocis *Curculio*, quia cursitat servulus. Et facilè crediderim inde etiam appellatum *Curculionem* illum, qui nomen dedit Fabulæ Plautinæ, propter ejus velocitatem cursus in Chariam. *Exercitio* dicebatur, pro *exercitatio*.

13. *Theruchus.*] Nomina servorum à Plauto conficta, quæ per sese nihil fermè significant; aut adeò palam significant, ut Soli fœnereris lucem, si velis interpretari.

16. *Surripuit currenti solum.*] Hyperbole est audacissima. Quis enim credat quemquam adeò esse & furacem, & in furando promptum, ut currenti homini solum, id est, soleam seu calceum detrahat?

17. *Graphicum furem.*] Id est, *hominem verè furem.*

18. *Epithecam.*] Epitheca est *additio, adjectio.*

„ QUIN TU QUOD periit, periisse ducis? cape vorsoriam.
Recipe te ad herum. *CH.* non fugitivus est hic homo, commeminit domi.
„ *ST.* UTINAM VETERES MORES, veteres parsimoniæ
„ Potius majori honori hîc essent, quàm mores mali.
CH. Dî immortales! basilica hic quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit, vetera amare hunc, morem majorum, scias.
„ *ST.* NAM NUNC MORES NIHIL FACIUNT, quod licet, nisi quod lubet.
„ AMBITIO jam more sancta'st, libera'st à legibus:
„ Scuta jácere, fugeréque hostes, more habent licentiam:
„ PETERE HONOREM pro flagitio, more fit. *CH.* morem improbum.
„ *ST.* STRENUOS præterire, more fit. *CH.* nequam quidem.
„ *ST.* MORES LEGES perduxerunt jam in potestatem suam,
„ Magis quîs sunt obnoxiosi, quàm parentes liberis.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.
CH. Lubet adire atque appellare hunc: verùm auscultо perlubens.
Et metuo, si compellabo, ne aliam rem occipiat loqui.
„ *ST.* Neque istis quicquam lege sanctum'st. LEGES mori serviunt.
„ Mores autem rapere properant, quà sacrum, quà publicum.

INTERPRETATIO.

Quin tu putas amissum esse, quod est amissum? Accipe versoriam. Revertere ad herum. CH. *Hic non est homo fugitivus, recordatur adium.* ST. *Utinam essent antiqua instituta, antiqua parsimonia; essent hìc majori honori, quàm mala instituta.* CH. *Dii immortales! hic orditur pronunciare regia facta. Quærit antiqua; ne ignores hunc diligere antiqua, morem majorum.* ST. *Nam faciunt nunc nihili mores, nisi licet facere, quod lubet. Ambitio est nunc consecrata consuetudine; est immunis à legibus: qui abjiciunt scuta, qui fugiunt in certamine, in consuetudine habent authoritatem. Fit consuetudine, si petas honores pro scelere.* CH. *Malam consuetudinem.* ST. *Est consuetudo asservari fortes.* CH. *Nequam profectò consuetudo.* ST *Mores jam vindicarunt in suam ditionem* leges. *quibus sunt magis obnoxii, quàm parentes liberis. Eæ infelices sunt etiam defixæ ad parietem clavis ferreis, ad quem erat magis par defigi malos mores.* CH. *Libet convenire hunc atque appellare: verùm audio perlibenter, & pertimesco, si interrogem, ne incipiat dicere de aliâ re.* ST. *Neque est quicquam inviolabile lege.* Leges *subjiciuntur consuetudini: mores autem invadere acceleraut, & sacrum, & publicum.*

ANNOTATIONES.

19. *Cape vorsoriam.*] Id est, *da vela retrorsum.* Nimirum *versoria* est funis, quo velum vertitur.

24. *Vetera amare.*] Id est, *veteres mores, veterem parsimoniam.*

26. *Sancta'st.*] Id est, tuta & inviolata facta est.

29. *Strenuos præterire, more fit.*] Id est, consuetudine nunc fit, ut viri fortes ab improbissimo quoque in honoribus petendis victi discedant, locóque moveantur.

31. *Obnoxiosi.*] Id est, leges illis parent, non illi legibus.

32 *Eæ miseræ.*] Ingeniosè Poëta repræsentat leges clavis confixas, quemadmodum servos reos & fugitivos.

CH. Hercle, istis malam rem magnam moribus dignum'st dari!
ST. Nónne hoc publicè animum advorti? nam id genus hominum omnibus
Universis est adversum, atque omni populo male facit:
Malè fidem servando, illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc quî in mentem venerit mihi, reipsâ modò commonitus sum.
„ Si quis mutuum qui dederit, fit pro proprio perditum.
„ Cùm repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud, quod credideris, perdas; vel illum amicum amiseris.
CH. Meus est hic quidem Stasimus servus. *ST.* nam ego talentum mutuum
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.
Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis
Potius, quàm id quod proximum'st, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. *CH.* heus tu! adsta illicò. audi, heus tu! *ST.* non sto.
CH. at ego te stare volo.
ST. Quid si egomet te velle nolo? *CH.* ha nimium, Stasime, sæviter!
ST. Emere meliu'st, cui imperes. *CH.* pol ego emi, atque argentum dedi.
Sed si non dicto audiens est, quid ago? *ST.* *da* damnum malum.

Interpretatio.

CH. *Per Herculem, mali mores merentur affici malâ re!* ST. *Nonne animadverti hoc publicè? Nam id genus hominum omnibus est contrarium, & omni plebi malefacit: fidem malè tuendo detrahunt etiam fidem illis, qui nihil meriti sunt: nimirum metiuntur horum mentem ex illorum mente. Quâ ratione id mihi venerit in animum, sum admonitus mox re ipsâ. Si quis dederit aliquid mutuum, deperditur pro proprio. Quando repetis, invenis inimicum tuo beneficio pro amico. Si velis repetere atrius, optio duarum rerum nascitur: vel amiseris id quod dederis, vel perderis illum amicum.* CH. *Hic est profectò meus servus Stasimus.* ST. *Nam emi eo talento quod ego dederam mutuum, inimicum, vendidi amicum. Sed ego sum amentior, qui curam geram rerum publicarum, potius quàm id quod est proximum, curabo meum tergum. Eo domum.* CH. *Heus tu! sta illicò. Audi, heus tu?* ST. *Non sto.* CH. *At ego opto te consistere.* ST. *Quid si egomet nolo te velle?* CH. *Ah, Stasime, agis nimium crudeliter!* ST. *Est satius emere, cui imperes.* CH. *Profectò ego emi, & dedi pecuniam. Sed si non est morigerus, quid ago?* ST. *Da infortunium grande.*

Annotationes.

39. *Nonne hoc publicè animum advorti.*] Quasi dicat, nonne in hoc publicè animadvertendum est?

42. *Ex eorum ingenio ingenium horum probant.*] Persa: *Tuo ex ingenio mores alienos probas.* Terentius: *Hei me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.*

46. *Optio.*] Id est, *electio.*

54. *Emere melius'st.*] Persâ: *Emere oportet quem tibi obedire velis.*

CH. Bene monesl!ta facere certum est. *ST.* nisi quidem es obnoxius.
CH. Si bonus est, obnoxius sum: sin secus est, faciam uti jubes.
ST. Quid id ad me attinet, bonisne servis tu utare an malis?
CH. Quia boni malique in eâ re pars tibi est. *ST.* partem alteram
Tibi permitto, illam alteram ad me, quod boni est, apponito.
CH. Si eris meritus, fiet. sed respice ad me huc! ego sum Charmides.
ST. Hem quis est, qui mentionem facit homo hominis optimi?
CH. Ipse homo optimus. *ST.* mare, terra, cælum, dî vestram fidem!
Satin ego oculis planè video? estne ipsus, an non est? is est.
Certè is est! is est profectò! ô mi here exoptatissime,
Salve! *CH.* salve Stasime? *ST.* salvum te. *CH.* scio & credo tibi.
Sed omitto alia! hoc mihi responde: Liberi quid agunt mei,
Quos reliqui hic filium atque filiam? *ST.* vivunt, valent.
CH. Nempe uterque? *ST.* uterque. *CH.* dî me salvum & servatum volunt.
Cætera intus otiosè percunctabor quæ volo.
Eamus intrò! sequere. *ST.* quò tu te agis? *CH.* quónam, nisi domum?
ST. Hiccine nos habitare censes? *CH.* ubinam ego alibi censeam?
ST. Jam. *CH.* quid jam? *ST.* non sunt nostræ ædes istæ. *CH.* quid ego ex te audio?
ST. Vendidit tuus natus ædis. *CH.* perii. *ST.* præsentariis
Argenti minis numeratis. *CH.* quot? *ST.* quadraginta. *CH* óccidi.
Quis eas emit? *ST.* Callicles, cui tuam rem commendaveras,
Is habitatum huc commigravit, nosque exturbavit foràs.
CH. Ubi nunc filius meus habitat? *ST.* hîc in hoc posticulo.

INTERPRETATIO.

CH. *Rectè mones! institui sic agere.* ST. *Nisi quidem es obnoxius.* CH. *Si est bonus, sum obnoxius: si est secus, agam ut imperas.* ST. *Quid id ad me spectat, an utaris bonis servis, an malis?* CH. *Quia obtines partem in eâ re boni malique.* ST. *Tibi concedo alteram partem, adde mihi illam alteram, quæ est bona.* CH. *Addetur si bene meritus es; sed respice huc ad me! ego sum Charmides.* ST. *Hem quis est, qui facit mentionem optimi viri?* CH. *Ipse est vir optimus.* ST. *Mare, terra, cælum, dii vestram fidem! Conspicorne ego oculis satis planè? Estne ipse, an non est! Is est profectò! is est, is est sanè! O mi here exoptatissimè, sis salvus!* CH. *Salve Stasime!* ST. *Salvum te.* CH. *Scio & tibi credo. Sed prætermitto alia! responde mihi hoc: quid faciunt mei Liberi, quos hic reliqui, filium & filiam.* ST. *Vivunt, valent.* CH. *Nempe uterque?* ST. *Uterque.* CH. *Dii volunt me salvum & servatum. A te petam reliqua quæ volo scire in ædibus otiosè. Ingrediamur! sequere.* ST. *Quò te agis?* CH. *Quònam, nisi domum?* ST. *Putasne hic nos manere!* CH. *Ubinam ego putem alibi?* ST. *Jam.* CH. *Quid jam?* ST. *Hæ ædes non sunt jam nostræ.* CH. *Quid ego ex te audio?* ST. *Tuus filius vendidit ædes.* CH. *Interii.* ST. *Præsentibus & numeratis minis argenteis.* CH. *Quot?* ST. *Quadraginta.* CH. *Perii. Quis eas emit?* ST. *Callicles, cui commiseras tuas fortunas; is commigravit huc habitatum, nosque ejecit foràs:* CH. *Ubi manet nunc meus filius?* ST. *Hìc in hoc posticulo.*

CH. Malè disperii. *ST.* credidi ægrè tibi id, ubi audisses, fore.
CH. Ego miser meis periculis sum per maria maxima
Vectus capitali periculo, per prædones plurimos
Me servavi, salvus redii: nunc hîc disperii miser,
Propter eosdem, quorum causâ fui hâc ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo. Stasime! tene me. *ST.* visne aquam
Tibi petam? *CH.* res quum animam agebat, tum esse offusam oportuit.

INTERPRETATIO.

CH. *Interii malè.* ST. *Existimavi te ægrè laturum esse hoc, quando accepisses.* CH. *Ego infelix, sum jactatus meis jacturis per maria maxima periculo capitis, à piratis me defendi, revertor incolumis: nunc hîc naufragium feci, infelix propter eosdem, quorum causâ fui jactatus hâc ætate. Dolor adimit mentem: tene me, Stasime!* ST. *Visne ut postulem aquam pro te?* CH. *Quando fortuna interibant, tum oportebat effundere.*

ANNOTATIO.

83. *Hâc ætate.*] Id est, *hoc ætatis*, seu *ætate tam præcipiti*, seu *effæta*. *Hâc nocte*: id est, *hoc noctis*.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

INTEREADUM Callicles effodit thesaurum in ædibus Charmidis, ad depromendos mille nummos in dotem filiæ Charmidis, audit ejulantem antè ædes ipsum Charmidem, ex Seleuciâ, ex improviso, reversum; quod existimaret non suarum rerum studio, sed cupiditate adductum Calliclem emisse ædes suas. Sed prodit Callicles; rem exponit, ut est, & uterque redit in gratiam cum amico.

CALLICLES, CHARMIDES senex duo, STASIMVS servus.

CALLICLES.

QUID hoc hîc clamoris audio ante ædis meas?
CH. O Callicles! ô Callicles! ô Callicles!
Qualine amico mea commendavi bona!

INTERPRETATIO.

CA. *Quam vociferationem audio ante ædes meas?* CH. *O Callicles! O Callicles! O Callicles! Quali amico credidi meas fortunas!*

CA. Probo & fideli, & fido, & cum magnâ fide;
Et salve, & salvum te adveniſſe gaudeo.
CH. Credo omnia iſtæc, ſi ita'ſt ut prædicas.
Sed quis iſte eſt tuus ornatus? *CA.* ego dicam tibi.
Theſaurum effodiebam intus, dotem, filiæ
Tuæ quæ daretur. ſed intus narrabo tibi
Et hoc & alia. ſequere. *CH.* Staſime! *ST.* hem! *CH.* ſtrenuè
Curre in Piræum, atque unum curriculum face.
Videbis jam illîc navem, quâ advecti ſumus,
Jubeto Sangarionem, quæ imperaverim,
Curare, ut efferantur. & tu ito ſimul.
Solutum'ſt portitori jam portorium.
ST. Nihil eſt moræ. *CH.* i, i, ambula! actutum redi.
ST. Illîc ſum atq; hîc ſum. *CA.* ſequere tu hàc me intrò. *CH.* ſequor.
ST. Hic meo hero amicus ſolus firmus reſtitit,
Neque demutavit animum de firmâ fide.
Quanquam labores multos****
Sed hic unus, ut ego ſuſpicor, ſervat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepiſſe cenſeo.

INTERPRETATIO.

CA. *Bono, & fido, & cum magnâ fide; & ſalve, & lætor te adveniſſe ſalvum.* CH. *Credo omnia iſthæc, ſi eſt ita ut dicis. Sed quis eſt ille tuus ornatus?* CA. *Ego tibi dicam. Effodiebam intus theſaurum, qui donetur dos tuæ filiæ. Sed tibi narrabo intus, & hoc & cætera. Sequere.* CH. *Staſime!* ST. *Hem?* CH. *Curre celeriter in Piræum, & ne deſiſte. Videbis jam illic navem, quâ ſumus allati. Manda Sangarioni, ut curet, ut efferantur, quæ imperaverim. Et tu pergè ſimul. Portorium eſt jam ſolutum portitori.* ST. *Eſt nihil quod meretur.* CH. *I, i, ambula! ſtatim redi.* ST. *Sum illîc, & ſum hìc.* CA. *Sequere me tu hàc intrò.* CH. *Sequor.* ST. *Hic amicus ſolus firmus reſtitit meo hero, neque dimovit animum de firmâ fide. Quamquam ipſe pertulit multos labores; ſed hic unus tuetur fidem, ut ego ſuſpicor: ego exiſtimo eum laboraſſe non ſine cauſa.*

ANNOTATIONES.

11. *Piræum.*] *Piræus* eſt portus Athenarum.

Unum curriculum face.] Id eſt, *Inſtar curriculi accelera.* Uno ſpiritu viam confice.

ACTUS QUINTUS.

ARGVMENTVM.

QUIDQUID à Megaronide & Callicle de suâ filiâ statutum est, reversus Charmides, ratum fixumque esse vult.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

LYSITELES gratulatur sibi propter reditum Charmidis, & pactas ejus filiæ nuptias.

LYSITELES *adolescens.*

HIc homo est omnium hominum præcipuus, voluptatibus gaudiisque antepotens:
Ita commoda, quæ cupio, eveniunt: quod ago, assequitur, subest,
Subsequitur: ita gaudiis gaudium suppeditat.
Modò me Stasimus Lesbonici servus convenit: is
Mihi dixit, suum herum peregrè huc advenisse Charmidem.
Nunc mihi is properè conveniendus est; ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater sit potior. eo. sed fores
Hæ sonitu suo mihi moram objiciunt incommodè.

INTERPRETATIO.

Hic est omnium facilè primus, præ cæteris potens voluptatibus & gaudiis: ita bona contingunt, quæ exopto: quod ago, assequitur, subest, subsequitur: ita jucunditas cumulatur jucunditate. Stasimus, servus Lesbonici, me adiit modò: is mihi dixit Charmidem, suum herum advenisse huc à longinquis. Is mihi adeundus est velociter, ut pater sit præcipuus author ejus rei, quam feci cum ejus filio. Sed hæ fores me remorantur incommodè suo strepitu.

ANNOTATIONES.

1. *Hic homo.*] Lysiteles manu ad pectus admotâ seipsum nominat in tertiâ personâ: quasi dicat, *ego sum homo præcipuus.*

Antepotens.] Id est, *Potens præ cæteris mortalibus*, cumulatus voluptatibus & gaudiis

2. *Commoda.*] Id est, *commodè.*

7. *Fundus.*] Id est, *author.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CHARMIDES Callicli & Megaronidi, huic absenti, illi præsenti, grati animi sensum penitissimum significat. Et quidquid de dote filiæ statuerunt, gratum, ratum, fixum habet.

CHARMIDES, CALLICLES senes duo, LYSITELES, LESBONICUS adolescentes.

CHARMIDES.

NEQUE fuit, neque erit, neque esse quemquam hominum in terrâ dum arbitror,
Cui fides fidelitasque amicum erga æquiparet suum:
Nam exædificavisset me ex his ædibus, absque te foret.
CA. SI QUID amicum erga bene feci, aut consului fideliter,
„ Non videor meruisse laudem: culpâ caruisse arbitror.
„ Nam BENEFICIUM, homini proprium quod datur, prosumpserit:
„ Quod datum utendum est, id repetundi copia'st, quando velis.
CH. Est ita, ut tu dicis. sed ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam,
Lysiteli quidem Philtonis filio. *LY.* enim me nominat.
CH. Familiam optumam occupavit. *LY.* quid ego cesso hos colloqui?

INTERPRETATIO.

CH. *NEc dum extitit, neque existet, neque esse ullum hominem in mundo puto, cujus fides & constantia sit comparanda erga suum amicum: nam citra tuam operam me ejecisset ex iis ædibus.* CA. *Si affeci aliquo beneficio amicum, aut si consului fideliter, non puto me laudandum: sed existimo vacasse culpâ. Nam munus quo afficitur homo ut suo, sit semper penes eum: quod verò datur, ut utatur, ejus repetendi potestas est, quando velis.* CH. *Est ita, ut tu loqueris. Sed non possum satis hoc admirari, eum despondisse suam sororem in familiam tam potentem, Lysiteli filio Philtonis.* LY. *Profectò me nuncupat.* CH. *Invasit in optimam familiam.* LY. *Quid ego cunctor hos affari?*

ANNOTATIONES.

3. *Exædificasset.*] *Ejecisset me filius ædibus,* absque te, & nisi ruenti rei familiari succurrisses.

6. *Proprium.*] Id est, *perpetuum.* Lucretius: *Amorem proprium* appellat, stabilem, & *perpetuum.* Macrobius: *proprium habere diceretur, si semper tenere liceret.*

Prosumpserit.] Hoc est, *proprium erit. Proprium sumpserit.*

9. *Fortem.*] Nonius: *Divitem copiosam.*

11. *Occupavit.*] *Invenit, possedit.*

Sed

Sed maneam etiam opinor : namque hoc commodum orditur loqui.
CH. Vah ! *CA.* quid est ? *CH.* oblitus intus dudum tibi sum dicere:
Modo mihi advenienti nugator quidam accessit obviam,
Nimis pergraphicus sycophanta : is mille nummûm se aureûm
Meo datu tibi ferre, & gnato Lesbonico aiebat meo :
Quem ego nec qui esset noram, neque eum ante usquam conspexi prius.
Sed quid rides ? *CA.* meo allegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem tuæ gnatæ dotem : ut filius
Tuus, quando illi à me darem, esse allatum id abs te crederet,
Neu quî rem ipsam posset intelligere, & thesaurum tuum
Me esse penes, atque eum à me lege populi patrium posceret.
CH. Scitè edepol ! *CA.* Megaronides communis hoc meus & tuus
Benevolens commentu'st. *CH.* quin collaudo consilium, & probo.
LY. Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere,
Solus sto ; nec quod conatus sum agere, ago ? homines colloquar.
CH. Quis hic est, qui huc ad nos incedit ? *LY.* Charmidem socerum suum.
Lysiteles salutat. *CH.* dî dent tibi, Lysiteles, quæ velis.
CA. Non ego sum salutis dignus ? *LY.* imò salve, Callicles.

Interpretatio.

Sed existimo mihi manendum esse adhuc : namque incipit loqui opportunè. CH. *Vah!* CA. *Quid est?* CH. *Oblitus sum jampridem tibi dicere : quidam nugator mihi occurrit mox advenienti, sycophanta nimis graphicus : is dicebat se ad te afferre mille nummos aureos, quos dedissem, & meo filio Lesbonico : ego nec noram qui esset, neque vidi usquam prius antea. Sed quid rides ?* CA. *Venit meo imperio, quasi qui ad me deferret aurum à te, quod darem dotem tuæ filiæ : ut tuus filius existimaret id esse allatum abs te, quando illi darem à me, ne posset rescire ullo modo rem ipsam, & tuum thesaurum esse penes me, & eum à me repeteret lege populi, tanquam paternum.* CH. *Scitè per ædem pollucis !* CA. *Megaronides meus communis amicus, & tuus commentus est hoc.* CH. *Quin collaudo consilium, & probo.* LY. *Quare ego stolidus sto solus, cum vereor obturbare orationem ; neque facio quod mihi proposui facere ? Alloquar homines.* CH. *Quis est hic, qui huc accedit ad nos ?* LY. *Lysiteles salutem dicit Charmidi suo socero.* CH. *Dii tibi impertiant, quæ optes, Lysiteles.* CA. *Non sum dignus salute ?* LY. *Imò salvus sis, Callicles.*

Annotationes.

16. *Meo datu.*] Dictum, *meo rogatu, meo concessu.*

21. *Neu quî.*] Id est, *quodam modo.*

29. *Salutis dignus.*] Virg. *Indignus avorum.* Sueton. in Othone : *& prædicaret solum imperii dignum.*

Hunc priorem æquum'st me habere. TUNICA PROPIOR PALLIO EST

CH. Deos volo consilia vestra rectè vortere.
Filiam meam tibi desponsatam esse audio. *LY.* nisi tu nevis.
CH. Imò haud nolo. *LY.* sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
CH. Spondeo, & mille auri Philippûm dotis. *LY.* dotem nihil moror.
CH. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.
Postremò, quod vis, non duces, nisi illud quod non vis, feres.
CA. Jus hic orat. *LY.* impetrabit te advocato atque arbitro.
Istâc lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?
CH. Spondeo. *CA.* & ego spondeo idem hoc. *LY.* oh, salvete affines mei.
CH. Atque edepol sunt res, quas propter ibi tamen succensui.
CA. Quid ego feci? *CH.* meum corrumpi quia perpessus filium.
CA. Si id meâ voluntate factum est, est quod mihi succenseas.
Sed sine me hoc abs te impetrare, quod volo. *CH.* quid id est? *CA* scies.
Si quid stultè fecit, ut ea missa facias omnia.
Quid quassas caput? *CH.* cruciatur cor mihi, & metuo. *CA.* quid nam id est?
CH. Quum ille ita'st ut esse nolo, id crucior; metuo si tibi
Denegem quod me oras, ne te leviorem ergo me putes.

INTERPRETATIO.

Par est me anteponère hunc. Tunica propior est pallio. GH. *Rogo Deos ut secundent vestra consilia. Audio meam filiam tibi esse desponsatam.* LY. *Nisi tu non recusas.* CH. *Imò non nolo.* LY. *Mihine spondes ergo tuam filiam uxorem?* CH. *Spondeo, & mille Philippos auri in dotem.* LY. *Nihil curo dotem.* CH. *Si illa tibi placet, oportet dotem tibi placere quoque, quam tibi spondet. Demum non duces quod cupis, nisi accipias quod non cupis.* CA. *Hic rogat quod æquum est.* LY. *Obtinebit te arbitro atque patrono. Promittisne mihi tradi tuam filiam uxorem istâ conditione?* CH. *Promitto.* CA. *Et ego promitto hoc idem.* LY. *Oh! salvete mei affines.* CH. *Attamen per eadem Pollucis sunt res, propter quas tibi iratus fui.* CA. *Quid ego feci?* CH. *Quia passus es meum filium fieri corruptum.* CA. *Si id accidit me volente, est quod mihi irascaris. Sed patere me consequi hoc à te, quod opto.* CH. *Quid est id?* CA. *Si ea* corruptus. *Si quid fecit amenter, ut faciat missa ea universa. Quid concutis caput?* CH. *Cor mihi dolet, & timeo.* CA. *Quid est id?* CH. *Quoniam ille est ejusmodi qualem esse nolo, idcirco doleo: timeo ne, si tibi negem quod me rogas, existimes te minus posse apud me.*

ANNOTATIONES.

30. *Tunica pallio propior.*] Proverbialis formula, quâ significatur amicis, nos aliis, atque aliis magis esse devinctos, & nobis ipsis devinctiores.

35. *Placenda.*] Locutio inusitata, *placenda dos*, id est, *dos quæ placere debet.* Quasi dicas, *standus, sedendus, surgendus.*

Non gravabor. faciam ita ut vis. *CA.* probus es. eo, ut illum evocem

CH. Miserum'st malè promerita, ut merita si mihi ulcisci non licet.

CA. Aperite hoc, aperite properè, & Lesbonicum, si domi'st foras

Evocate: ita subitu'st, properè quod eum conventum volo.

LE. Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subitò foras?

CA. Benevolens tuus atque amicu'st. *LE.* satiné salvè? dic mihi.

CA. Rectè tuum patrem rediisse salvum peregrè, gaudeo.

LE. Quis id ait? *CA.* ego. *LE.* tun' vidisti? *CA.* & túte idem videas liceat.

LE. O pater, pater mi salve. *CH.* salve multùm, gnate mi.

LE. Si quid tibi, pater, laboris. *CH.* nihil evenit, ne time: Bene re gestâ salvus redeo si tu modò frugi esse vis, Hæc tibi pacta'st Callicli filia. *LE.* ego ducam, pater: Etiam & si quam aliam jubebis. *CH.* quanquam tibi succensui.

CA. Miseria *una* uni quidem homini'st affatim. *CH.* imò huic parum'st.

INTERPRETATIO.

Non ægrè feram. Agam ita ut optas. CA. *Es probus. Eo, ut illum evocem.* CH. *Est miserum, si non mihi licet ultionem sumere de malè factis, ut merentur.* CA. *Pandite, pandite citò, & evocate ex ædibus Lesbonicum, si domi est: adeò subita est causa, propter quam volo eum convenire citò.* LE. *Quis me evocavit foràs tam repentino, & tumultuoso strepitu?* CA. *Est tuus amicus & benevolens.* LE. *Suntne res satis incolumes? dic mihi.* CA. *Rectè: gratulor tuum patrem esse reversum incolumem à longè.* LE. *Quis ait id?* CA. *Ego.* LE. *Tune vidisti?* CA. *Et potes ipse conspicari.* LE. *O pater mi, pater salvus sis.* CH. *Salvus sis multùm, mi fili.* LE. *Tibine accidit aliquid laboris, pater?* CH. *Nihil accidit, ne metue. Revertor salvus, re feliciter gestâ, si tu vis esse frugi, hæc filia Callicli tibi est promissa.* LE. *Ego ducam, pater: & etiam aliquam aliam, si imperabis.* CH. *Tametsi tibi iratus fui.* CA. *Una calamitas sufficit uni homini.* CH. *Imò non sufficit huic.*

ANNOTATIONES.

51. *Ita subitu'st.*] Id est, *adeò res est subitaria, & repentina.*

53. *Satiné salvè.*] Hoc loco *salvè* est adverbium, à *salvus*, id est, *rectè, commodè, integrè*, Donatus. Apuleius: *Puer ubi sit, & quàm salvè agat, interrogat.* Usitata erat interrogatio redeuntium peregrè. *Recténe omnia?* Et discedentium: *Numquid vis?*

61. *Miseria uni quidem homini'st affatim.*] Vox est Calliclis injuriosa mulieribus.: hâc enim significat Lesbonicum satis pœnarum daturum esse anteactæ vitæ, & anteactarum libidinum, si cogatur nubere. Philemo author hujus Fabulæ, primus apud Græcos dixisse, dicitur, ἀθάνατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή: *Mulier est immortale & necessarium ma-*

Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum'st.
LE. At jam post hac temperabo. *CH.* dicis; si facias modò.
LE. Num quid causſæ est, quin uxorem cras domum ducam?
CH. optimum'st, licet.
Tu in perendinum paratus sis ut ducas. Plaudite.

INTERPRETATIO.

Nam est parum, si ducat centum uxores pro delictis. LE. *Sed jam deinceps ero temperantior.* CA. *Polliceris; si prestes modò.* LE. *Quid impediat, quominus ducam uxorem domum?* CH. *Cras est optimum, licet. Tu sis paratus, ut ducas in diem tertium ab hodierno. Plaudite.*

ANNOTATIONES.

lum. Propertius:
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit & cuivis fœmina multa mala.
Parum est.] Id est, *parum miseria est:* Quasi dicat, *non est satis magna miseria.*

65. Plaudite.] Hoc uno verbo constat Epilogus Fabulæ.

FINIS TRINUMMI.

M. ACCII PLAUTI TRUCULENTUS.

ARGUMENTUM.

PHRONESIUM meretrix, Plautinarum omnium astutissima, irretit amoribus suis tres juvenes, urbanum unum Dinarchum, rusticum alterum Strabacem, tertium Stratophanem militem Babilonium. Dinarchus urbanus reversus Lemno insulâ legatus Athenas, admittitur ad Phronesium. Astaphium, missa ab Phronesio, ad invitandum Strabacem rusticum, qui amabat Phronesium, recipitur, seu potius arcetur à Stratilace, servo Strabacis truculentissimo, unde nomen Fabulæ. Porrò Phronesium scripserat militi, se esse gravidam: rescribit ille, ut puer, qui natus fuerit, diligenter educetur. Phronesium mandat Suræ tonstrici suæ, ut quærat puerum, quem sibi supponat. Advenit Stratophanes; gratulatur sibi, quod natus sit filius: dat munera matri, ancillas duas, quas dicit fuisse Reginas ex Syriâ, perulam è parvâ Græciâ, purpuram ex Tyro, vestes ex Ponto, & minas viginti. Intereadum versatur miles cum Phronesio, mittit Dinarchus urbanus amator sua munera ad Phronesium, per Getam servum; dat quinque minas, & alia munera. Homo, qui oves emerat à patre Strabacis, venit cum minis viginti; dat pecuniam Strabaci, Strabax Phronesio. Calliclis filiæ vim attulerat Dinarchus ebrius: ei fuerat promissa à Callicle. Peperit puerum, qui supponitur Phronesio ad illudendum militi: confessionem rei à duabus ancillis extorquet Callicles. Dinarchus poscit à Callicle, sibi dari ejus filiam in matrimonium. Stratophanes & Strabax muneribus decertant de Phronesio. Hæc Fabulâ vocatur *Truculentus*, non à Stratilace servo Strabacis, sed à Strabace domino Stratilacis, aut certè à Strabace & Stratilace, quasi rusticum, seu rusticam appelles: in hâc enim partes semper sunt Strabacis. Stratophanes & Dinarchus alterna patiuntur Phronesiii fastidia; rusticus semper habet propitiam. Unde hujus Fabulæ Argumentum fuerit mutuatus, aut si

è Græco verterit Poëta, non apparet. Constat *Truculentus* Prologo, Fabulâ, & Epilogo. Fabulæ protasis patet à Prologo ad Scenam quartam Actus secundi; hinc ad Actus quarti Scenam tertiam Epitasis; Catastrophe ad versum septuagesimum quartum Actus quinti. Tribus versibus ultimis est Epilogus. Hæc Fabula continet graphicam meretriciarum fraudum descriptionem, stoliditatemque amatorum.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

STRATOPHANES miles Babilonicus.

STRABAX rusticus.

STRATILAX servus Strabacis.

DINARCHUS rivalis Stratophanis, legatus Atheniensis.

GETA servus Dinarchi.

CALLICLES socer Dinarchi.

ANCILLÆ duæ Calliclis anonymæ.

PHRONESIUM meretrix.

CYAMUS servus Phronesii.

ASTAPHIUM, PITHECIUM, ARCHILIS } servæ Phronesii.

ARCHIVA obstetrix Phronesii muta.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

TRES unam pereunt adolescentes mulierem,
Rure unus, alter urbe, peregrè tertius.
Quique ista ingenti militem tangat bolo,
Olàm suppositit sibi clandestinò editum.
Vi magnâ servus est ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parsimoniam.
Et is tamen molitur. Miles advenit,
Fatique caussâ dat propensa munera.
Tandem compressæ pater cognoscit omnia.
Quique illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit à meretrice subditum.

INTERPRETATIO.

TRes juvenes amant perditè unam meretricem: unus est agrestis, alter urbanus, tertius peregrinus: & ut circonveniat militem majori prædâ, sibi supponit puerum *clàm occultè natum. Servus est magnæ violentiæ, ac morum ferorum, ne meretrices auferant,* quæ *dominus* comparavit *suâ parsimoniâ. Attamen ille mitior fit. Miles revertitur, & dat munera. Maximè tandem pater vitiatæ puellæ detegit cuncta. Et ut ille, qui illam corrupit, illam ducat* uxorem, *adit patrem; & ille reposcit à meretrice suum filium, qui illi suppositus fuerat.*

ANNOTATIONES.

1. *Tres.*] Strabax rusticus, Dinarchus urbanus, Stratophanes miles.

6. *Lupæ.*] *Meretrices* dictæ *lupæ:* unde *lupanar.*

Parsimoniam.] Fortunas parsimoniâ partas; metonymicè

PROLOGI ARGUMENTUM.

PROLOGUS duabus constat partibus. In alterâ benevolentiam rogat, in alterâ docilitatem, proposito breviter Fabulæ Argumento. Ac benevolentiam quidem parat, allatâ in medium insigni Romanæ civitatis laude: Athenæ videlicet, quæ fuerant, amplitudine sua & celebritate, tamdiu principes orbis terrarum, adeò jam impares sunt Romæ, ut hæc in angulum illius videantur posse transferri, & eo contineri. In Argumento autem, & avaritia meretricis, & fraus ad eam explendam notantur.

PROLOGUS.

PERPARVAM partem postulat Plautus loci
De vestris magnis atque amœnis mœnibus,
Athenas quò sine architectis conferat.
Quid nunc? daturin' estis, annon? annuunt.
Meditor equidem vobis me ablaturum sine
Morâ. quid si de vestro quippiam orem? abnuunt.
En mehercle in vobis residunt mores pristini,
Ad denegandum ut celeri linguâ utamini.
Sed hoc agamus, quâ huc ventum est gratiâ.
Athenis tracto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper, dum transigimus hanc Comœdiam.
Hîc habitat mulier, nomine quæ est Phronesium,
Hæc hujus secli mores in se possidet;
Nunquam ab amatore suo postulat id quod datum est:
Sed reliquam dat operam ne sit reliquum,
Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum.
Nam omnes id faciunt, cùm se amari intellegunt.
Ea se peperisse puerum simulat Militi.
Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo.
Quid multa? *ætas* huic si superet mulieri,
Is cum animâ ad eam habentiam everrerit.

INTERPRETATIO.

Plautus rogat exiguum locum in vestrâ amplissimâ gratissimâque urbe, in quem devehat Athenas sine Architectis. Quid respondetis? Concedetisne? An non? Concedent. Equidem sum arbitratus vos mihi daturos statim. Quid si rogem aliquid de vestris bonis? Nutu negant. En per Herculem antiqui mores manent apud vos, quando adhibetis linguam velocem ad abnuendum. Sed exequamur id, cujus causâ huc accessimus. Sint hìc Athenæ, sicut est Proscenium, interea-dum exhibemus breviter hanc Comœdiam. Mulier hìc manet, quæ vocatur Phronesium: hæc continet in se mores hujus temporis; nunquam repetit à suo amatore id quod est concessum: sed curat, nihil ut ei relinquat, rogando atque detrahendo, ut solent mulieres. Nam omnes agunt id, quando animadvertunt se diligi. Ea fingit se peperisse puerum pro milite, ut ei adimat omnia bona cum ramentis. Quid plura? Si vivat hæc mulier, ea expresserit omnia bona cum anima, ab homine.

ANNOTATIONES.

5. *Meditor vobis me ablaturum.*] Id est, *puto me à vobis ablaturum; obtenturum.*

9. *Hoc agamus.*] *Hoc agite.* Erat solemnis formula imperandæ in rebus sacris attentionis.

10. *Athenis tracto.*] Id est, *hoc proscenium Athenis traho, & huc transfero. Tracto* à *traho*; ut *dicto* à *dico.*

19. *Cum pulvisculo.*] *Auferre cum pulvisculo, est nihil quidquam reliqui facere*; sed omnia converrere, ac minimam etiam scobem ac ramentum pulveremque rapere. *Pulvisculus* accipitur & pro peniculo quo excutitur pulvis, & pro pulvere qui excutitur.

20. *Superet.*] Id est, *supersit.*

Quid multa.] Contrahendi in pauciora sermonis formula.

21. *Is cum anima habentiam everrerit.*] Id est, is corraserit quidquid habet, idque ad amicam unâ cum vitâ detulerit.

ACTUS

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

DINARCHUS adolescens reversus à legatione, ad quam missus fuerat ab Athenienſibus ad Lemnienſes, initos olim cum Phroneſio amores inſtaurare aggreditur.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

REVERSUS Athenas Lemno Dinarchus pergit ad Phroneſium, cujus quidem ac fermè omnium meretricum mores proſequitur.

DINARCHUS adoleſcens.

NON OMNIS ÆTAS ad perdiſcendum ſat eſt
Amanti, dum id perdiſcat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapſe unquam edocet Venus,
Quam penes amantum ſumma ſummarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotquot exoretur exorabulis.
Quot illîc blanditiæ, quot illîc iracundiæ
Sunt! quot ſui pericla amanda! dî voſtram fidem! hui!
Quid perjerandum eſt etiam, præter munera!
Primum-dum miros annua: is primus bolu'ſt.

INTERPRETATIO.

OMnis vita non ſufficit amanti ad diſcendum, quot rationibus intereat, dummodo diſcat. Neque Venus ipſa tradit unquam, in quo tota ratio rerum amatoriarum conſiſtit, quot rationibus illudatur amanti, quot modis amans pereat, quot exoretur, quot ſint illecebræ in amore! quot iræ! quot pericula ſubeunda? Dei veſtram fidem! hui! quot ſunt facienda perjuria, præter præmia! Primùm merces annua: is eſt primus jactus retis.

ANNOTATIONES.

4. *Summa ſummarum redit.*] Id eſt, *Penes quam ſumma rerum, eorum, qui amant, poteſtas eſt. Summa ſummarum* eſt cum in rationibus accepti & expenſi multa nomina, & capita in unam ſummam rediguntur.

6. *Exorabulis.*] Dictum ab *exorando*: ut à *conciliando*, *conciliabulum*, à *latendo*, *latibulum*.

10. *Miros annua.*] Id eſt, *penſio annua*. *Primus bolu'ſt.*] *Prima jactura eſt.*

Ob eam tris noctes utor. interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignúsne an bonæ frugi ſies.
Quaſi in piſcinam rete qui jaculum parat;
Quando abiit rete peſſum, tum adducit *ſinum*.
Sin jecit rete; piſcis ne effugiat, cavet:
Dum huc dum illuc reti eos impedit
Piſces, uſque adeò donicum eduxit foras.
Itidem eſt amator. ſi id, quod oratur, dedit,
Atquè eſt benignus potius quàm frugi bonæ.
„ Adduntur noctes: interim ille HAMUM VORAT.
„ SI SEMEL AMORIS POCULUM accepit merè,
Eáque intra pectus ſe penetravit potio,
Extemplò & ipſus periit, & res, & fides.
Si iratum eſt ſcortum fortè amatori ſuo,
Bis periit amator, ab re atque animo ſimul.
Sin alter alteri potior eſt, idem perit.
Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Sin increbravit; ipſus gaudet, res perit.
ITA *diſciplina* in ædibus eſt lenoniis,
Priusquam unum dederis, centum quæ poſcat, parat.
Aut aurum periit, *aut* conſciſſa pallula eſt,

INTERPRETATIO.

Idcircò conceduntur tres noctes. Interea explorat utrum liberalis, & bonus ſis rogatis, aut pecuniâ, aut vino, aut oleo, aut tritico. Quaſi qui conjicit rete jaculum in piſcinam: quando rete incidit in aquam, tum contrahit rete. Sin conjecit rete; cavet ne piſcis elabatur: donec rete huc & illuc irretiat, & extrahat ex aquâ. Amator eſt ejuſmodi. Si tribuit id quod eſt rogatum, & eſt liberalis potius quàm probus. Adjiciuntur noctes: interea ille deglutit hamum. Si libavit ſemel poculum merum amoris; & eâ potio deſcenderit altius in pectus, ſtatim occidit & ipſe, & fortunæ, & fides. Si fortè meretrix eſt infenſa ſuo amatori, amator duplicem jacturam patitur, & fortunarum & animi ſimul. Si alter amator antefertur alteri, idem perditus eſt. Si obtinet paucas noctes, cadit animo: ſi crebras; lætatur quidem ipſe, ſed ejus fortunæ labuntur. Diſciplina lenonia eſt ejuſmodi, ut antequam largitus fueris unum munus, leno excogitet centum alia, quæ flagitet. Aut pecunia diſperit, aut palla eſt lacerata,

ANNOTATIONES.

11. *Ob eam tris noctes utor.*] Id eſt, *tribus noctibus fruor amoribus.*

15. *Sinum.*] *Laxitatem retis contrahit.*

18. *Donicum.*] *Donec.*

20. *Benignus.*] *Prodigus.*

22. *Amoris poculum.*] Eſt φίλτρον, ſive *amatorium.* Seneca: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.*

26. *Ab re.*] *Familiari.*

27. *Sin alter alteri potior.*] *Sin alter altero* potior: ut *die craſtini*, pro *die craſtino*; *die ſeptimi*, pro *die ſeptimo*; *quotidie*, pro *quoto die.*

29. *Sin increbravit.*] *Si id crebrò fiat.*

Aut ēmpta ancilla, aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum ahenum aliquod, aut lectus dapsilis,
Aut armariola Græca, aut aliquid semper *est*
Quod pereat, debeatque amans scorto suo.
Atquè hæc celamus nos damna, unâ industriâ
Cùm rem fidémque nosque nosmet perdimus,
Ne quid parentes neu cognati sentiant.
Quos cùm celamus, si faximus conscios,
Qui nostræ ætati tempestivò temperint,
Unde anteparata demus postpartoribus;
Faxim lenonum & scortorum *ut* plus est, *minus*
Et minus damnosorum hominum, quàm nunc sunt, siet.
Nam nunc lenonum & scortorum plus est ferè,
Quàm olim muscarum est, cùm caletur maximè.
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.
Ea nimia est ratio; quippe qui certò scio,
Æri plus scortorum esse jam quàm ponderum,
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre habere, nisi pro tabulis, nescio,
Ubi æra perscribantur usuraria:
Accipiat illicò expensa, neque censeat.
Postremò in magno populo, in multis hominibus,
Re placidâ atque otiosâ, victis hostibus,

INTERPRETATIO.

aut ancilla empta, aut aliquod vas argenteum, aut aheneum, aut lectus latus, aut armarium Græcum, aut est semper aliquid quod adimatur, & quod amans debeat suæ meretrici. Atque nos dissimulamus hæc detrimenta unâ operâ, quando perdimus rem, fidem, nos; & cavemus, *ne parentes neve affines resciscant. Aliquid, quibus si aperiremus, & non dissimularemus iis qui tempestivè nostræ ætati consulant, ut non daremus ea, quæ sunt parta à nostris parentibus, iis quos nos genuerimus; dabo operam ut, quemadmodum sunt plures lenones & meretrices, sic esset minus hominum perditorum, quàm nunc sunt. Nam est nunc fermè plus lenonum & meretricum, quàm muscarum, quando est æstus caloris maximus. Nam si sunt nusquam alibi, sedent quotidie circum argentarias officinas, quasi scorti lenones. Ea ratio patet; nam certò scio, esse nunc plures meretrices ad aucupandum æs, quàm pondera; nescio quare illi habitent apud argentarios, nisi quia argentarii habeant tabulas, in quas referantur æra, quæ fœnore dantur: illicò Phronesium accipiat,* quæ sunt *tradita, neque in rationem referat. Postremò in numeroso populo, rebus compositis atque otiosis, superatis hostibus,*

ANNOTATIONES.

34. *Lectus dapsilis.*] *Lectus splendidus.*

42. *Postpartoribus.*] Id est, *nostris successoribus, & hæredibus.* Sic dicitur *anteporta, antecupido, prius damnum, nuncdea.*

44. *Damnosorum.*] *Damnosi* hìc accipiuntur, vel pro iis quibus multum datur, vel pro iis qui multum dant.

48. *Scorti lenones.*] Id est, *Scorta & lenones.*

Amare oportet omnes, qui, quod dent, habent.
Nam mihi hæc meretrix, quæ hîc habet, Phroneſium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo,
Phroneſium. nam Phroneſis eſt ſapientia.
Nam me fuiſſe huic fateor ſummum atque intimum,
Quod amantis multo peſſimum eſt pecuniæ.
Eadem, poſtquam alium repperit, qui plus daret,
Damnoſiorem; me exinde amovit loco,
Quem infeſtum ac odioſum ſibi eſſe memorabat mala,
Babylonienſem militem: is nunc dicitur
Venturus peregrè. eo nunc commenta eſt dolum,
Peperiſſe ſimulat ſeſe, ut me extrudat foràs:
Atque ut cum ſolo pergræcetur milite;
Eum eſſe ſimulat militem puero patrem.
Quid iſti ſuppoſitum puerum opus peſſimæ?
Mihi verba retur dare ſeſe? an me cenſuit
Celare ſe poteſſe, gravida ſi foret?
Nam ego Lemno advenio Athenas nudiuſtertius,
Legatus hinc quò cum publico imperio fui.
Sed hæc quis mulier eſt? Aſtaphium eſt ancillula,
Cum eâ quoque etiam mihi fuit commercium.

INTERPRETATIO.

oportet cunctos amori operam dare, qui habent, quod dent. Nam meretrix Phroneſium, quæ habitat hîc, mihi expulit ex meo pectore omne ſuum nomen Phroneſium. Nam Phroneſis eſt ſapientia. Fateor enim me fuiſſe huic ſummum atque intimum, quod eſt funeſtiſſimum crumenæ amantis. Eadem, poſtquam invenit alium, qui daret plus, & plus perderet, me ſummovit à ſe; is erat miles Babilionenſis, quem mala dictitabat, ſibi eſſe infeſtum, atque odioſum: dicitur is venturus peregrè. Idcircò nunc eſt architectata fraudem; fingit ſeſe peperiſſe, ut me excludat foràs: & ut perpotet cum ſolo milite, mentitur eum militem eſſe patrem pueri. Quid opus eſt iſti nequam ſuppoſito puero? Arbitratur ſeſe mihi dare verba? An putavit ſe poſſe me celare, ſi foret gravida? Nam ego advenio Lemno Athenas nudius tertius, quò fui legatus hinc cum imperio publico. Sed qua eſt hæc mulier? Eſt ancillula Aſtaphium. Mihi quoque ea fuit cum eâ.

ANNOTATIO.

59. *Suum nomen.*] *Phroneſium*, id eſt, *prudentiam.*

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

ADEUNTI Dinarcho Phroneſium, occurrit Aſtaphium Phroneſii ancilla. Siſtit eum in veſtibulo, jubetque expectare uſque eodum hera laverit.

ASTAPHIVM ancilla, DINARCHVS.

ASTAPHIVM.

AD fores auſcultate, atque aſſervate ædis,
Ne quis adventor gravior abeat quàm adveniat:
Neu qui manûs attulerit ſteriles intrò ad nos,
Gravidas foras exportet, novi ego hominum mores;
Ita nunc adoleſcentes morati ſunt. quin ei
Ut ſimitu adveniunt ad ſcorta congerones,
Conſulta ſunt conſilia, quando intrò advenerunt;
Unus eorum aliquis oſculum amicæ uſque oggerit.
Dum illi agunt *quod agunt*, ſunt cæteri cleptæ.
Sin videant quempiam ſe aſſervare, obludunt, quî cuſtodem
Oblectent per joculum & ludum: de noſtro ſæpe edunt, quod
Fartores faciunt. fit pol hoc, & pars ſpectatorum ſcitis
Pol, hæc vos me haud mentiri.
Ibi eſt ibus pugnæ & virtuti, de prædonibus prædam capere.
At nos rurſum lepidè referimus gratiam furibus noſtris:
Nam ipſi vident, cùm eorum aggerimus bona: quin etiam ultrò
ipſi aggerunt ad nos.
DI. Me illis quidem hæc verberat verbis. nam ego huic dona
accongeſſi.

INTERPRETATIO.

AS. *MAnete ad oſtium atque cuſtodite domum, ne quis veniat, & abeat onuſtior quam venerit: neve qui venerit huc cum manibus vacuis, efferat foris plenas, ego novi indolem hominum: juvenes ſunt nunc ſic facti. Ut ſtatim atque adveniunt ad meretrices prædones, eorum conſilia ſunt compoſita; quando ingreſſi ſunt, unus eorum offert ſavium amicæ. Dum illi ſunt intenti ſuo operi, reliqui ſunt fures. Si animadvertant à quopiam ſeſe obſervari, ludunt coram eo, ut deludant obſervatorem jocis & præſtigiis: epulantur ſæpè ſæpius de noſtrâ re, ſicut fartores agunt. Per Pollucem, hoc ſolet fieri, & vos non ignoratis magna ex parte, ſpectatores, me minimè mentiri. Tunc arbitrantur eſſe fortitudinis, & conſtantiæ detrahere ſpolia prædonibus. Sed nos remetimur viciſſim feſtivè gratiam noſtris prædonibus: nam cernunt ipſi, quando colligimus eorum fortunas: quin etiam ipſi comportant ad nos libenter.* DI. *Hæc ſanè mihi obtundit aures his verbis. Nam ego hanc cumulavi muneribus.*

ANNOTATIONES.

6. *Ut ſimitu.*] *Simulatque.*

Congerones.] Nonius: à *congerendo.* Fulgentius: *Congerones, qui aliena ad ſe congregant; unde apud Romanos Gerones Brictiani dicti.* Unde alibi Plautus: *Forũ-gerones.* Nonius: *Congerrones dicti à gerris*, id eſt, *nugis & ineptiis.*

9. *Sunt cæteri cleptæ.*] *Fures.* Græcum.

12. *Fartores.*] Nam de iis, quæ ad eos delata ſunt, ut farcimina conficiant, non nihil detrahunt, eoque veſcuntur.

14. *Ibi eſt ibus.*] *Ibus*, pro *iis.*

AS. Commemini ! jam pol ego eum ipſum, ſi domi erit, mecum adducam.

DI. Heus manedum, Aſtaphium, priuſquam abis. *AS.* qui revocat? *DI.* ſcies.

Reſpice huc. *AS.* quis eſt? *DI.* vobis qui multa bona eſſe vult? *AS.* dato, ſi eſſe vis.

DI. Faxo, erunt! reſpice huc modò. *AS.* iò! enicas me miſeram, quisquis es.

DI. Peſſima, mane!

AS. I, optimè! odioſus es.

Dinarchúsne illic eſt? atque is eſt. it ad nos. *DI.* & tu fer contrà manum, & pariter

Gradere. *AS.* tibi ſervio, atque audiens ſum imperii. *DI.* túte quid agis?

AS. Valeo, & validum teneo. peregrè cùm advenis, cœna detur.

DI. Benignè dicis. *AS.* at enim, amabo, ſine me ire quò juſſit. *DI.* eas.

Sed quid ais? *AS.* quid vis? *DI.* iſtic, quò iter inceptas, qui eſt? quem arceſſis? *AS.* Archivam

Obſtetricem. *DI.* mala fæmina es. *AS.* ſolens ſum: ea eſt diſciplina.

DI. Manifeſtam mendacii, mala, te teneo. *AS.* quid jam, amabo?

DI. Quia te adducturam huc dixeras eum ipſum, non eampſe.

Nunc mulier facta eſt ex viro: mala es! *AS.* præſtigiator!

DI. Sed tandem loquere. quis is homo eſt, Aſtaphium? novus amator?

AS. Nimis otioſum arbitror hominem eſſe *te*. *DI.* quianam arbitrare?

INTERPRETATIO.

AS. *Commemini! jam per Pollucem, ego adducam Strabacem mecum, ut mandavit hera, ſi erit in ædibus.* DI. *Heus manedum, Aſtaphium, antequam proficiſcaris.* AS. *Qui revocat?* DI. *Reſpice huc, videbis.* AS. *Quis eſt?* DI. *Eſt ille qui vobis optat multa bona.* AS. *Da ea nobis, ſi vis nos habere.* DI. *Dabo operam ut ſint! reſpice huc modò.* AS. *Iò! me occidis infelicem, quisquis es.* DI. *Manè, peſſima!* AS. *I, optimè! es moleſtus. Eſtne ille Dinarchus? Et quidem eſt is. Venit ad nos.* DI. *Et tu confer te obviam, & occurre occurrenti.* AS. *Sum tua, & quidem dicto audiens.* DI. *Quid agis tu?* AS. *Valeo. & teneo fortem. Quando advenis peregrè, dabitur cœna.* DI. *Dicis urbanè.* AS. *Sed, obſecro, patere me pergere, quò me hera mandavit ire.* DI. *Perge. Sed quid dicis?* AS. *Quid vis?* DI. *Quis eſt ille ad quem contendis? Quem arceſſis?* AS. *Archivam obſtetricem.* DI. *Es nequam mulier.* AS. *Sum conſueta eſſe: fuit mea inſtitutio.* DI. *Te deprehendo in manifeſto mendacio, nequam.* AS. *Quare, obſecro?* DI. *Quia pollicita fueras te adducturam eum ipſum, non eam ipſam. Jam vir mutatus eſt in mulierem: es improba!* AS. *Præſtigiator!* DI. *Sed tandem dic. Quis eſt ille, Aſtaphium? Novus amator?* AS. *Exiſtimo te abundare otio.* DI. *Quare?*

ANNOTATIO.

24. *Fer contrà manum.*] Manus porrigitur in ſalutationibus.

AS. Quia tuo veſtimento & cibo alienis rebus curas.
DI. Vos me reddidiſtis otioſum. *AS.* quid jam, amabo? *DI.* ego expedibo:
Rem perdidi apud vos. cum re meum negotium abſtuliſtis.
Si rem ſervaſſem, fuit ubi negotioſus eſſem.
AS. An túte bene rem publicam aut amoris aliâ lege
Habere poſſe ſe poſtulas, quin tu otioſus fias?
DI. Illa, haud ego, habuit publicum: pervorsè interpretaris.
Nam advorſum legem à me, ob meam ſcripturam, pecudem accepit
Æraque. *AS.* idem quod tu facis, faciunt rei malè gerentes:
Ubi non eſt, ſcripturam unde dent, incuſant publicanos.
DI. Malè vertit res pecuaria mihi apud vos: nunc viciſſim
Volo habere aratiunculam pro copiâ hîc apud vos.
AS. Non arvus hic, ſed paſcuus eſt ager. ſi arationes
Habituris, qui arari ſolent, ad pueros ire melius eſt.
Hunc nos habemus publicum: illi alii ſunt publicani.
DI. Utrosque percognovi utrobidem. *AS.* iſtoc pol tu otioſus,
Cùm & illîc & hîc pervorſus es. ſed utris cum rem eſſe mavis?
DI. Procaciores eſtis vos, ſed illi perjurioſi.
Illis perit quicquid datur, neque ipſis apparet quicquam.
Vos ſaltem, ſi quid quæritis, & bibitis & comeſtis.

Interpretatio.

AS. *Quia curas res alienas tua veſte & eſcâ.* DI. *Vos me reddidiſtis otioſum, tu & tua hera.* AS. *Quare obſecro?* DI. *Ego dicam: dilapidavi bona apud vos: abſtuliſtis meum laborem cum fortunis. Si cuſtodiſſem meas fortunas, habuiſſem in quo eſſem occupatus.* AS. *An tu arbitraris te poſſe gerere benè res publicas, niſi ſis otioſus?* DI. *Illa tractavit rem publicam, non ego: explicas malignè. Nam accepit pecudem adverſus legem, præter me, & pecuniam ab eo, ob meam ſcripturam.* AS. *Qui gerunt malè rem agunt id quod tu agis: quando non habent, quod dent, publicanis ut tenentur ex ſcripto accuſant publicanos.* DI. *Commercium pecudum mihi ceſſit malè apud vos: nunc volo habere modulum agri, apud vos, quem arem pro viribus.* AS. *Hic ager non eſt arandus, ſed paſcendus. Si vis habere arationem, quæ ſoleat arari, præſtat ire ad pueros. Nunc habemus nos res publicas: illi alii ſunt publicani.* DI. *Novi penitus utroſque ab utraque parte.* AS. *Per Pollucem, tu es otioſus, idcircò quia eſt tempus ut ſis perverſus, & illîc & hîc. Sed cum utris mavis eſſe negotium?* DI. *Vos eſtis procaciores, ſed illi perjurioſi. Quidquid illis datur, pereit: & nihil ex iis apparet. Vos ſi quæritis aliquid, ſaltem & potatis, & comeditis.*

Annotationes.

41. *Habuit publicum.*] *A ſe conductum.*

43. *Æraque.*] *Æra* erant mulctæ pecuniariæ, quas portitores aut ſcriptuarii imponebant.

44. *Scripturam.*] Eſt illud quod ideò datur, ut ager publicus alicui aſcribatur.

46. *Aratiunculam.*] *Agellum conductum quem arem.*

47. *Non arvus.*] Varro: *Ager arvus eſt, conſitus, paſcuus, florens.*

48. *Habituris.*] Id eſt, *habere deſideras*, ab *habiturio.*

52. *Procaciores.*] Feſtus: *Procari, paſcere eſt: unde & proci, & procaces meretrices, & verbum procas, id eſt, poſcis.*

Postremò illi sunt improbi ; vos nequam & glorioſæ
Malæque. *AS. quæ* in nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche,
Et noſtram & illorum vicem. *DI.* quî iſtuc ? *AS.* rationem dicam:
„ Quia QUI ALTERUM INCUSAT probri, eum ipſum ſe intueri
oportet.
Tu à nobis, ſapiens, nihil habes : nos nequam abs te habemus.
DI. O Aſtaphium, haud iſtoc modo ſolita es me antè appellare,
Sed blandè : cum illuc, quod apud vos nunc eſt, apud me haberem.
„ *AS.* DUM VIVIT, hominem noveris : ubi mortuus eſt, quieſcas.
Te, dum vivebas, noveram. *DI.* an me mortuum arbitrare ?
AS. Quî potis eſt, amabo, planius ? qui antehac amator ſummus
Habitu'ſt, iſtunc ad amicam meras querimonias referre.
DI. Voſtrâ hercle factum injuriâ, quæ properaviſtis olim
Rapere. otioſé oportuit : diu ut eſſem incolumis vobis.
AS. Amator ſimili'ſt oppidi hoſtilis. *DI.* quo argumento eſt ?
AS. quàm-
primùm. expugnari poti'ſt amator, optimum eſt amicæ.
„ *DI.* Ego fateor. ſed LONGE aliter eſt amicus atque amator.
„ Certè hercle QUAM VETERRIMUS homini optimus eſt amicus.
Non hercle occiderunt mihi etiam fundi & ædis.
AS. Cur obſecro ergo ante oſtium pro ignoto, alienóque aſtas ?
I intrò ! haud alienus tu quidem es. nam ecaſtor neminem hodie
Mage amat corde atque animo ſuo, ſiquidem habes fundum atque ædis.
DI. IN MELLE SUNT LINGUÆ ſitæ veſtræ atque orationes
„ Lacteque : corda felle ſunt lita, atque acerbo aceto.

INTERPRETATIO.

Poſtremò illi ſunt improbi ; vos nequam & arrogantes & improbæ. AS. *Illa univerſa dicis, adverſus temetipſe, Dinarche, quæ dicis adverſus nos & illos, in noſtram vicem & illorum.* DI. *Quare ?* AS. *Dicam rationem : quia qui accuſat alterum flagitii, debet ipſum contemplari. Tu nihil accepiſti à nobis ſapientiæ : nos accepimus à te nequitiam.* DI. O *Aſtaphium, non es conſueta me vocare adeò ferociter anteà, ſed leniter, quando haberem apud me, quæ ſunt nunc apud vos.* AS. *Agnoſcendus eſt homo, dum vivit : quando eſt mortuus, eſt quieſcendum. Te noveram, quando vivebas.* DI. *An arbitraris me eſſe mortuum ?* AS. *Quis poteſt eſſe magis, mortuus, obſecro, quàm qui eſt habitus antea ſtrenuus amator, & qui nunc confert ad amicam meras querimonias ?* DI. *Per Herculem, hoc eſt factum veſtrâ culpâ, quæ acceleraviſtis olim auferre. Debebatis auferre minus citò, ut eſſem vobis diu incolumis.* AS. *Amator eſt ſimilis oppido hoſtium.* DI. *Quo pacto ?* AS. *Quàm velociſſimè poteſt capi amator, eſt ſatius amicæ.* DI. *Equidem fateor. At amator eſt longè diſſimilis amico. Per Herculem, amicus eſt optimus qui eſt vetuſtiſſimus. Per Herculem fundi & ædes non ſunt mortuæ adhuc.* AS. *Quare igitur adſtas, ante oſtium, ſicut ignotus, & peregrinus ? Ingredere ! non alienus tu es. Nam, per eadem Caſtoris, mea hera nullum amat impenſiùs te ex animo & corde, ſi habes fundum & ædes.* DI. *Veſtræ linguæ atque orationes manant melle & lacte : ſed cor ſcatet felle, & aceto acerbo.*

„ E linguis

„E linguis dicta dulcia datis, corda amarè facitis
„Amantes, si qui non danunt. *AS.* non didici fabulare.
DI. Non isthæc mea benignitas docuit te fabulari,
Sed isti, quî cum Geniis suis belligerant, parcipromi.
Mala es, atque eadem, quæ soles, inlecebra! *AS.* ut exspectatus
Peregrè adveniſti! *DI.* nam obsecro? *AS.* cupiebat te hera videre.
DI. Quid tandem? *AS.* te unum ex omnibus amat. *DI.* euge, funde & ædes,
Per tempus subveniſtis mihi! sed quid ais, Astaphium? *AS.* quid vis?
DI. Estne intus nunc Phroneſium? *AS.* tibi quidem intus.
DI. Valétne? *AS.* imò edepol melius credo fore, ubi te videbit.
„*DI.* Hoc nobis vitium maximum est: CUM AMAMUS, tum perimus.
Si illud, quod volumus, dicitur, palàm cum mentiuntur;
Verum esse inſciti credimus. næ, ut in æstu, mutuamur irâ.
AS. Heia! haud ita res est. *DI.* ain, tu, me amare? *AS.* imò unicè unum.
DI. Peperisse eam audivi. *AS.* ha! obsecro, tace Dinarche. *DI.* quid jam?
AS. Horreſco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita pænè tibi fuit Phroneſium. i intrò jam amabo!
Vise illam: atque opperire ibi. jam exibit: nam lavavit.
DI. Quid ais tu? quæ nunquam fuit prægnas, quî párere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere senſi.

INTERPRETATIO.

Profertis dicta ſuavia è linguis, facitis corda amara in amore, ſi qui non infundunt munera. AS. *Non didici fabulari.* DI. *Mea liberalitas non te docuit dicere hæc, ſed iſti avari qui bellum gerunt cum genio. Ei nequam & eadem, quæ ſoles, auceps erumena.* AS. *Quàm adveniſti peregrè exoptatus!* DI. *Nam amabo?* AS. *Hera cupiebat te videre.* DI. *Quare tandem?* AS. *Te amat præter cæteros.* DI. *Euge, funde & ades, fuiſtis auxilio tempeſtivè! ſed quid dicis, Aſtaphium?* AS. *Quid vis?* DI. *Phroneſium eſtne nunc in ædibus?* AS. *Eſt intùs pro te.* DI. *Valétne?* AS. *Imò per ædem Pollucis credo fore, ut magis recreetur à morbo, quando te conſpiciet.* DI. *Nobis vertitur maximo probro: quando amamus, tum perimus. Si dicitur id quod volumus, quando mentiuntur palàm, arbitramur ſtulti id eſſe verum. Certè jactamur vicibus iræ & amoris, ut mare.* AS. *Eia! res non eſt ejusmodi.* DI. *Dicisne tu tuam heram me amare?* AS. *Imò amat te unum præ omnibus.* DI. *Audivi eam peperiſſe.* AS. *Ha! quæſo, ſile, Dinarche.* DI. *Quare?* AS. *Horreſco infelix, quoties ſit mentio partus: nam Phroneſium tua amica fermè periit. Ingredere jam, amabo! viſe illam, & expecta ibi. Jam egredietur; nam lavit.* DI. *Quid dicis tu? quomodo potuit parere, quæ nunquam fuit gravida? Nam ego nunquam animadverti, quod ſciam, uterum illi intumeſcere.*

ANNOTATIONES.

80. *Benignitas,*] Id est, *Beneficentia, & liberalitas.*

81. *Qui cum Geniis,*] Qui ventri suo bellum indixerunt.

AS. Calebat, metuebatque te illa, ne sibi persuaderes
Ut abortioni operam daret, puerúmque ut enecaret.
DI. Tum pol isti puero quis est pater? *AS.* Babylonienſis miles,
Cujus nunc ista adventum expetit. imò abeo! ut nunciatum'st;
Jam hîc affuturum ajunt eum. nondum adveniſſe miror.
DI. Ibi igitur intrò? *AS.* quippini? tam audacter, quàm domum ad te.
Nam tu edepol noſter es etiam jam nunc Dinarche. *DI.* quam mox
Te recipis tu? *AS.* jam hìc ero: propè eſt, profecta quò ſum.
DI. Redi verò actutum. ego interim te apud vos opperibor.

INTERPRETATIO.

AS. Illa ſciebat ſe eſſe gravidam, & metuebat, ne tu ſibi perſuaderes ne abortum procuraret, & ut enecaret puerum. DI. *Tum per Pollucem qui eſt pater illius pueri?* AS. *Miles Babylonicus, cujus illa expectat nunc adventum. Imò abeo! ut eſt relatum, dicunt eum jam affuturum hic. Miror nondum adveniſſe.* DI. *Introibo igitur!* AS. *Quid ni? Ingredere, tam audacter, quàm in tuas ades. Nam per ædem Pollucis, tu es etiam noſter, ô Dinarche!* DI. *Quàm tu reverſa es celeriter?* AS. *Jam ero hìc: eſt propè, quò ſum profecta.* DI. *Rediero actutum, Ego te expectabo interim apud vos.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PHRONESIUM mittit ancillam ſuam Aſtaphium ad Strabacem amatorem ruſticum accerſendum: interim amatores ſuos alios duos Dinarchum urbanum, & Stratophanem militem ludificatur.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

DIMISSO Dinarcho urbano amatore ad oſtium Phroneſii, pergit Aſtaphium ad Strabacem ruſticum amatorem, & morum heræ ſuæ, ac præſertim avaritiæ inexplebilis, fraudumque verè meretriciarum imaginem repræſentat.

ASTAPHIVM ancilla.

HA, ha, ha! hercle quievi, quia introivit odium. tandem sola sum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar liberè quæ volam & quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit næniam de bonis:
Nam fundi & ædis obligatæ sunt ob amoris prandium. verùm
Apud hunc mea hera consilia summa eloquitur liberè: magisque
Adeò ei consiliarius hic amicus est, quàm auxiliarius.
Dum fuit, dedit. nunc nihil habet. quod habebat, nos habemus:
Iste nunc id habet, quod nos habuimus. humanum facinus factum est.
„ACTUTUM FORTUNÆ solent mutarier. VARIA vita est.
Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos.
Verterunt sese memoriæ. stultus sit, qui id admiretur.
Si eget, necesse est nos patiatur ali. ita æquum factu est.
Piaculum est, misereri nos hominum reimalegerentum.
Bonis esse oportet dentibus lænam probam: arridere,
Quisquis veniat, blandéque alloqui: malè corde consultare,
„Benè loqui linguâ. MERETRICEM esse similem sentis condecet,
Quemquem hominem attigerit, profectò aut malum aut damnum dari.

INTERPRETATIO.

HA, ha, ha! per Herculem sum contenta, quia est ingressus homo invisus. Demum sum sola. Nunc verba faciam liberè meo arbitrio, quæ optabo & quæ exoptabo. Mea hera occantavit huic homini amanti, nugas de fortunis. Nam prædia & ædes sunt obstricta ad alendum amorem. Sed mea hera differit liberè cum hoc, de suis consiliis, & Dinarchus est potius ejus amicus ad consilium, quàm adjutor. Dedit tandiu quandiu habuit: nunc nihil est ei: nos habemus, quod ei erat: ille habet nunc id, quod nos habuimus. Id est urbanum. Fortunæ solent mutari derepente. Vita est varia. Nos recordamur eum fuisse locupletem, & ille recordatur *nos fuisse pauperes. Recordatio hæc versa est. Sit stultus, qui demiretur id. Si inops est, est necesse, ut nos sinat nutriri. Sic est justum factu. Est scelus, nos misereri hominum, qui malè regunt sua bona. Oportet probam lenam esse firmis dentibus: oportet eam arridere cuivis advenienti, & alloqui urbanè: meditari malum in corde, loqui rectè linguâ. Decet meretricem esse similem sentibus, quemcumque implicaverit, oportet eam afferre dolorem aut detrimentum.*

ANNOTATIONES.

1. *Quievi.*] Id est, *tranquillo animo fum.*

3. *Dixit næniam.*] Festus: *Næniam dixit*, idem est, quod, *supremum dixit: valedixit, abire jussit.*

11. *Verterunt sese memoriæ.*] Scilicet, memoria nostra atque ipsius.

14. *Bonis dentibus.*] Id est, *Quibus comedat amatores.*

Nunquam amatoris meretricem oportet cauſſam noſcere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militiâ domum.
Nec unquam quisquam probus erit amator, niſi qui rei inimicu'ſt ſuæ.
Nugæ ſunt, niſi quod modò cum dederit, dare jam lubeat denuo.
Is amatur hîc apud nos, qui, quod dedit, id oblitu'ſt datum.
Dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, alium quæſtum cœpiat.
Æquo animo, ipſe ſi nihil habeat, aliis qui habent, det locum.
Probus eſt amator, qui relictis rebus rem perdit ſuam.
At nos malè agere prædicant viri ſolere ſecum,
Nosque eſſe avaras. quæſo! numquî malè nos agimus tandem?
„Nam ecaſtor NUNQUAM SATIS dedit ſuæ quisquam amicæ amator:
Neque pol ſatis accepimus, neque ulla ſatis popoſcit.
„Nam QUANDO STERILIS EST amator à datis, *improbus eſt.*
Si negat ſe habere quod det, ſoli *pernoctandum eſt.*
Nec ſatis accipimus, ſatis cùm quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de theſauris integris demunt, danunt.
Velut hic agreſtis eſt adoleſcens, qui hîc habet;
Nimis pol mortalis lepidus, nimisque probus dator.
Sed is, clam patre, etiam hanc noctem illàc
Per hortum tranſilivit ad nos. eum volo convenire.
Sed eſt huic unus ſervus violentiſſimus,
Qui ubi quamque noſtrarum videt prope ædis, hàc ſi aggrediar,

INTERPRETATIO.

Numquam meretrix debet audire cauſas, quas affert amator, & ſtatim atque nihil dat, oportet eum exantoret pro abſentia ab exercitu. Neque quiſquam erit unquam bonus amator, niſi qui inimicus eſt ſuorum bonorum. Nugatur, niſi velit dare denuò id, quod dederit modò. Ille amatur apud nos, qui oblitus eſt ejus, quod dedit: qui tum amet, quando habeat: quando nihil habet, ille faciat aliud lucrum: ipſe det locum æquo animo aliis, qui habent, ſi nihil habeat. Eſt ſtrenuus amator, qui omiſſis rebus dilapidat ſuas fortunas. Sed homines dicunt nos conſuevisſe malè agere ſecum, & nos eſſe avaras. Demum! an aliquid mali facimus, obſecro? Nam per ædem Caſtoris nunquam amator dedit ſatis ſuæ amicæ: neque per Pollucem accepimus ſatis, neque ulla petivit ſatis. Nam amator eſt nequam, quando eſt tardus in dandis muneribus. Si dicat ſibi nihil eſſe quod tribuat, cubandum eſt ei ſoli. Nec accipimus ſatis, quando non habet ſatis quod det. Oportet ſemper ambire novos datores, qui dant quod depromunt de theſauris plenis. Velut hic juvenis ruſticus, qui manet hîc, per Pollucem, mortalis nimis feſtivus, & munerator nimis bonus. Sed is, inſcio patre, etiam tranſiliit ad nos, hac nocte per hortum. Volo eum adire. Sed habet unum ſervum importuniſſimum, qui ſtatim atque aſpicit quamdam noſtrûm juxta ædes, ſi prætereas illàc,

ANNOTATIO.

19. *Mittas militiâ domum.*] *Caſſer un ſoldat.*

Item ut te frumento anseres, clamore absterret, abigit.
Is item est agrestis. sed fores, quicquid est futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam januæ gerit? ecquis intus exit?

INTERPRETATIO.

te insectatur vociferatione, & abigit ut anseres è frumento. Is rusticus est ejusmodi. Sed pulsabo ostium, quicquid sit. Ecquis tuetur hanc januam? Ecquis prodit ab ædibus?

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

ASTAPHIUM pulsat ostium Strabacis amatoris rustici, ut eum verbis heræ suæ salutet & invitet. Sed eo absente summovetur à Stratilace ejus servo truculentissimo.

STRATILAX servus, ASTAPHIVM ancilla.

STRATILAX.

QUIS illic est, qui tam protervè nostras ædis arietat?
AS. Ego sum. respice ad me. *ST.* quid! ego? nónne ego video? væ tibi!
Quid tibi ad hasce accessio est ædis propè, aut pultatio est?
AS. Salve. *ST.* satis mihi est tuæ salutis: nihil moror: non salveo:
Ægrotare mâlim quàm esse tuâ salute sanior.
Id volo scire. quid debetur hîc tibi nostræ domi? *AS.* *
* * * * *
* * * *
* * *ST.* ut esse cœpisti, si dem, si est una altera.
AS. Nimis hic quidem TRUCULENTUS. *ST.* pergin' malè loqui mulier mihi?

INTERPRETATIO.

ST. *Quis est ille, qui impellit nostrum ostium tam petulanter?* AS. *Ego sum. Intuere me.* ST. *Quid! ego? nónne ego conspicor? Væ tibi! Quare venis ad has ædes, aut pulsas?* AS. *Salvus sis.* ST. *Mihi est satis tuæ salutis: non eam curo: non sum salvus: optarim potius morbo teneri quàm esse salvus tuâ salute. Volo scire id. Quid tibi debetur hìc apud nos?* AS. * * * * * * * * *
ST. *Loco cederem, si esset altera mulier tam molesta, quàm esse cœpisti.* AS. *Hic sanè est nimium Truculentus.* ST. *Túne pergis, mulier, mihi maledicere?*

ANNOTATIONES.

1. *Arietat.*] Id est, cum impetu concurrit, Seneca: *Antequam acies inter se arietarent.*

4. *Non salveo.*] *Salveo.* Inusitatum verbum etiam temporibus Plauti; sed rustico condonandum Stratilaci.

9. *Ut esse cœpisti, fidem.*] *Sidem*, alii *cedam*: id est, *ut molesta & odiosa esse cœpisti cedam tibi, si una altera femina ad te accedat, aquè odiosa.*

AS. Quid tibi ego autem dico? *ST.* quia enim me TRUCULENTUM nominas.
Nunc adeò, nisi abis actutum, ac dicis, quid quæras, citò,
Jam hercle ego hîc te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.
AS. Rus merum hoc quidem est. *ST.* pudendúmne? tu verò clurinum pecus,
Advenisti huc sistentatum exornatis ossibus.
Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam.
An eo bella es, quia accepisti? ad me advenias. *AS.* nunc places!
ST. Quàm me illi velim! *AS.* mentiris. *ST.* dicis quod te rogo?
Mancupium qui accipias, gesta tecum penos annuos.
AS. Dignis dant. *ST.* Laviniæ hîc sunt, quas habes victorias?
AS. Ne attigas me. *ST.* *téne* tangam? ita me amabit sarculum,
Ut ego me ruri hamaxari mavelim patálem bovem,

INTERPRETATIO.

AS. *Quid verò ego tibi dico?* ST. *Quia me appellas Truculentum. Nunc, nisi abssistas è vestigio, ac dicas celeriter quid petas, per Herculem ego te proteram hîc pedibus, quasi sus catulos.* AS. *Hæc est mera rusticitas.* ST. *Idne vertendum vitio? tu verò pecus clusinum, accessisti temet ostentatum ossibus vestitis scitè. Quia finxisti fusco colore togam, impudica. Esne bella, quia accepisti? Audes ad me venire.* AS. *Nunc places!* ST. *Quàm optarem me illi placere!* AS. *Mentiris.* ST. *Dicis quod à te expecto? ut habeas mancipium, gesta tecum hos annulos aneos qui sunt servorum.* AS. *Dantur annuli aneis iis qui merentur.* ST. *Victoriæ quas refers sunt lavinia potius, quàm tua.* AS. *Ne me attingas.* ST. *Téne attingam? Ita me meum sarculum amabit, ut ego malim subjici aratro, cum bove patentibus cornibus ruri.*

ANNOTATIONES.

14. *Clurinum pecus.*] *Clusinum pecus*, permutatione *r* in *s*, quod antiquum & familiare fuit Romanis, tractum ab urbe *Clusio*, ubi non egregia erant fortasse pecora.

15. *Sistentatum.*] *Sistentare*, pro *ostentare*, antiquum: quasi dicas, *sistere se & ostentare.*

Exornatis ossibus.] Tibullus: *Qui succo splendente genas oneravit.* De fucis loquitur.

16. *Insuaso.*] Festus: *Suasum, colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: quia tibi suaso infecisti. Quidam autem legunt, insuaso. Nec desunt, qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo suasum vocari: quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.*

19. *Mancupium quî accipiat, gesta tecum penos annuos.*] Stratilax hoc innuit Astaphio, se esse servum & illam esse servam. *Penos*, alii *henos*. *Henos*, pro *ahenos*; *anuos*, ab *anus*; *annus*, ab *anus*; *annulus*, ab utroque. Sunt igitur *annuli ahenei*, seu *anei*, intelligendi, quos gestare servorum erat.

20. *Laviniæ.*] Jocus est ex ambiguo, quia voluptatibus dediti magnâ ex parte profundebant fortunas in deliciis balnearum. Unde frequentissimè Plautus, pro *profudi bona*, dicit *elavi bonis*. Hoc igitur loco Stratilax exprobrat Astaphio in ædibus Phronesii, amatores sua bona elavare, quo ut alludat *laviniæ*, seu *lavinii oppidi*, in Italiâ nomen usurpat.

22. *Hamaxari.*] Id est, *est plaustrum trahere*, aut *plaustro jungere*. ἅμαξα, *currus.*

Patalem bovem.] Festus: *Patalem bovem Plautus appellat, cujus cornua diversa sunt, ac latè patent.*

Cumque *eo* ita noctem in ſtramentis pernoctare perpetem,
Quàm tuas centum cœnatas noctes mihi dono dari.
Rus tu mihi opprobras? ut nacta es hominem, quem pudeat probri!
Sed quid apud noſtras negotii, mulier, eſt ædis tibi?
Quid tu hòc occurſas, in urbem quotiescunque advenimus?
AS. Mulieres volo convenire voſtras. *ST.* quas tu mulieres
Mihi narras? ubi muſca nulla fæmina eſt in ædibus.
AS. Nullâne iſtîc mulier habitat? *ST.* rus, inquam, abierunt. abi!
AS. Quid clamas, inſane? *ST.* abire hinc ni properas grandi gradu,
Jam ego iſtos fictos, compoſitos, criſpos, cincinnos tuos
Unguentatos usque ex cerebro expellam. *AS.* quânam gratiâ?
ST. Quia adeò fores noſtras unguentis uncta es auſa accedere,
Quiáque iſtas buccas tam bellè purpuriſſatas habes.
AS. Erubui mecaſtor miſera propter clamorem tuum.
ST. Itáne erubuiſti? quaſi verò corpori reliqueris
Tuo poteſtatem coloris ulli capiendi, mala.
Buccas rubricæ, cera omne corpus intinxit tibi.
Peſſumæ eſtis. *AS.* quid eſt, quod vobis peſſumæ hæc····
ST. Scio ego plus, quàm me arbitrare ſcire. *AS.* quid id eſt, obſecro,
Quod ſcias? *ST.* herilis noſter filius apud vos Strabax

INTERPRETATIO.

& pernoctare totam noctem dormiens cum eo in ſtramentis, quàm cubare tecum centum noctibus, poſtquàm bene cœnaverim. Tu mihi exprobras rus? Quàm benè nacta es hominem, quem pudeat hujus convitii! Sed quid eſt tibi rei, mulier, apud noſtras ades? Quare tu accurris huc, quotieſcumque venimus ad urbem? AS. *Opto adire veſtras mulieres.* ST. *Quas mulieres mihi commemoras tu? Quandoquidem nulla eſt muſca fœmina in ædibus.* AS. *Nullâne fœmina manet in iſtis ædibus?* ST. *Profecta ſunt rus, inquam. Abi!* AS. *Quid vociferaris, ſtulte?* ST. *Ni acceleras excedere hinc grandi paſſu, ego decutiam uſque à cerebro iſtos tuos cincinnos fictos, compoſitos, criſpatos unguentis delibutos.* AS. *Quare?* ST. *Quia es auſa venire perfuſa unguentis ad noſtras fores, & quia habes illas malas tam accuratè purpuriſſo infectas.* AS. *Erubui, per Caſtorem, infelix propter tuas vociferationes.* ST. *Erubuiſti? Quaſi verò reliqueris, mala, ullum locum tuo corpori ad recipiendum colorem. Rubrica tinxerunt os, cera univerſum corpus. Eſtis peſſimæ.* AS. *Quare à vobis habemur peſſimæ?* ST. *Ego ſcio plus, quàm arbitraris me ſcire.* AS. *Quid eſt id, obſecro, quod ſcias?* ST. *Quemadmodum Strabax filius heri ſe perdat apud vos.*

ANNOTATIONES.

29. *Muſca nulla fœmina eſt in ædibus.*] Id eſt, *Mares omnes ſumus in ædibus, ut ne muſca quidem fœmina ſit.*

32. *Cincinnos.*] Id eſt, brevioribus capillis, qui aliis ſuboleſcunt, id eſt, creſcunt. Varro: *Ante aures nodi ex ſubolibus parvuli intorti dimittebantur cincinni; ſed & oculi ſuppetuli, nigellis pupilis quandam hilaritatem ſignificantes animi, rictus parviſſimus; ore franato, riſu roſeo.* Deſcriptio eſt exquiſitæ pulchritudinis.

35. *Purpuriſſatas buccas.*] Apuleius: *Quis non diſciplinam matris agnovit? cum in puella videret immedicatum os, & purpuriſſatas genas, & illices oculos.*

39. *Rubrica.*] Idem fermè, quod *purpuriſſum.*

Ut pereat, ut eum illiciatis in malam fraudem & præmium.
AS. Sanus si videâre, dicam: dicis contumeliam.
Nemo hominum hîc perire solet apud nos. res perdunt suas.
Ubi perdidêre res, abire hinc si volunt, nudis licet.
Ego non novi adolescentem vostrum. *ST.* verò'n'? *AS.* seriò.
ST. Quin maceria illa ait, in horto quæ est, quæ in noctes singulas
Látere fit minor, quâ iste ad vos damni permensu'st viam?
AS. Non mirum, vetus est maceria, lateres si veteres ruunt.
ST. Ain tu, mala, lateres veteres ruere? nunquam edepol mihi
Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum credit,
Ni ista ego vestra hero majori facta denarravero.
AS. Estne ille violentus? *ST.* suam non enim ille meretriculis
Muniendis rem coegit, verùm parsimoniæ
Duritiæque; quæ nunc ad vos jam exportatur, pessumæ.
Hem tu, ô sexungula! malè vivitis. egóne hæc mussitem?
Jam enim, eccere ibo in forum, atque hæc facta narrabo seni:
Neque istuc in se gestit, ergo coget exanimem mali.
AS. Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam
Tam esse tristem posse. at pol hero benevolens ut is est suo!

INTERPRETATIO.

quemadmodum pelliciatis in fraudes, & munera. AS. *Dicam tibi, quod res est, si sapis: sed dicis convitium. Nemo solet perdi hîc apud nos. Perdunt bona sua. Ubi perdidere res, si volunt, abire hinc licet nudis. Ego non novi vestrum adolescentem.* ST. *Verùmne?* AS. *Seriò.* ST. *Tamen ille murus, qui est in horto, dicit id: hic in singulas noctes fit minor uno latere, quà iste sibi stravit viam ad vos, in suam perniciem.* AS. *Est vetus murus; non mirum est, si veteres lateres decidant.* ST. *Dicisne tu, improba, veteres lateres decidere? Per ædem Pollucis nunquam quisquam homo mihi posthac credat divini & humani, nisi ego narravero ista vestra facta majori hero.* AS. *Estne ille ferox?* ST. *Non enim ille comparavit suas opes, quæ nunc conferuntur ad vos, in dandis muneribus meretricula, verùm in parsimonia & severitate morum. Hem tu, ô senis ungulis armata! vivitis malè. Dissimulabóne ego hæc? Jam enim, per Castorem, pergam in forum, & referam hæc seni: Neque expectabo usque eodum faciat examen istorum factorum filii in meo tergo verberando.* AS. *Si, per Castorem, iste homo victitet sinapi, non puto futurum esse adeò morosum. Sed, per Pollucem, ut is est benè affectus in herum!*

ANNOTATIONES.

44. *Sanus si videare.*] Si putarem te sanum esse, monerem te mihi contumeliam dicere. Erat formula loquendi, quâ molliùs dicebatur, *tu es amens, tu es insanus.*

50. *Vetus est maceria.*] *Murus sine calce & cæmento.*

52. *Duarum rerum credit.*] Id est, *divini & humani.*

55. *Meretriculis muniendis.*] *Munire* est *muneribus afficere*, quasi dicat, *munerandis.*

56. *Duritiæque.*] Id est, *severitati morum.*

57. *Sexungula.*] *Senis manibus.*

59. *Neque istuc in se gestit.*] Id est, *senex id non putat.*

Ergo coget exanimem mali.] Id est, *itaque coget me aliquando id confiteri adhibitis tormentis.*

Verùm

Verùm ego illum, quanquam violentus est, spero mutari potest
Blandimentis, ornamentis cæteris meretriciis.
„ VIDI EQUIDEM ex jumentis domita fieri, atque alias beluas.
Nunc ad heram revidebo. sed eccum odium progreditur meum.
Tristis exit. haud convenire etiam hîc velim Phronesium.

INTERPRETATIO.

Sed ego credo illum posse molliri blanditiis & ornamentis meretriciis, tametsi est violentus. Equidem vidi jumenta mansuescere, & ceteras belluas. Num repetam ad heram. Sed ecce homo mihi odiosissimus egreditur. Prodit mœstus. Nondum convenit Phronesium, ut puto.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

REVERSA ab Stratilace Phronesii ancilla Astaphium, amatorem urbanum Phronesii Dinarchum invenit, ad ostium stantem ad quod reliquerat, & dum prodiret à balneis expectantem.

DINARCHVS adolescens, ASTAPHIVM ancilla.

DINARCHVS.

PISCES ego credo, qui usque dum vivunt, lavant,
Minus diu lavere, quàm hæc lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quàm lavant,
Omnes amantes balneatores sient.
AS. Non quis parumper durare, opperirier!
DI. Quin hercle lassus jam durando miser.
AS. Mihi quoque præ lassitudine opus est *ut* lavem.
DI. Sed obsecro hercle, Astaphium, i intrò, ac nuncia
Me adesse. tu i properè, & suade jam ut satis laverit.

INTERPRETATIO.

DI. *Ego arbitror pisces, qui innatant aquâ tandiu quandiu vivunt, minus se lavare quàm hæc Phronesium se lavat. Si mulieres perinde amentur atque diu lavantur, omnes amantes sint balneatores.* AS. *Non potes expectare tantisper!* DI. *Per Herculem sum jam defessus exspectando infelix.* AS. *Est mihi opus etiam, ut eam in balneum præ defatigatione.* DI. *Sed, quæso per Herculem, Astaphium, ingredere, ac dic me adesse. Tu perge velociter, & suade ei quòd jam satis laverit.*

ANNOTATIONES.

2. *Lavere.*] *Lavare.* Antiquitus.
5. *Non quis.*] *Durare opperirier*, id est, *durando opperiri.*

AS. licet. *DI.* audin etiam? *AS.* quid vis? *DI.* dî me perduint,
Qui te revocavi! non tibi dicebam. i modò!
AS. Quid jam me revocabas, improbe nihilique homo?
Quæ tibi mille passuum peperit moræ *mora.*
DI. Sed quid hæc hîc autem tamdiu ante ædis stetit?
Nescio quem præstolata est: credo, militem.
Illud est! vide ut jam quasi volturii triduo
Priùs prædivinant, quò die esuri sient:
Illum inhiant omnes: illî est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit,
Quàm si hinc ducentos annos fuerim mortuus.
„ Utrei servire suave est! væ misero mihi!
Post factum flector, quia ante-partum perdidi.
Verùm nunc si qua mihi obtigerit hæreditas.
Magna atque luculenta, nunc postquam scio
Dulce atque amarum quid sit ex pecuniâ:
Ita ego illam edepol servem, itáque parcè victitem,
Ut nulla faxim cis dies paucos siet.
Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim.
Sed est vocis sat sentio aperiri fores,
Quæ obsorbent quicquid venit intra pessulos.

Interpretatio.

AS. Eo. DI. *Audis adhuc?* AS. *Quid cupis?* DI. *Dii me perdant, qui te revocavi! non tibi dicebam. I modò!* AS. *Quare me revocas, jam sceleste vir & vilissime? Hæc mora mihi attulit retardationem mille passuum.* DI. *Sed quare hæc manfit hìc tandiu ante ostium? Nescio quem expectat. Credo eam* expectare *militem. Est id! Vide quemadmodum divinant jam triduo, quasi vultures, quo die sint esuri: omnes inhiant: habet animos omnium conversos in se. Nemo me respiciet magis, quando iste venerit huc, quàm si fuerim mortuus à ducentis annis. Ut est suave esse divitem! Væ mihi misero! de pœnas perditarum opum, quia dilapidavi ea quæ habebam antea. Sed si aliqua hereditas mihi evenerit. Nunc ampla atque egregia, nunc postquam intelligo quid sit dulce & amarum in pecuniâ. Ita per ædem Pollucis, ego illam servabo, itáque vivam parcè, ut sit nulla pecunia intra paucos dies. Ego refellam istos, qui me culpant nunc. Sed est satis vocis: video januam hiare, quæ deglutit quidquid venit intra limina.*

Annotationes.

15. *Quem præstolata est.*] *Præstolor* est *præsto sum. In procinctu sum.*

16. *Quasi volturii.*] *Vultures.* Plinius: *Umbricus haruspicum nostro ævo peritissimus tradit, triduo antè aut biduo vultures volare, ubi cadavera futura sint.*

22. *Flector.*] A *flictor:* unde *afflictor.* Id est, *do pœnas.*

Ante-partum.] Id est, *ante-acquisitum, ante-possessum.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

NARRAT Dinarcho Phronesium, quâ ratione circumduxerit militem Stratophanem. Et compluribus signis amoris ipsi datis ad eum provocandum, ad munera dimittit.

PHRONESIVM meretrix, DINARCHVS.

PHRONESIVM.

NUM tibi nam, amabo, janua est mordax mea,
Quò introire metuas, mea voluptas? *DI.* ver vide,
Ut tota floret! ut olet! ut nitidè nitet!
PH. Quî tam inficetus Lemsto adveniens, qui tuæ
Non des amicæ, Dinarche, suavium?
DI. Vah vapulo hercle ego nunc, atque adeò malè.
PH. Quó te avertisti? *DI.* salva sis, Phronesium!
PH. Salve: hîcne hodie cœnas, salvus cùm advenis?
DI. Promisi. *PH.* ubi cœnabis tu? *DI.* ubi tu jusseris.
Hîc. *PH.* me lubente facies. *DI.* edepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium.
PH. Velim, si fieri possit. *DI.* cedò soleas mihi:
Properate: auferte mensam. *PH.* amabo, sanun' es?
DI. Non edepol bibere possum jam, ita animo malè est.

INTERPRETATIO.

PH. NUm obsecro, mea voluptas, meum ostium mordeat, quia vereris ingredi? DI. Aspice ver. Ut tota florida est! ut olet! ut flulget, ut nitida est! PH. Quomodò es tam illepidus, Dinarche, ut advenias ex Lemno, & non offeras osculum amicæ? DI. Vah: ego do pœnas nunc, per Herculem, atque adeò immeritò. PH. Quò te avertisti? DI. Salve Phronesium! PH. Sis salvus, cœnasne hodie hìc, quoniam reverteris incolumis? DI. Pollicitus sum. PH. Ubi cœnabis tu? DI. Ubi tu volueris. Hìc. PH. Mihi feceris pergratum. DI. Per ædem Pollucis feceris mihi gratius. Nam tu eris hodie mecum, mea Phronesium. PH. Optem, si posset fieri. DI. Da mihi soleas: properate: auferte mensam. PH. Obsecro, sapisne? DI. Per ædem Pollucis non possum bibere, adeò est ægrè animo.

ANNOTATIONES.

2. *Vervide.*] Id est, Phronesium florentem ornamentis. Horatius:

Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit; populo gratior it dies.

4. *Inficetus.*] Id est, *infacetus, ingratus.* Catullus:

Idem inficeto est inficetior rure.

11. *Tu eris hodie mecum.*] Verecundum in ipsâ inverecundiâ verbum. Varro: *Violavit virginem, pro, vitiavit: dicebant æquè eâdem modestiâ potius, cum muliere fuisse, quàm concubuisse.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

PH. Manè ! aliquid fiet, ne abi. *DI.* ah ! aſperſiſti aquam.
Jam rediit animus. deme ſoleas : cedò ! bibam.
PH. Idem es ecaſtor qui ſoles. ſed dic mihi,
Benéne ambulaviſti ? *DI.* huc quidem hercle ad te bene,
Quando tui videndi eſt copia. *PH.* complectere.
DI. Libens. ah ! hoc eſt mel melli dulci dulcius.
Hoc tuis fortunis, Juppiter, præſtant meæ !
PH. Dáne ſuavium ? *DI.* imò vel decem *PH.* haud iſtoc pauperes.
Plus pollicere, quàm ego à te poſtulo.
DI. Utinam à principio rei item parſiſſem meæ,
Ut nunc reparcis ſuaviis ! *PH.* ſi quid tibi
Compendii facere poſſim, factum edepol velim.
DI. Jam laviſti ? *PH.* jam pol mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi ſordere videor ? *DI.* non pol mihi quidem.
Verùm tempeſtas memini *cùm* quondam fuit,
Cùm inter nos ſorderemus unus alteri.
Sed quid ego facinus audivi adveniens tuum ?
Quod tu hîc me abſente novi negotii geſſeris ?
Cùmque bene proveniſti ſalva, gaudeo.
PH. Tibi mea conſilia ſumma ſemper credidi.
Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui,
Verùm aſſimulavi me eſſe prægnatem, haud eram.
DI. Quapropter, ô mea vita ? *PH.* propter militem
Babylonienſem, qui quaſi uxorem ſibi
Me habebat anno dum hîc fuit. *DI.* ego ſenſeram.
Sed quid iſtuc ? cui rei id te aſſimulare rettulit ?

INTERPRETATIO.

PH. *Manè ! faciemus aliquid, ne abi.* DI. *Ah ! aſperſiſti aquam. Animus recreatur jam ; deme ſoleas : cedò ! bibam.* PH. *Per ædem Caſtoris, eſt idem qui antea. Dic mihi, habuiſtine iter felix ?* DI. *Felix quidem, per Herculem, quando eſt facultas tui conſpiciendi.* PH. *Complectere.* DI. *Libens. Ah ! hoc mel eſt ſuavius melle dulci. Mea fortunæ, Jupiter, hoc complexu ſuperant tuas !* PH. *Da oſculum.* DI. *Imò vel decem.* PH. *Non es pauper oſculis. Promittas plus, quàm ego à te poſco.* DI. *Utinam pepercíſſem ab initio meis fortunis, ut nunc reparcis oſculis !* PH. *Si tibi poſſim prodeſſe, per ædem Pollucis, proſim.* DI. *Laviſtine jam ?* PH. *Per Pollucem mihi videor lauta, & mîs oculis. Tibine videor illauta ?* DI. *Per Pollucem non mihi videris. Verùm recordor, cùm quondam alter alteri eſſemus illauti. Sed quid audivi de te quando ſum reverſus ? Quod novum negotium geſiſti hîc me abſente ? Et gaudeo quod evaſiſti ſalva, & incolumis ex his doloribus.* PH. *Tibi commiſi ſemper mea conſilia penitiſſima. Equidem nec peperi puerum, nec fui gravida ; verùm ſimulavi eſſe prægnantem, non eram.* DI. *Quocirca, ô mea vita ?* PH. *Propter militem Babylonienſem, qui agebat hîc mecum, quaſi cum uxore, per annum.* DI. *Ego exiſtimaveram. Sed quare id ? Quò conſilio tu ſimulaſti id ?*

ANNOTATIONES.

25. *Reparcis.*] *Reparco, non parco. Non parcè do, largior.*

33. *Bene proveniſti.*] Id eſt, *proſeciſti*, utpotè aucta liberis.

PH. Ut esset aliquis laqueus & ridimiculum,
Reversionem ut ad me faceret denuò.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam,
Sese experturum, quanti sese penderem:
Si, quod peperissem, id educarem ac tollerem,
Bona sua me habiturum omnia. *DI.* auscultò lubens.
Quid denique agitis? *PH.* mater ancillas jubet,
Quoniam jam decimus mensis adventat propè,
Aliam aliorsum ire, præmandare & quærere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti nostram, quæ *modò* erga ædes habet.
DI. Novi. *PH.* hæc unâ operâ circumit per familias,
Puerum vestigat clanculum, ad me detulit.
Datum sibi esse dixit. *DI.* ô merces malæ?
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior,
Sed tu posterior. *PH.* ordine omnem rem tenes.
Nunc ut præmisit nuncium miles mihi,
Non multò pòst hîc aderit. *DI.* nunc tu te interim
Quasi pro puerperâ hîc procuras? *PH.* quippini?
Ubi sine labore res geri pulcrè potest,
„Ad suum quemq. æquum est quæstum esse callidum.
DI. Quid me futurum est, quando miles venerit?
Relictúsne abs te vivam? *PH.* ubi illud quod volo
Habeo ab illo, facilè inveniam, quomodo
Divortium & discordiam inter nos parem.
Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero
Assiduò. *DI.* imò hercle verò accubuò mavelim.
PH. Quin dis sacrificare hodie pro puero volo

Interpretatio.

PH. *Ut esset aliquis laqueus & nodus, ut reverteretur denuò ad me. Nunc ad me scripsit nuper hanc epistolam, sese visurum, quanti sese facerem: si educarem ac tollerem id quod peperissem, me habiturum cuncta sua bona.* DI. *Audio ultrò. Quid agitis denique?* PH. *Mater mandat ancillas ire, aliam alio quæsitum puerum aut puellam, quæ mihi supponeretur, quoniam jam mensis decimus propemodum adventat. Quid faciam multa verba? Novisti Suram nostram tonstricem, quæ habitat nunc ante has ædes.* DI. *Novi.* PH. *It per omnes familias, unâ operâ quærit puerum clàm, ad me apportavit. Dixit sibi esse datum.* DI. *O improba merces! Illa prior non peperit, quæ eum peperit prior, sed tu peperisti.* PH. *Capis sigillatim omnem rem. Nunc miles veniet huc statim, quia ad me misit nuncium.* DI. *Nunc tu te procuras hìc interèa, quasi puerperam?* PH. *Quidni? Quando res potest fieri sine labore. Est par quemque esse industrium in suum commodum.* DI. *Quid fiet de me quando bellator venerit? Vivamne desertus à te?* PH. *Quando obtinuero ab illo id quod expeto, excogitabo facilè, quomodo moveam inter nos discordiam & divortium. Posteà ego ero assiduò tecum tota, mea voluptas.* DI. *Imò per Herculem malim esse accubuo.* PH. *Quin volo hodie sacrificare Diis pro puero*

Quinto die, quod fieri oportet. *DI.* censeo.
PH. Non audes aliquod dare mihi munusculum?
DI. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quippiam me poscis. *PH.* at ego, ubi abstuli.
DI. Jam faxo hic aderit! servolum huc mittas meum.
PH. Sic facito. *DI.* quicquid autem erit, boni consulas.
PH. Ecastor munus te curaturum scio,
Ut cujus me non pœniteat, mittas mihi.
DI. Num quippiam me vis aliud? *PH.* ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas. *DI.* valeas! *PH.* vale.
DI. Pro di immortales! non amantis mulieris,
Sed sociæ unanimantis, fidentis fuit
Officium facere, quod modò hæc fecit mihi.
Suppositionem pueri quæ mihi credidit,
Germanæ quod sorori non credit soror.
Ostendit sese jam mihi medullitùs,
Se mihi infidelem nunquam, se vivâ, fore.
Egóne illam ut non amem? egóne illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quàm huic desit amor.
Ego isti non munus mittam? jam modò ex hoc loco
Jubebo ad istam quinque perferri minas:
Præterea obsonari duntaxat ad minam.
Multo illi potiùs bene erit, bene quæ vult mihi,
Quàm mihimet, omnia qui mihi facio mala.

Interpretatio.

quinto die, quod oportet fieri. [DI. *Censeo.* PH. *Non audes mihi præbere ullum munus?* DI. *Per Herculem lucro appono, mea voluptas, quod à me rogas.* PH. *Sed, quando abstuli.* DI. *Faciam aderit jam hìc! mitte huc meum servulum.* PH. *Fac sic.* DI. *Quicquid autem acciderit, æqui bonique consule.* PH. *Per ædem Castoris, scio te curaturum, ut ad me mittas munus, cujus me non pœniteat.* DI. *Mihine vis quidpiam aliud?* PH. *Ut quando tibi licebit per otium, ad me repetas.* DI. *Valeas!* PH. *Vale.* DI. *Proh Dii immortales! non fuit mulieris amantis, sed socia, sed unanimis, sed fidei officium, quando hæc mihi mox fecit. Nimirum mihi detexit suppositionem pueri, quam non detexit soror germana sorori. Indicavit clarè jam jam mihi medullitùs, fore nunquam infidelem dum vivet. Egóne ut non eam amem? Egóne ut illi non velim benè? Non me amabo potius, quàm amor ejus me deficiat. Ego ad illam non mittam munera? Mandabo jam ad illam comportari quinque minas ex hoc loco: præterea parari edulia ad minam. Præstat illi esse bene quæ mihi vult benè, quàm mihi, qui mihi omnia mala facio.*

Annotatio.

70. *Quinto die.*] Hic dies vocabatur, ἀμφιδρόμιος, à ritu, quo cursim circa locum gestabatur puer. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur: sed apud Latinos octavo quidem puellæ; nono pueri; qui *dies lustricus* dicebatur, Symmacho *lustratus solemnitas.* Item *Nominalis*, quia nomen tum infanti indebatur. Tertullianus *Nominalia* appellat. Gregorius Nazianzenus, ὀνομαστήρια, *fata etiam scribenda advocabantur.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

Dimisso urbanè Dinarcho Phronesium expectat Stratophanem, fingitque se decumbere ex puerperio.

PHRONESIVM meretrix.

„PUERO isti date mammam. UT MISERÆ matres sollicitæque
Ex animo sunt, cruciantur que! edepol commentum malè!
Cúmque eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
Malæ, quàm sumus ingenio. ego prima domi modò docta dictito.
Quanta est cura in animo, quantum corde capio dolorem,
Dolus me óccidat morte pueri! mater dicta quòd sum, eo magis
Studeo vitæ, quæ ausa sum tantum clam dolum aggrediri.
Lucri caussâ avara probrum sum exsecuta: alienos dolores
„Mihi suppositi. NULLAM REM oportet dolosè aggrediri, nisi
Astutè accuratéque exsequare. vosmet jam videtis,
Ut ornata incedo: puerperio ego nunc me esse ægram assimulo.
„MALE QUOD MULIER facere incepit, nisi id efficere perpetrat,
„Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est.
„Si bene facere incepit, ejus eam citò odium percipit.
„Nimis quàm paucæ sunt defessæ, malè quæ facere occeperunt:
„Nimis quàm paucæ efficiunt, si quid occeperint benefacere.
„MULIERI nimio malefacere melius est onus, quàm bene.

INTERPRETATIO.

PRabete papillam illi puero: quàm matres sunt miseræ & inquietæ! quantum anguntur! per ædem Pollucis excogitatum malè! & quando recogito in mente, dicimur multo minus malæ, quàm sumus. Ego fateor nunc id quod didici domi. Quanta est sollicitudo animi, quantam ægritudinem concipio pectore, ne fraus intereat interitu pueri! quoniam sum appellata ejus mater, idcircò impensius exopto tueri ejus vitam, utpotè quæ sum ausa machinari tantam fallaciam. Commisi hoc facinus quæstus gratiâ: mihi suspposui partum alius matris. Nulla est suscipienda res callidè, nisi prosequaris fraudulenter & diligenter. Cernite nunc vos ipsi, ut sum instructa. Ego fingo me esse nunc ægram propter partum. Nisi mulier perficit id quod orsa est, id illi est molestum, est acerbum, est miserum illâ miserâ. Si incepit facere aliquid boni, eam ejus penitet repentè. Sunt perpaucæ, quas pigeat eorum perficiendorum quæ inceperunt facere malè: sunt perpaucæ quæ perficiant id, quod inceperunt facere rectè. Est munus mulieri multò jucundius malè agere, quàm rectè.

ANNOTATIONES.

4. *Domi docta.*] Id est, *Domestico experimento instructa.*

15. *Nimis quàm paucæ.*] *Pauciſſimæ.*

16. *Efficiunt.*] Id est, *perficiunt.*

Ego, quòd mala sum, matris operâ mala sum, & meâpte malitiâ;
Quæ me gravidam esse assimulavi militi Babylonio:
Eam nunc malitiam accuratam miles inveniat volo.
Iste hîc haud multo post credo aderit. nunc prius præcaveo sciens;
Eumque ornata ornatum; ut gravida, quasi puerperio cubem.
Date mihi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.
Hîc apponite: atque abite ab oculis. eho Pithecium!
Face ut accumbam. accede. adjutare sic decet puerperam.
Soleas mihi duce; pallium injice in me huc, Archilis. ubi es,
Astaphium? fer huc verbenam mihi, tus & bellaria.
Date aquam manibus. nunc ecastor ut veniret Miles velim.

INTERPRETATIO.

Mea malitia est quòd sum mala, & quia sum mater, & quia sum per memet mala: quia simulavi me esse grávidam ex milite Babilonio, volo nunc ut miles reperiat illam fraudem excogitatam. Ille veniet huc modò, ut arbitror: nunc provideo diligenter ejus adventum, idque ornata hoc ornamento; ut cubem, quasi ægra ob partum. Afferte mihi huc stactam & ignem in aram, ut venerer meam Lucinam. Hîc apponite: atque discedite à conspectu. Eho Pithecium! Cura ut decumbam. Accede; oportet adjuvare sic puerperam. Detrahe calceos; injice huc in me pallium, Archilis. Ubi es, Astaphium? Affer mihi huc verbenam, tus & bellaria. Infunde aquam in manibus. Vellem nunc, per Castorem, ut miles veniret.

ANNOTATIONES.

25. *Ut venerem Lucinam.*] Id est, *Ut venerer.*

27. *Tus & bellaria.*] Domi sacra fiebant vulgò infinitis de causis, etiam ob puerperium.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

ADEST Stratophanes, glorioſus miles, cum muneribus. Solatur Phroneſium in puerperio verbis homine vento inanis ſuperbiæ diſtento dignis. Gratulatur ſibi natum puerum ſuppoſititium. Faſtidioſè recipit Phroneſium, & militem, & munera.

STRATOPHANES miles, PHRONESIVM meretrix, ASTAPHIVM ancilla.

STRATOPHANES.

NE exſpectetis, ſpectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duelli prædicare ſoleo; haud in ſermonibus.
Scio ego multos memoraviſſe milites mendacium.
Et Homeronidæ Poëtillæ mille memorari poteſt,
Qui & convicti & condemnati falſis de pugnis ſient.
„Non laudandus eſt cui plus credit qui audit, quàm qui videt.
Non placet, cùm illi plus laudant qui audiunt, quàm qui vident.
„Pluris est oculatus teſtis unus, quàm auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.
„Non placet quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant:
Neque illi, quorum lingua gladiatorum aciem præſtringit domi.
„Strenui nimio plus proſunt populo, quàm arguti & cati.
„Facilè ſibi facunditatem virtus argutam invenit.
„Sine Virtute argutum civem mihi habeam pro præficâ,
„Quæ alios collaudat, eápſe ſe vero non poteſt.

INTERPRETATIO.

ST. *NE operiamini, ſpectatores, dum commemorem mea certamina. Conſuevi celebrare factis bellicis, non dictis. Non ignoro complures bellatores retuliſſe mendacia, & poſſunt recenſeri Poëtaſtri imitatores Homeri, qui fuerunt convicti & condemnati de falſis certaminibus. Non mihi probatur qui fidem majorem habet ei qui audit, quàm qui vidit. Non mihi probantur, qui tantùm audierunt, & qui magis prædicant, quàm qui viderunt. Unus teſtis eſt pluris qui oculis accepit, quàm decem qui auribus acceperunt: qui audiunt, dicunt audita: qui vident, norunt omnino. Non mihi probatur ille, quem ſycophanta prædicant, comilitones tacent: neque illi quorum lingua obtundit in otio aciem gladiorum militarium. Sanè ſtrenui ſunt multo utiliores reipublicæ, quàm diſerti & ſolertes. Viri virtute præditi reperiunt facilè eloquentiam quâ prædicentur. Sine virtute civis diſertus eſt ſimilis præficæ, quæ celebrat alios, & non poteſt celebrare ſeipſa.*

ANNOTATIONES.

2. *Duelli,*] Id eſt, *belli. Duellatores. Bellatores.*

4. *Homeronidæ Poëtillæ.*] *Poëtillæ*: non magni nominis Poëtæ. *Homeronidæ*, quaſi de Homeri gente.

Mille memorari poteſt.] *Poſſunt.*

10. *Scurræ.*] Sequaces hominum potentiorum, & ad eorum libidinem loquentes.

14. *Pro præfica.*] Feſtus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ.* Statius:

Ut Pharios aliæ fictâ pietate dolores,
Mygdonioſque colunt, & non ſua funera plorant.

Nenia Phrygium vocabulum, & *leſſus* Latinum, eſt præficarum cantus.

Nunc ad amicam, decumo menſe poſt, Athenas Atticas
Viſo, quam gravidam reliqui meo compreſſu, quid ea agat.
PH. Vide quis loquitur. *AS.* jam propinquè miles, mea Phroneſium,
Tibi adeſt Stratophanes. nunc tibi opu'ſt, ægram ut te aſſimules.
PH. tace!
Quid adhuc egeo tui, malum, ammonitricis? an me maleficio vincere eſt?
ST. Peperit mulier, ut ego opinor. *AS.* vin' adeam hominem?
PH. volo.
ST. Euge, Aſtaphium eccam! it mihi advorſum. *AS.* Salve ecaſtor, Stratophanes!
Venire ſalvum. *ST.* ſcio. ſed peperitne obſecro Phroneſium?
AS. Peperit puerum nimium lepidum. *ST.* ecquid mihi ſimili'ſt?
AS. rogas?
Quin ubi natu'ſt, machæram & clypeum poſcebat ſibi.
ST. Meus eſt, ſcio jam de argumentis. nimium quidem ſimili'ſt. papæ!
Jam magnu'ſt. jámne electat legionem, quam ſpoliare velit?
AS. Herè nudiusquintus natus quidem ille eſt. *ST.* quid *tum* poſtea?
Inter tot dies quidem hercle jam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex utero exitio eſt, priuſquam poterat ire in prælium?
AS. Conſequere, atque illam ſaluta, & gratulare illi. *ST.* ſequor.
PH. Ubi illa obſecro eſt, quæ me hîc reliquit atque abſtitit?
AS. Aſſum: adduco tibi exoptatum Stratophanem. *PH.* ubi is eſt obſecro?
ST. Mars peregré adveniens ſalutat Nerienem uxorem ſuam.

INTERPRETATIO.

Nunc pergo ad amicam, & videro quid agat poſt decem menſes, ex quibus eam reliqui Athenis prægnantem meo concubitu. PH. *Vide quis verba facit.* AS. *Mea Phroneſium, miles Stratophanes adeſt jam propè. Nunc oportet, ut ſimules te eſſe ægrotam.* PH. *Sile! quid egeo adhuc tuis admonitionibus, malum? An poteſt aliquis me ſuperare ſcelere?* ST. *Mulier peperit, ſicut ego exiſtimo.* AS. *Visne ut conveniam hominem?* PH. *Volo.* ST. *Euge, ecce Aſtaphium! mihi venit obviam.* AS. *Salvus ſis, per ædem Caſtoris, Stratophanes!* Gaudeo te *reverſum eſſe ſalvum.* ST. *Novi, ſed, obſecro, Phroneſium Peperitne?* AS. *Peperit puerum nimis pulchrum.* ST. *Ecquid mihine eſt ſimilis?* AS. *Petis? Quin quando eſt natus, petiit machæram & clypeum.* ST. *Eſt meus, ſcio jam ex illis indiciis. Sanè eſt ſimillimus. Papæ! eſtne jam magnus? Eligitne jam legionem, quam velit ſpoliare.* AS. *Natus eſt heri à quinque diebus.* ST. *Quid fecit poſtea? Per Herculem oportuit feciſſe aliquid intra tot dies. Quare prodiit ex utero antequam poſſet proficiſci ad bellum?* AS. *Sequere & illam ſaluta, & illi congratulare.* ST. *Sequor.* PH. *Ubi eſt illa, obſecro, quæ me deſeruit hîc atque evanuit?* AS. *Adſum: tibi adduco Stratophanem deſideratum.* PH. *Ubi eſtis, quæſo?* ST. *Mars reverſus peregrè ſalutem dicit Nerienæ ſuæ uxori.*

ANNOTATIO.

34. *Nerienem.*] *Martis uxorem.*

Cùm tu rectè proveniſti, cúmque es aucta liberis,
Gratulor, cùm mihi tibique magnum dediſti decus.
PH. Salve, qui me interfeciſti pene & vitâ & lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidiſti in corpus, quo nunc etiam morbo miſera ſum.
ST. Eja! haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit iſtic labos:
Filium peperiſti, qui ædis ſpoliis opplebit tuas.
PH. Multo ecaſtor magis oppletis opu'ſt tritici granariis;
Ne, ille priuſquam ſpolia capiat, hinc nos extinxit fames.
ST. Habe bonum animum! *PH.* ſavium ſis pete hinc à me: nequeo caput
Tollere; ita dolui, itáque ego nunc doleo: neque etiam queo
Pedibus meâ ſponte ambulare. *ST.* ſi planè ex medio mari
Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me, mel meum:
Id ita eſſe experta es, núncque experiere, mea Phroneſium,
Me te amare. adduxi ancillas tibi eccas ex Suriâ duas,
Iis te dono. adduce hòc tu iſtas! ſed iſtæ reginæ domi
Suæ fuêre ambæ: verùm patriam ego excîdi manu.
Iis te dono. *PH.* pœnitétne te? quot ancillæ ſunt jam?
Quine etiam ſuperadducas, quæ mihi comedint cibum? *ST.* hoc quidem
Hercle ſi ingratum eſt donum, cedò tu mihi iſtam, puere, perulam.
Hem! mea voluptas, attuli eccam pallulam ex parvâ Græciâ tibi.
Tene tibi! *PH.* hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?

INTERPRETATIO.

Tibi gratulor, quia tibi res feliciter ceſſerunt, quia peperiſti puerum, & quia mihi attuliſti magnum decus & tibi. PH. *Salve, qui me fermè privaſti & vitâ & lumine, quique attuliſti tantum dolorem ad explendam tuam voluptatem. Ægroto nunc etiam eo morbo.* ST. *Eia! non ſine præmio, mea voluptas, iſte labor tibi obtigit: peperiſti filium qui reddet ædes tuas refertas prædâ.* PH. *Per ædem Caſtoris eſt multò magis opus granariis plenis frumento, ne fames nos jugulet, antequam ille detrahat ſpolia.* ST. *Eſto æquo animo!* PH. *Accipe à me oſculum hinc, ſi vis: non poſſum levare caput; adeò ægrotavi, adeò ægroto nunc, & nequeo etiamnum ſtare pedibus per memet.* ST. *Si imperes accipere tuum oſculum è medio mari, non me pigeat accipere, meum mel. Tu es experta olim, & experieris nunc, mea Phroneſium, te à me amari. Ecce duas ancillas tibi adduxi ex Syriâ: tibi eas do: tu adduc iſtas: iſtæ fuere reginæ ambæ apud ſuos; ſed ego everti manu patriam. Tibi eas do.* PH. *Pœnitetne te? Quot ſunt ancillæ jam? Nonne ſuperaddis adhuc duas, quæ liguriant meum cibum?* ST. *Per Herculem, niſi hoc præmium eſt gratum, ô puer, cedo mihi illam peram. Hem! mea voluptas, tibi attuli ex parvâ Græciâ illam pallulam; accipe hanc!* PH. *Oportetne mihi dare tam parvam mercedem ob tantos labores?*

ANNOTATIO.

53. *Quine.*] Quaſi dicat: *pauca tibi videntur tot ancillæ, quot mihi nunc ſunt, niſi tu plures adducas ultrò eſtrices in ædes meas.*

ST. Perii hercle miser! jam *mihi* auro contrà constat filius.
Etiamnum me vilipendit! ad id, purpuram ex Sarâ tibi
Attuli, & induvias Ponto amœnas. tene tibi! voluptas mea.
Accipe hoc! abduce hasce hinc è conspectu Suras.
Ecquid amas me? *PH.* nihil ecastor: neque meres. *ST.* nihilne huic sat est?
Ne mihi verbum quidem unum dixit! viginti minis
Vænire illæc posse credo dona, quæ ei dono dedi.
Vehementer nunc mihi est irata: sentio atque intellego.
Verùm adibo. quid ais nunc tu? númne vis me, voluptas mea,
Quò vocatus sum, ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? planissimè edepol perii! sed quid illuc boni est?
Quis homo est, qui inducit pompam tantam? certum'st quò ferant
Observare. huic credo fertur. verùm jam scibo magis.

INTERPRETATIO.

ST. *Interii per Herculem miser! filius mihi auro præponderatus est, & me spernit adhuc! Præterea tibi attuli purpuram ex Tyro, & indumenta amœna ex Ponto. Accipe, mea voluptas, accipe hoc, amove hasce Syras hinc è conspectu: mene amas?* PR. *Per ædem Castoris nullo modo, neque mereris.* ST. *Quid huic satis est? Ne mihi quidem dixit unum verbum! credo munera quæ ei donavi posse vendi viginti minis: mihi est irata jam magnopere. Animadverto atque video. Verùm conveniam. Quid dicis tu nunc? Visne me ire ad cœnam, mea voluptas, quò sum vocatus? Revertar mox cubitum ad te. Quid siles? Per ædem Pollucis interii funditus; sed quid est hoc? Quis est ille qui inducit tantam pompam! Est constitutum videre quò inferant. Arbitror hanc deferri ad Phronesium. Verùm jam norim magis.*

ANNOTATIONES.

58. *Ex Sarâ.*] Id est, *ex Tyro.* Virgilius: *Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.*

66. *Mox.*] Alii *nox*, id est, *noctu.*

ACTUS SECNDUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

DINARCHI servus Geta, inspectante Stratophane, venit ad Phronesium, & heri sui verbis salutem dicit plurimam, munerague offert.

GETA servus, PHRONESIVM meretrix, STRATOPHANES miles.

GETA.

ITE, ite hâc simul, muli æris, damnigeruli, foras gerones,
Bonorum hamaxagogæ. SATINE QUI AMAT, nequit quin nihili
Sit, atque improbis sese artibus expoliat. nam hoc qui sciam, ne quis
Id quærat ex me. domi est qui facit improba facta amator;
Qui bona sua pro stercore habet, foras jubet ferri: metuit
Publicos. mundissimum sit. puras sibi esse vult ædes.
Domi quicquid habet, verritur ἔξω. quandoquidem ipsus perditum se it,
Secreto hercle equidem illum adjutabo: neque meâ quidem
Operâ unquam nihilominus properè, quàm potest, peribit.
Nam jam de hoc obsonio, de minâ unâ deminui
Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc assimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi:
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, miseréque perit sine omni bonâ gratiâ. hæc
Cùm video fieri; suffuror, suppilo, de præda prædam
» Capio. MERETRICEM ego item esse reor, mare ut est: quod des
» devorat, nec unquam

INTERPRETATIO.

GE. *PErgite, pergite hàc unà, muli onusti ære, qui fertis foràs, qui bajulatis damna, qui exportatis bona plenis plaustris. Is qui amat non potest, quin sit nihil faciendus. Nônne sese enudat pravis artibus? Nam ne aliquis à me roget, quomodo sciam illud: hoc accipe. Est domi amator, qui perpetrat facta nequam, qui intuetur suas fortunas ut stercus, mandat ejici foràs, metuit ædiles, verritur domus, vult suas ædes esse mundas, everritur res. Quoniam ille ruit in exitium voluntarium, equidem per Herculem illi opitulabor occultè in se perdendo: neque peribit minus celeriter, tametsi non adjuvero in se perdendo, quàm periret. Nam demi mox quinque nummos de hoc obsonio, de unâ minâ demi partem Herculaneam. Ii qui faciunt sic sunt similes iis, qui derivant aquam de flumine, nisi derivetur tamen omnis illa aqua effluat in mare. Nam id effluit in mare, & perit miserè citra ullam significationem animi grati. Quando video fieri hæc, suffuror, suppilo, detrăho prædam de præda. Ego existimo esse meretricem similem mari: absorbet id quod datur, neque redundat.*

ANNOTATIONES.

1. *Muli æris.*] Est allusio quædam ad mulieres.

Damnigeruli.] Compositio comica, ut *foragerones*; *bonorumaxagogæ*; id est, *qui vehiculis bona amatorum exportatis.*

11. *Herculaneam.*] Alii *Herculanam*. est nummus unus ex decem; decimæ enim Herculi pendebantur.

„ Abundat. *at* hoc saltem servat mare ; quod illi subest', appâret:
„ *huic* des
„ Quantumvis ; nusquam apparet, neque datori, neque acceptrici.
Velut meretrix meum herum miserum suâ blanditiâ intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.
Attat eccam, adest propinquè : credo audiisse hæc me loqui.
Pallida est, ut peperit puerum. alloquar, quasi nesciam.
Jubeo vos salvere. *PH.* noster Geta, quid agis ? ut vales ?
GE. Valeo, & venio ad minus valentem ; &, melius quî valeat, fero.
Herus meus, ocellus tuus, ab te ferre me hæc jussit tibi
Dona, quæ illos ferre vides, & has quinque argenti minas.
PH. Pol haud perit, quòd illum tantum amo. *GE.* jussit opera orare, ut hæc grata haberes tibi.
PH. Grata æquáque ecastor habeo. jube auferri intrò. i Cyame!
Ecquid auditis hæc, quæ imperata sunt ? *GE.* vasa nolo auferant:
Desiccari lubet. *PH.* impudens mecastor quanti est negotii!
GE. tun' bonâ fide,
Tune ais impudentem me esse, ipsa quæ sis stabulum flagitii ?
PH. Dic, amabo te ! ubi est Dinarchus ? *GE.* domi. *PH.* dic ob hæc dona, quæ
Ad me miserit, me illum amare plurimum omnium hominum.
Ergo meumque honorem illum habere omnium maximum:
Atque, ut huc veniat, obsecrare. *GE.* ilicet. sed quisnam illic homo est,
Qui ipsus se comest tristis, oculis malis ? animo hercle homo suo est miser,

INTERPRETATIO.

Sed mare conservat hoc quod infertur ; apparet id quod ineſt in eo. Da meretrici *quantum volueris, id apparet nunquam ; neque ei qui dat, neque ei qui accept. Sic meretrix impulit in paupertatem meum miserum herum suis illecebris, pellexit in inopiam ; spoliavit bonis, luce, honore, atque amicis. Atat ecce adest juxta : arbitror me ab ea auditum esse loquentem hæc. Est pallida, quia peperit puerum. Affabor, quasi ignorem. Opto vos esse salvos.* PH. *Quid facis noster Geta ? Quomodo vales ?* GE. *Valeo & venio ad eam, quæ non valet tam benè ; & fero id quo valeat melius. Meus herus, tuus ocellus, mihi imperavit, ut tibi afferrem hæc munera ad te, quæ illos cernis conferri, & has quinque minas argenti.* PH. *Per Pollucem, non est ingratus erga me, quòd illum amo tantum.* GE. *Mihi mandavit, ut etiam atque etiam rogarem, ut haberes hæc accepta.* PH. *Per eadem Castoris, habeo grata & jucunda. Præcipe ea inferri. I Cyame ! auditisne hæc quæ sunt mandata ?* GE. *Nolo auferri vasa : oportet ea desiccare.* PH. *Per eadem Castoris quàm impudens est molestus !* GE. *Tune serio, tune ais me esse impudentem, ipsa quæ sis sentina vitiorum ?* PH. *Dic, te obsecro ! ubi est Dinarchus ?* GE. *Domi.* PH. *Nuntia illi illum à me amari, præter cæteros homines propter munera, quæ detulit ad me, & mihi ducere maximo honori, quòd amor ab illo, & rogare etiam atque etiam, ut veniat huc.* GE. *Faciam lubens : sed quisnam est ille, qui seipse discerpit mœstus oculis torvis ? Per Herculem, quisquis est ille, homo miser verè.*

Quisquis est. *PH.* dignus est mecastor. *GE.* ecquid est? *PH.* non noviſti, obſecro?
Qui illîc apud me erat; hujus pater pueri illic est. usque ad jentaculum
Jussit ali. mansi, auscultavi, observavi. *GE.* quem pernam,
Novi hominem nihili. illic quæso est? *PH.* illic est. *GE.* me intuetur gemens.
Traxit ex intimo ventre suspirium. hoc vide, dentibus
Frendit: icit femur. num obsecrónam ariolus, qui ipsus se verberat?
ST. Nunc ego meos animos violentos, meamque iram ex pectore
Jam promam. loquere: unde es? cujus es? cur ausus inclementer
Mihi dicere? *GE.* lubido est. *ST.* istuccine mihi respondes?
GE. Hoc. non ego te floccifacio. *ST.* quid tu? cur ausa es alium te
Dicere amare hominem? *PH.* lubitum est. *ST.* ain tandem? istuc primùm experiar.
Tun' tantilli doni caussâ, olerum, atque escarum, & poscarum,
Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas, hominem non nauci? *GE.* quæ hæc res! meóne hero tu improbè
Maledicere audes, fons vitii & perjurii? *ST.* verbum unum
Adde istoc; jam hercle ego te hîc hâc offatim conficiam. *GE.* tange

Interpretatio.

PH. *Meretur, per ædem Castoris, esse miser.* GE. *Quid est igitur?* PH. *Nonne noviſti, quæso, illum qui erat apud me? Ille est pater hujus pueri. Mandavit nutriri puerum, usque ad gentaculum, expectavi, audivi, observavi.* GE. *Estne, obsecro, ille homo vilissimus quem pernovi?* PH. *Est ille.* GE. *Me adspectat ejulans. Duxit gemitum ab imo pectore. Aspice id: fremit dentibus: ferit femur. Estne, quæso, unus ariolus qui se pulsat ipse?* ST. *Nunc ego ostentabo nunc meos animos indomitos, & meam iracundiam ex pectore. Dic, unde es? cujus es? quare es ausus me alloqui inurbanè?* GE. *Sic placet.* ST. *Siccine reponis?* GE. *Repono hoc: ego nihili facio te.* ST. *Quid tu? Quare es ausa dicere à te amari alium hominem?* PH. *Sic placet.* ST. *Dicisne id tandem? Experiar primùm illud, utrum amas adulterum, effœminatum, calamistratum, lucifugam, mollem hominem non flocci, propter minimum munus olerum, escarum, & poscarum.* GE. *Quid est hoc? Audesne tu, sceleste, maledicere meo hero, fons sceleris & perjurii?* ST. *Adde unum verbum huic rei: per Herculem ego te concidam hâc machærâ frustatim.* GE. *Attinge*

Annotationes.

38. *Jentaculum.*] Primus erat cibus apud Romanos, ut apud Græcos ἄκρατισμα, quem sequebatur *prandium*, deinde *vesperna*; postremo *cœna*: apud Græcos ἄριστον, deinde, ἐσπέρισμα, postremò δεῖπνον. Quæritur Phronesium, Militem aluisse puerum usque ad *jentaculum*.

42. *Ariolus.*] Hic accipitur pro furioso. Nam inter ariolandum, ut plurimùm, evadebant furiosi; qualis describitur Cumæa Sybilla Virgilio.

49. *Umbraticolam.*] Dicitur *mollis*, à fortitudine militari alienus.

Timpanotribam.] Tympanotriba, hìc enervatus & effœminatus, quales erant Cybelæ Sacerdotes manibus. tympana pulsantes.

Modò ! jam ego te hîc agnum faciam, & medium distruncabo. si tu
Ad legionem bellator clues, at ego in culinâ Ares.
PH. Si æquum facias, adventores meos non incuses: quorum mihi
Dona accepta & grata habeo; tuaque ingrata, quæ abs te accepi.
ST. Tunc pol ego & donis privatus sum, & perii. *GE.* planè istuc est.
Quid nunc ergo hîc odiosè es, confessus omnibus reus?
ST. Perii hercle hodie, nisi hunc à te abigo. *GE.* accede huc modò!
Adi huc modò? *ST.* etiam, scelus viri, minitâre? quem ego
Offatim jam, jam, jam concipilabo. quid tibi huc ventio est?
Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam,
Amicam meam? emoriere ocius, si manu niceris.
GE. Quid, manu nicerim! *ST.* fac quod jussi. mane! jam ego te hîc
Offatim conficiam. *GE.* óccidi! optimum est: captio est! istam
Machæram longiorem habes quàm hæc est. sed verum
Sine dum petere, siquidem belligerandum est tecum.
Ibo domum, ego tecum, bellator, arbitrum æquum ceperim.
Sed ego cessò me hinc amoliri, ventre dum salvo licet?

INTERPRETATIO.

modò! ego te reddam nunc hìc agnum; te secabo medium. Si tu celebreris strenuus in armis; at ego sum Mars in culinâ. PH. *Si facias æquum, non sis molestus iis qui veniunt ad me, quorum habeo munera grata & jucunda; & ea quæ accepi à te ingrata.* ST. *Per Pollucem, ego sum spoliatus nunc muneribus, & interii.* GE. *Id est apertum: quare igitur es molestus huic, qui confiteris te esse reum?* ST. *Per Herculem interii hodie, nisi arces hunc à te.* GE. *Accede huc iam; accede huc.* ST. *Minitaris adhuc, sceleste vir, quem ego jam, jam, jam compilabo. Quare venis huc? Quare adis huc? Quare tu novisti hanc meam amicam? Peribis statim, si moveris manum.* GE. *Quid? moverim manum?* ST. *Age id quod imperavi. Mane; ego te conficiam modo hìc in frusta.* GE. *Interii! est optimum: sum captus, habes illam machæram longiorem, quàm hæc est; sed eam quæsitum veni, si dimicem tecum. Ibo domum, ego eligam arbitrum inter me & te justum, bellator. Sed ego cunctor memet proripere hinc, dum licet ventre incolumi?*

ANNOTATIONES.

54. *Ares.*] Mars, Græcè.

55. *Adventores.*] In cauponis & diversoriis hospites.

61. *Offatim.*] Id est, *minutatim.*

Concipilabo.] Festus: *Concipilasti, dictum à Nævio, pro, corripuisti & involasti, propriè compilasti.*

63. *Manu niceris.*] *Nicere* à quo deductum est *nictare* significat, *oculo innuere.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA OCTAVA.

ARGVMENTVM.

ABIT à Phronesio indignabundus Stratophanes.

PHRONE-

PHRONESIVM meretrix, STRATOPHANES miles.

PHRONESIVM.

DATIN soleas? atque me intrò actutum ducite:
Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.
ST. Quid mihi futurum est, cui duæ ancillæ dolent,
Quibus te donavi? jámne abiisti? hem, sic datur!
Quo pacto excludis? quæso potin' planiùs,
Quàm exclusus nunc sum? pulcrè ludificor. sine!
Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego hisce suffringam talos totis ædibus.
Num quippiam avarum ut ad mores mulierum?
Postquam filiolum peperit, animos sustulit:
Nunc, quasi mihi dicat, nec te jubeo, nec veto
Introire in ædis. at ego nolo, non eo.
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum esse. sequere me hàc! verbûm sat est.

INTERPRETATIO.

PH. *Aferte calceos, & me inducite quàm primùm in ædes: nam caput mihi dolet magnopere à vento.* ST. *Quid faciam ego, qui doleo, quòd tibi dederim duas ancillas? Jamne abiisti? Hem, sic tibi datur? Quomodò excludis? obsecro, potesne quisquam excludi planiùs quàm sum nunc exclusus? Mihi illuditur egregiè. Patere! quàm facilè mihi potest persuaderi nunc, ut ego elidam talos his per totam domum: estne aliquid quod accedat ad avaritiam mulierum? Postquam edidit puerum in lucem, evasit ferox: nunc agit sic mecum, quasi mihi dicat; nec tibi impero ingredi in ædes, nec prohibeo: at ego nolo, non eo. Ego dabo operam ut dicat intra paucos dies me esse virum crudelem. Sequere me hàc! est satis verborum.*

ANNOTATIO.

14. *Crudum virum.*] *Impotens, iracundus, inhumanus.*

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

VENIT ad Phronesium cum minis viginti Strabax, quas à patre intervertit.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

STRABAX ruri reversus accipit à mercatore ovium minas viginti quas afferebat Strabacis patri, & ad Phronesium defert.

STRABAX rusticus adolescens, ASTAPHIVM ancilla.

STRABAX.

RUs manè dudum hinc ire me jussit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Pòst illoc vèni, quàm advenit (si dîs placet)
Ad villam argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis Tarentinas erat mercatus de patre.
Quærit patrem. dico esse in urbe. interrogo,
Quid eum velit, homo crumenam sibi de collo detrahit,
Minas viginti mihi dat. accipio libens.
Condo in crumenam. ille abiit: ego perperas, minas
Oves in crumenâ hâc in urbem detuli.
Fuit edepol Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longè absunt à lupis.
Nunc ego istos mundulos urbanos amasios
Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foràs.

INTERPRETATIO.

ST. *PAter mihi mandavit ut proficiscerer rus, primo mane, ut apponerem glandem bobus ad prandium. Veni illuc, postquàm advenit (si diis placet) ille qui debebat pecuniam meo patri, qui emerat à meo patre oves Tarentinas. Petit patrem. Dico eum esse in urbe. Peto quid cupiat eum. Homo tollit crumenam de suo collo; mihi numerat viginti minas. Accipio ultrò. Repono in crumenam. Ille proficiscitur: ego fero oves errantes in urbem in hâc crumenâ. Per eadem Pollucis, Mars fuit iratissimus meo patri: nam illius oves non distant longè à lupis. Nunc ego sternam hoc ictu illos nitidulos urbanos amasios, & extrudam omnes foràs.*

ANNOTATIONES.

5. *Ovis Tarentinas.*] Oves & lanas Tarentinas laudavit antiquitas.

7. *De collo detrahit.*] Olim crumenam de collo pendentem gerebant. *Decollare spem*, id est, *eripere spem.*

9. *Perperas.*] Id est, *Inutiles.*

Minas.] *Ventre glabro.*

14. *Hoc ictu exponam.*] *Loco movere, de gradu dejicere, sternere.*

Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem. nunc hodie efferam
Ad hanc argentum, quam mage amo quàm matrem meam.
Tat! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium?
AS. Quid istuc alienum est, amabo, mi Srabax!
Qui non extemplò intres? anné oportuit
Ita, te quidem qui es familiaris? *ST.* ibitur;
Ne me morari censeas. *AS.* lepidè facis.

INTERPRETATIO.

Imprimis est deliberatum perdere patrem, postea matrem. Efferam hodie pecuniam ad illam, quam amo magis, quàm meam matrem. Tat! ecquis est intus? Estne nulla? Ecquis reserat hanc januam? AS. *Quid est id, obsecro, esne alienus, mi Strabax! qui non ingrederis statim? Nonne oportuit* te intrare, *qui es familiaris?* ST. *Ibimus, ne putes me tardare.* AS. *Agis festivè.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

STRATILAX servus Strabacis illecebris irretitus Astaphii repente cicuratur, & de rustico fit urbanus, de Truculento mitis.

STRATILAX servus, ASTAPHIVM ancilla.

STRATILAX.

MIRUM videtur, ruri herilem filium
Strabacem non rediisse, nisi si clanculum
Collapsus est hîc in corruptelam suam.
AS. Jam pol illic me inclamabit, si aspexerit.
SE. Nimio minus sævus jam sum, Astaphium, quàm fui:
Jam non sum TRUCULENTUS: noli metuere.
Quid vis! *AS.* quid? tuam exspecto TRUCULENTIAM.
ST. Dic, impera mihi, quid vis, & quovis modo.
Novos omnes mores habeo, veteres perdidi.
Vel amare possum, vel jam scortum ducere.

INTERPRETATIO.

ST. *Miror si Strabax filius heri non est reversus ruri, nisi incidat clanculum in eam quæ eum corrumpit.* AS. *Per Pollucem, si ille me videat, me vocabit.* ST. *Sum jam multominùs crudelis, quàm fui, ô Astaphium: non sum nunc Truculentus: ne time. Quid vis?* AS. *Quid? Expecto tuam Truculentiam.* ST. *Dic, manda mihi id, quod optaris, & quâvis ratione; sum moribus omnino novis; deposui antiquos. Possum nunc amare vel ductare meretricem.*

ANNOTATIO.

6. *Truculentus,*] A *trux, sævus, asper, rusticus.*

AS. Lepidè mecastor nuncias. sed dic mihi,
Habent? *ST.* parasitum te fortasse dicere.
AS. Intellexisti lepidè quid ego dicerem,
ST. Heus tu! jam postquam in urbem crebrò commoveo
Dicax sum factus. jam sum cavillator probus.
AS. Quid id est, amabo? istæcce ridicularia
Cavillationes vis opinor dicere?
ST. Ita! ut pauxillum differat à cavillulis.
AS. Sequere intrò me, amabo, mea voluptas. *ST.* tene hoc tibi;
Rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
AS. Perii. rabonem? quam esse dicam hanc belluam?
Quin tu arrabonem dicis? *ST.* ar facio lucri:
Ut Prænestinis conia est ciconia.
AS. Sequere, obsecro. *ST.* Strabacem hîc opperiar modò,
Si ruri veniet. *AS.* is quidem apud nos est hîc Strabax;
Modò rure venit. *ST.* priùsne, quàm ad matrem suam?
Heu edepol hominem nihili! *AS.* annè autem, ut soles?
ST. Imò nihil dico. *AS.* i intro amabo! cedò manum.
ST. Tene. in tabernam ducor devorsoriam,
Ubi malè accipiar meâ mihi pecuniâ.

INTERPRETATIO.

AS. *Per ædem Castoris, mones commodè. Sed dic mihi, habent?* ST. *Forsitan tu intelligis parasitum.* AS. *Capis scitè, quid dicam.* ST. *Heus tu! ex quo versor frequentius in urbe, sum factus scurra. Sum strenuus cavillator.* AS. *Quid est id, obsecro? Vis, ut puto, appellare hæc dicta per jocum cavillationes?* ST. *Etiam! ut dicta festiva differant parùm à cavillis.* AS. *Sequere me intrò, obsecro, mea voluptas.* ST. *Accipe id: habeto rabonem, ut sis mecum hac nocte.* AS. *Perii: rabonem? Quæ est ista bellua quæ vocatur rabo? Quare non dicis tu arrabonem?* ST. *Lucror ar: quemadmodum ciconia appelatur conia apud præneſtinos.* AS. *Sequere me, amabo,* ST. *Expectabo jam Strabacem, si revertatur ruri.* AS. *Hic Strabax est hîc apud nos: reversus est mox rure.* ST. *Ivitne prius ad vos, quàm ad suam matrem? Heu per ædem Pollucis virum nihili faciendum?* AS. *Redisne ad solitam Truculentiam.* ST. *Imò nihil dico.* AS. *Ingredere, amabo! porrige manum.* ST. *Accipe; deducor in tabernam diversoriam, ubi invitabor malè pro meâ pecuniâ.*

ANNOTATIO.

15. *Cavillator.*] Id est, *vitilitigator*, id est., *qui cavendo ab aliis scrupulosius*; *meretur ut alii caveant ab eo.*

ACTUS QUARTUS.

ARGVMENTVM.

APhroneſio facta pueri ſuppoſitio, ad illudendum Stratophani militi, tandem detegitur.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

DINARCHUS Phroneſii urbanus amator gratulatur ſibi, quòd ſua munera fuerint acceptiora, quàm militis Stratophanis.

DINARCHVS adoleſcens.

NEQUE gnatu'ſt, neque progignetur, neque poteſt reperirier,
Cui ego nunc dictum aut factum meliùs quàm Veneri velim.
Dii magni! ut ego lætus ſum, & lætitiâ differor! ita
Ad me magna nunciavit Cyamus hodie gaudia:
Mea dona deamata acceptáque habita eſſe apud Phroneſium.
Cùm hoc jam volupe'ſt, tum hoc nimio magnæ melliniæ mihi:
Militis odioſa ingratáque habita. totus gaudeo.
Mea pila eſt: ſi repudiatur miles, mulier mecum perit.
Salvus ſum, quia pereo: ſi non peream, planè inteream.

INTERPRETATIO.

NEque eſt natus, neque naſcetur, neque poteſt inveniri, cui optarim eſſe melius, nunc, quàm Veneri. Dii magni! quàm ego gaudeo! quàm ſum refertus gaudio! adeò Cyamus mihi nuntiavit hodie magnam lætitiam, mea munera fuiſſe grata & jucunda Phroneſio. Cumque hoc eſt jucundum, tum multo jucundiſſimum, quòd munera militis non fuerunt accepta, & odioſa. Efferor lætitiâ. Pila eſt mea: ſi miles excluditur, mulier perit mecum. Sum incolumis, quia pereo: ſi non peream, funditus inteream.

ANNOTATIONES.

6. *Mellinia.*] *A mel mellinia*; id eſt, dulcedo qualis eſt mellis.

8. *Mea pila eſt.*] *Meum eſt ludere, meus eſt ordo, mea vices.*

Nunc speculabor quid ibi agatur : quis eat intrò, qui foras
Veniat : procul hinc observabo, meis quid fortunis fuat :
Quia nihil hebeo, unum animos movit mihi : omnia agam pre-
cario.

INTERPRETATIO.

Nunc observabo quid agatur ibi : quis introeat, qui veniat foràs. Observabo hinc à longè, quid mihi eveniat. Una res mihi percellit mentem, quia nihil habeo, faciam omnia precario.

ANNOTATIO.

12. *Precario.*] *Precibus.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

DINARCHUS pergit ad Phronesium ; sed in ipso ostio sistitur ab Astaphio Phronesii ancilla, quæ ei subdolè narrat Strabacem solum summam apud Phronesium obtinere. Hinc nascitur ingens in Dinarcho invidia, & ex invidiâ Phronesii relinquendæ in perpetuum voluntas.

ASTAPHIVM ancilla, DINARCHVS adolescens.

ASTAPHIVM.

LEPIDE efficiam meum, hera, officium : vide intus modò
ut tu tuum
Item efficias. ama, id quod decet, rem tuam : istum exinani.
Nunc dum isti lubet, dum habet ; tempus ei rei secundes :
Prome venustatem amanti tuam, ut gaudia compares.
Ego interim hîc restitrix his præsidebo, iste dum sic faciat
Domum ad te exagogam : nec quenquam interim istòc ad vos,
Qui sit odio, intromittam : tu perge ut lubet. ludin' istos ?

INTERPRETATIO.

AS. *Sustinebo festivè meas partes. Cura jam ut tu sustineas quoque tuas in ædibus. Stude tuis utilitatibus sicut convenit : spolia illum. Interea dum isti placet, dum est ei pecunia, impende tuum tempus huic negotio : explica tuam pulcritudinem amanti, ut crees voluptatem. Ego interea hîc ero in præsidiis, donec comportet ad te dona, quæ sunt in ædibus paternis : neque interea inducam ullum ad vos, qui vobis sit molestus. Tu prosequere ut voles : illudine istis ?*

ANNOTATIONES.

3. *Ei rei secundes.*] Id est, *tempus ei rei impendas.*

5. *Restitrix.*] Id est, *hic manebo, restabo.*

6. *Exagogam.*] *Dum rem paternam domo, ad te apportabo.* Quasi dicas, *exportatilem domum.*

DI. Qui est iste? eja! Astaphium, indica: qui perit? *AS.* amabo, hiccine tu
Eras? *DI.* molestúsne sum? *AS.* nunc magis quàm fuisti. nam nisi quid
Nobis usu est, nobis molestus. sed obsecro da mî operam, ut
Narrem quæ volo. *DI.* nam quid est? *AS.* num meâ refert? *AS.* non mu. sed
Intûs, bolos quos dat! *DI.* quid? amator novus quispiam?
Integrum & plenum adorta est thesaurum. *DI.* quis est? *AS.* eloquar.
Sed tu taceto. novisti tun' hunc Strabacem? *DI.* quid ni?
AS. Solus summam habet hic apud nos. nunc is est fundus nobis.
Animo bono malè rem gerit. *DI.* perii hercle ego idem.
„ *AS.* Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules.
Thetis quoque etiam lamentando lausum fecit filio.
DI. Non ego nunc intrò ad vos mittar? *AS.* quî dum quàm miles magis?
DI. Quia enim plus dedi. *AS.* plus enim es intromissus, cùm dabas.
Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier.
Literas didicisti: quando scis, sine alios discere.
DI. Discant, dum mihi argumentari liceat, ni oblitus siem,
Quod dedi. *AS.* interea magister dum tum commentabere,
Volt interim illa itidem commentari. *DI.* quid? *AS.* rem accipere identidem.
DI. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,

Interpretatio.

DI. *Quis est ille? Eia! O Astaphium: qui occidit?* AS. *Erásne tu hic, obsecro?* DI. *Sumne incommodus?* AS. *Es magis nunc molestus quàm fuisti. Nam nisi aliquid nobis est utile, est molestum: sed obsecro, ausulta mihi, ut exponam ea quæ expeto.* DI. *Quidnam est?* AS. *Num mea interest?* DI. *Ne mu quidem; sed ille, qui est in ædibus, quas jacturas facit nummorum?* AS. *Quid? Estne aliquis novus amator? Est nacta thesaurum integrum & refertum.* DI. *Quis est?* AS. *Aperiam. Sed sile tu. Novistine tu hunc Strabacem.* DI. *Quidni?* AS. *Hic solus tenet primas apud nos. Is fundus est nunc noster. Perdit malè bona æquo animo.* DI. *Per Herculem ego ipse perii.* AS. *Es amens, qui optes verbis reddere ex factis non facta. Thetis fecit quoque funus in lugendo filio.* DI. *Non recipiar jam apud vos?* AS. *Quare recipereris potius quàm miles?* DI. *Quia plus dedi.* AS. *Fuisti sæpius admissus, quando sæpius dabas. Patere vicissim eos, qui largiuntur, uti nostrâ operâ ob id quod dant. Didicisti litteras: quia scis, patere alios discere.* DI. *Discant, dummodò mihi liceat argumentari, nisi sim oblitus eorum quæ dedi.* AS. *Interea dum tu commentaberis magister, interim illa vult quoque commentari.* DI. *Quid vult commentari?* AS. *Vult commentari, quomodo accipiat pecuniam identidem.* DI. *Equidem dedi hodie quinque minas argenti, quæ ad eam deferrentur.*

Annotatio.

15. *Solus summam habet.*] Id est, *summam rerum, summam authoritatis.*

Præterea unam in obsonatum. *AS.* idem istoc delatum scio.
De eo nunc bene sumus tuâ virtute. *DI.* illine ut inimici mei
Bona istîc edant? mortuum hercle me, quàm ut id patiar, mavelim!
„ *AS.* MAVELIM mihi inimicos invidere, quàm me inimicis meis.
„ Nam INVIDERE alii bene esse, tibi malè esse, miseria est.
„ Qui INVIDENT, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.
Stultus es. *DI.* quid est? *AS.* operire. *DI.* quid jam? *AS.* quia pol mavelim.
DI. Non licet de obsonii *mna* me participem fieri?
AS. Si volebas participari, auferres dimidium domum.
Nam itidem hîc ut Acherunti ratio accepti scribitur.
Intrò accipimus: quando acceptum est, non potest ferri foras.
Bene vale. *DI.* resiste. *AS.* amitte, sine! *DI.* amitto intrò. *AS.* ad te quidem.
DI. Imò istòc ad vos. *AS.* *imò* iri non potest. *DI.* nimium potest.
Experiri sine. *AS.* opperire! vis est experirier.
Dicam adesse, nisi occupata est. *DI.* resiste, hem! *AS.* frustra sit *DI.* redin',
An non? *AS.* redeam. sed vocat me, quæ in me plus potest. *DI.* queî potest?
Uno verbo! *AS.* eloquere. *DI.* Mittin' me intrò? *AS.* mendax es, abi!
Unum ajebas, tria jam dixti verba, atque mendacia.
DI. Abii! intrò hinc ivit. ego ut hæc mihi patiar fieri?

INTERPRETATIO.

præterea unam minam *ad obsonandum.* AS. *Scio esse delatum hoc idem: sumus nunc fœlices ex eo, quod dedisti tuâ liberalitate.* DI. *Oportetne ut mei inimici liguriant bona hîc? Malim mortem oppetere, quàm id ferre.* AS. *Malim inimicos mihi invidere, quàm me meis inimicis. Nam est miseria alteri, si sit benè, & tibi sit malè. Qui sunt invidi, inopes sunt. Illi habent opes, quibus invidetur. Es amens.* DI. *Quid est?* AS. *Expecta.* DI. *Quare?* AS. *Quia per Pollucem malim.* DI. *Non licet me fieri participem de minâ, quàm dedi ad obsonandum?* AS. *Si volebas esse particeps, auferres domum dimidium. Nam scribitur ratio accepti apud meretricem sic, ut apud Acherun-tem. Accepimus intro: quando est acceptum, non potest efferi foràs. Bene vale.* DI. *Mane quæso.* AS. *Dimitte, lingua!* DI. *Amitto intrò.* AS. *Ad te quidem.* DI. *Imò id ad vos.* AS. *Imò non potest iri.* DI. *Nimis potest: patere me experiri.* AS. *Expecta! vim afferres, si experireris. Nunciabo te adesse, nisi est impedita.* DI. *Mane, hem!* AS. *Fit incassum.* DI. *Reverterisne, an non?* AS. *Revertar; sed qua habet plus imperii in me, me vocat.* DI. *Qua potest? uno verbo!* AS. *Dic.* DI. *Mene mittis intrò?* AS. *Abi, es mendax! dicebas unum verbum, dixisti jam tria verba, & mendacia.* DI. *Abiit! hinc ingressa est. Ut ego feram mihi fieri hæc?*

ANNOTATIO.

36. *Ut Acherunti.*] Id est, *Ut orcus nunquam quidquam eorum, quæ accipit, rescribit,* id est, *renumerat, seu reddit; sic neque meretrix.*

Jam

Jam hercle ego tibi, illecebra, ludos faciam clamore in viâ:
Quæ advorsum legem accepisti à plurimis pecuniam.
Jam hercle apud omnes magistratus faxo erit nomen tuum.
Post id, ego te manum injiciam quadrupli, venefica!
Suppostrix puerûm! ego edepol jam tua probra aperibo omnia.
Nihili me! perdidi omne quod fuit. fio impudens.
Nec mihi adest tantillum pensi jam, quos capiam calceos.
Sed quid ego hîc clamo? quid si me jubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis jurem, si velit.
Nugæ sunt! Si STIMULOS pugnis cædis, manibus plus dolet:
De NIHILO illi est irasci, quæ te non flocci facit.
Sed quid hoc est? prò dî immortalès, Calliclem video senem,
Meus qui affinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram tonstricem hujus, alteram ancillam suam.
Pertimui, postquam una cura cor meum movit modò.
Timeo, ne malefacta antiqua mea nunc inveniam omnia.

INTERPRETATIO.

Per Herculem, ego te exponam ludibrio omnium in viâ, clamore, ô illecebra; quæ accepisti pecuniam à multis contra legem. Per Herculem efficiam, ut tuum nomen sit nunc apud omnes judices. Posteà ego injiciam in te manum quadrupli ream, venefica! Suppositrix puerorum! Per ædem Pollucis, ego jam detegam universa tua flagitia. O me hominem nihili faciendum! amisi omnes fortunas. Perdidi pudorem, neque jam curo quos calceos accipiam. Sed quid ego hìc vociferor? Quid si imperet me admitti? Jurabo verbis conceptis, me non ingressurum: sunt nugæ: si incutis pugnos stimulis, dolent plus manus: frustra irascéris illi, quæ te non facit flocti. Sed quid est hoc? Proh Dii immortales! Conspicor senem Calliclem, qui fuit meus affinis, ducere duas ancillas vinctas, alteram hujus tonstricem, alteram suam ancillam. Pertimui, quia una sollicitudo occupavit meum cor. Timeo, ne omnia mea antiqua peccata me jam circunstent.

ANNOTATIO.

46. *Ludos faciam clamore.*] Id est, *populo te diferam ante ades.*

52. *Quos capiam calceos.*] Inconcinnitas hominis, & rusticitas in calceis deprehenditur.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PUERPERIO filiæ suæ detecto Callicles ancillas duas, adhibitis tormentis cogit confiteri ex Dinarcho factam esse gravidam, peperisse filium & Phronesium sibi eum supposuisse. Dinarchus petit à Callicle, sibi in matrimonium dari.

CALLICLES senex, ANCILLÆ duæ, DINARCHUS adolescens.

CALLICLES.

EGONE tibi maledicam, aut tibi adeò malè velim? ut animus meu'st,
Propemodum expertæ estis, quàm ego sim mitis tranquillusque homo.
Rogitavi ego vos verberantes & pendentes simul:
Commemini, quo quicque pacto sitis confessæ: scio.
Hîc nunc volo scire eodem pacto, sine malo fateamini.
Quanquam vos colubrino ingenio ambæ estis; edico prius,
Ne duplices habeatis linguas; ne ego bilingues vos necem:
Nisi si ad tintinnaculos vos voltis educi viros.
AN. Vis subegit verum fateri; ita lora lædunt brachia.
CA. At, si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini.
DI. Etiam nunc, quid sit negotii, falsus incertusque sum:
Misi quia timeo tamen. *AN.* ego nec quid peccavi scio.
CA. Omnium primum diversæ state. hem sic! istuc volo.
Néve inter vos significetis, ego ero paries. loquere tu.
AN. Quid loquar? *CA.* quid puero factum est, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? capita rerum *mihi* expedite. *AN.* istæ dedi.
CA. Jam tace! accepistin' puerum tu ab hâc? *AN.* accepi. *CA.* tace!
Nihil moror præterea. satis est fassa. *AN.* inficias non eo.

INTERPRETATIO.

CA. *EGone te convitiis appetam, aut tibi adeò exoptem malè? ut quidem existimo, periculum feciſti, quàm ego sim lenis & mansuetus. Ego vos interrogavi pendentes unà sub verberibus: recordor quâ ratione sitis confessæ omnia: Scio. Nunc exopto scire eâdem ratione utrum confiteamini sine supplicio. Quamquam estis ambæ mente serpentinâ. Moneo prius, ne sit vobis duplex lingua; ne ego vos jugulem bilingues: nisi vultis deduci jam ad lorarios.* AN. *Vir coëgit confiteri verum, adeò lora premunt lacertos.* CA. *Sed, si confiteamini verum, liberabimini vinculis.* DI. *Sum etiamnum inscius, quid sit rei nunc: nisi quia metuo.* AN. *Ego nescio quid sceleris admiſi.* CA. *Primum omnium state sejunctæ, hem ita! volo ita vos dividi: & ne vobis signis aliquid innuatis, ego stabo sicut murus inter vos. Dic tu.* AN. *Quid dicam?* CA. *Quid actum est de puero, quem mea filia peperit meo nepoti? Dicite mihi rem paucis verbis.* AN. *Dedi isti.* CA. *Sile jam! Accepistine tu puerum ab hac?* AN. *Accepi.* CA. *Sile! Nihil inquiro præter id: est satis fassa.* AN. *Non nego.*

ANNOTATIONES.

3. *Vos verberantes.*] Id est, *vapulantes*; activum pro passivo.

6. *Colubrino ingenio.*] Id est, *serpentino & doloso.*

8. *Tintinnaculos.*] Sunt tortores, seu lorarii, qui loris bubulis fontes cædunt, ficto vocabulo à sonitu, quem verbera efficiunt.

CA. Jam livorem túte ſcapulis iſtoc concinnas tuis.
Conveniunt adhuc utriusque verba. *DI.* væ miſero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clàm quæ ſperavi fore.
CA. Loquere tu! qui dare te huic puerum juſſit? *AN.* hera major mea.
CA. Quid tu? cur eum accepiſti? *AN.* hera rogavit me minor,
Puer ut afferretur, eáque ut celarentur omnia. [detuli.
CA. Loquere tu! quid eo feciſti puero? *AN.* ad meam heram
CA. Quid eo puero tua hera fecit? *AN.* heræ meæ extemplò dedit.
CA. Cui malúm, heræ? *AN.* duæ ſunt iſtæ. *CA.* cave tu, niſi quod te rogo, niſi
Ea quæ exquiro. *AN.* mater dono filiæ dedit ſuæ.
CA. Plus quàm dudum, loquere. *AN.* plus tu rogitas. *CA.* reſponde ocius!
Quid illa, cui donatus eſt? *AN.* ſuppoſivit. *CA.* cui? *AN.* ſibi
Pro filiolo. *CA.* pro filiolo? Dii obſecro voſtram fidem!
Ut facilius alia, quàm illa unde eſt, puerum alienum parit?
Hæc labore alieno puerum peperit ſine doloribus.
Puer quidem beatus! matres duas habet, & avias duas:
Jam metuo, patres quot fuerint. vide ſis facinus muliebre!
AN. Magis pol hæc malitia pertinet ad viros, quàm ad mulieres.
Vir illam, non mulier prægnâtem fecit. *CA.* & idem ego iſtuc ſcio.
„Tu bona ei cuſtos fuiſti. *AN.* PLUS poteſt, qui plus valet.
Vir erat, plus valebat, vicit: quod petebat, abſtulit.
CA. Et tibi quidem hercle idem attulit magnum malum.
AN. De iſtoc ipſa, etſi tu taceas, reâpse experta intellego.
CA. Nunquam te facere hodie quivi, ut is quis eſſet diceres.

INTERPRETATIO.

CA. *Tu accerſis nunc, hoc reſponſo, vibices tuis humeris. Verba utriuſque conſentiunt hucuſque.* DI. *Væ mihi infelici! Mea flagitia deteguntur nunc, quæ ſperavi fore occulta.* CA. *Loquere tu! qui mandavit dare huic puerum?* AN. *Mea major hera.* CA. *Quid tu? Quare eum accepiſti?* AN. *Minor hera me rogavit ut afferretur, & ut ea omnia occultarentur.* CA. *Loquere tu! quid feciſti de eo puero?* AN. *Detuli ad meam heram.* CA. *Quid tua hera fecit de tuo puero?* AN. *Dedit ſtatim meæ heræ.* CA. *Cui hera? malum!* AN. *Sunt duæ iſtæ.* CA. *Vide tu ne reſponderis, niſi de iis quæ te rogo, niſi de iis quæ à te exquiro.* AN. *Mater dedit dono ſuæ filiæ.* CA. *Loqueris plusquàm es locuta hactenus.* AN. *Tu rogas plura.* CA. *Reſponde velociter! quid illa, cui eſt traditus?* AN. *Suppoſuit.* CA. *Cui?* AN. *Sibi pro filio.* CA. *Pro filio? Dii obſecro veſtram fidem! Quàm alia mulier parit facilius puerum alienum quàm illa cujus eſt puer? Hæc peperit puerum ſine doloribus alieno labore: puer ſanè beatus! habet duas matres, & duas avias: jam metuo ne fuerint plures patres. Vide ſi vis ſcelus mulieris!* AN. *Per Pollucem, hæc malitia pertinet magis ad viros, quàm ad mulieres. Vir fecit illam prægnantem, non mulier.* CA. *Ego ſcio idem iſtuc. Tu eam bene cuſtodiſti.* AN. *Qui eſt robuſtior, plus poteſt. Erat vir, plus valebat viribus, vicit; abſtulit quod volebat.* CA. *Et tibi, per Herculem, attulit ingens malum.* AN. *Et ſi tu ſileas intelligerem ſatis experientiâ.* CA. *Non potui hodie te adducere, ut diceres quis eſſet.*

AN. Tacui. at nunc non taceo; quando adest, necesse est indicem
DI. Lapideus sum, commovere me miser non audeo.
Res palam omnis est: meo illic nunc fiunt capiti comitia.
Meum illuc facinus, mea stultitia est. timeo quàm mox nominer.
CA. Loquere, filiam meam quis integram stupraverit?
AN. Video ego te, propter mala facta qui es patronus parieti.
DI. Neque vivus neque mortuus sum: neque quid nunc faciam scio.
Neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam scio: timore torpeo.
CA. Dicin' an non? *AN.* Dinarchus, cui illam prius despondera.
CA. Ubi is homo est, quem dicis? *DI.* assum Callicles! per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras,
Mihique ignoscas, quod animi impos vini vitio fecerim.
CA. Non places. in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum *hominibus* moderari, sed vino *homines* solent,
Qui quidem probi sunt: verùm, qui improbus est; sive subbibit,
Sive adeò caret temèto, tamen ab ingenio improbust.
DI. Scio equidem, quæ nolo: multa mihi audienda obnoxia.
Ego tibi me obnoxium esse fateor: culpæ compotem.
AN. Callicles, vide quæso homini ne facias injuriam.
Reus solutus causam dicit. testes vinctos attines.
CA. Solvite istas. agite, abite, tu domum, & tu autem domum:
Eloquere hæc heræ tuæ: puerum reddat, si quis eum petat.

INTERPRETATIO.

AN. *Tacui: sed non sileo nunc; estne necesse ut indicem, quandoquidem adest?* DI. *Sum lapideus, non audeo miser me movere loco. Omnis res est detecta: nunc habetur consilium de mea vita. Perpetravi hoc facinus, est mea amentia: vereor ne nominer statim.* CA. *Dic, quis vitium attulit meæ filiæ virgini?* AN. *Ego te video, qui es fulcrum parietis propter mala facta.* DI. *Neque sum vivus, neque mortuus: neque scio quid agam nunc. Neque quemadmodum abeam hinc, neque scio quemadmodum adeam: obstupeo præ metu,* CA. *Loqueris, an taces?* AN. *Dinarchus, cui illam despondera antea.* CA. *ubi est is homo, quem nominas?* DI. *Adsum, Callicles! obsecro per tua genua, ut tu feras moderatè illud facinus, quod perpetravi insipienter, & mihi condones id quod perpetravi vitio vini, inops animi.* CA. *Non places. Derivas culpam in mutum, quod nequit loqui. Nam vinum se defenderet, si posset loqui. Vinum non consuevit regere homines; sed homines qui sunt probi, consueverunt moderari vino: sed qui est improbus, sive bibat, sive abstineat vino, est tamen improbus animo.* DI. *Scio equidem mihi audienda esse multa convitia, quibus me reddidi dignum. Ego fateor me tibi esse devinctum, & affinem culpæ.* AN. *Callicles, vide, obsecro, ne facias injuriam homini. Reus defendit causam solutus, tenes testes constrictos.* CA. *Solvite istas; agite, abite, tu domum, & tu quoque domum: eloquere hæc tuæ heræ: reddat puerum, si quis eum roget.*

ANNOTATIO.

59. *Caret temeto.*] Id est, *vino.*

Eamus, tu, in jus. *DI.* quid vis in jus me ire? tu es Prætor mihi.
Verùm te obsecro, ut tuam gnatam des mihi uxorem, Callicles.
CA. Eundem pol te judicasse quidem istam rem intellego:
Nam haud mansisti. dum ego darem illam: túte sumpsisti tibi:
Nunc habeas ut nactus, verùm hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna à dote demam pro istâ inscitiâ.
DI. Bene agis mecum. *CA.* filium istinc tuum te meliu'st repetere.
Cæterùm uxorem, quàm primùm potes, abduce ex ædibus.
Ego adeò jam illi remittam nuncium affini meo:
Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat suo.
DI. At ego ab hac puerum reposcam, ne mox inficias eat.
Nihil est. nam ipsa hæc ultrò, ut factum est, fecit omnem rem palàm.
Sed nimium pol opportuné ecce ab sese egreditur foras.
Næ ista stimulum longum habet, quæ usque illinc cor pungit meum!

INTERPRETATIO.

Pergamus tu in jus. DI. *Quare vis me ire in jus? Tu es meus Judex. Sed te quæso, ut mihi des tuam filiam uxorem.* CA. *Per Pollucem, animadverto quidem te judicassem eandem rem. Nam non expectavisti, donec illam darem: sed tu sumpsisti tuo arbitrio: nunc habe illam, ut cepisti! Sed ego te multabo hac jacturâ: adimam sex magna talenta à dote, pro illâ audaciâ.* DI. *Agis præclarè mecum.* CA. *Oportet te repetere istinc tuum filium. Caterum adduc uxorem ex ædibus, quàm primùm potueris. Ego adeò jam remittam modò nuntium ad meum illum affinem: dicam, ut inveniat suo filio aliam conditionem.* DI. *Sed ego repetam puerum, ne neget modò. Fiet sine opera; nam hæc ipsa patefacit sponte omnem rem, ut est acta. Sed ecce prodit foras ab ædibus suis, per Pollucem admodum opportunè! Ista habet longum stimulum quo pungit meum cor, usque ab illo loco.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

DINARCHUS Phronesium adit. Suam ab eâ prolem repetit; sed victus ejus blanditiis ad certum tempus relinquit, usque eodum emunxerit Thrasonem usque ad sanguinem.

PHRONESIVM meretrix, DINARCHVS adolescens, ASTAPHIVM ancilla.

PHRONESIVM.

BLETEA & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividia est, tonstricem meam sic mulcatam malè.
Ea dixit, eum Dinarchi puerum inventum filium.
DI. Ubi id audivit, quanquam penes est me ea omnis res & liberi.
PH. Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis.
DI. Mulier, adsum: profectu'st. *PH.* quid agitur, voluptas mea?
DI. Non voluptas. aufer nugas. nihil ego nunc de istâc re ago.
PH. Scio mecastor quid velis, & quid postules, & quid petas.
Me videre vis, & me te amare postulas: puerum petis.
DI. Di immortales, ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit.
PH. Scio equidem sponsam tibi esse, & filium ex sponsâ tuâ:
Et tibi uxorem ducendam jam esse: alibi jam animum tuum.
Ut me quasi pro derelictâ sis habiturus. sed tamen
„ COGITATO, MUS pusillus quàm sit sapiens bestia,
„ Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam.
Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit.
DI. Otium ubi erit, de istis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. *PH.* imò amabo ut hos dies aliquos sinas

INTERPRETATIO.

PH. *Meretrix est viliorfungo & cœno, nisi quæ curat suas utilitates, etiam quando potat. Si alia membra madeant vino, saltem ingenium debet esse siccum. Nam doleo meam tonstricem fuisse sic exceptam. Ea dixit eum puerum esse inventum filium Dinarchi.* DI. *Quando audivit id, quamvis omnes opes & filius sint penes me.* PH. *Conspicor eum, qui me adopavit tutricem suorum bonorum.* DI. *Adsum, mulier: profeci.* PH. *Quid fit: mea voluptas?* DI. *Non voluptas: omitte nugas. Ego nihil ago nunc de istis rebus amatoriis.* PH. *Per Castorem intelligo quid velis, quid postules, & quid, roges. Libet me videre, & cupis ut te amem: rogas puerum.* DI. *Dii immortales! ut loquitur res palam! ut comprehendit paucis rem ipsam.* PH. *Equidem intelligo tibi esse sponsam, & filium è tuâ sponsâ: & tibi ducendam jam esse uxorem: & tuum animum esse jam alibi, me à te deserendam. Attamen reputa, quàm pusillus mus sit sapiens bestia, qui nunquam credit suam vitam uni cavo. Quia si obstruatur unum ostium, aliud aperit perfugium.* DI. *Quando erit otium, tum fabulabor amplius tecum de istis negotiis. Restitue nunc puerum.* PH. *Imò obsecro ut patiaris eum esse apud me per dies aliquot.*

ANNOTATIO.

1. *Litea.*] Plinius: *Blitum iners videtur, ac sine sapore aut acrimonia ulla; unde convicium faminis apud Menandrum faciunt mariti.*

Eum esse apud me. *DI.* minimè. *PH.* jam amabo. *DI.* quid opu'st? *PH.* è re meâ est.
Triduum hoc saltem, dum aliquô Miles circumducitur.
In eam rem, si quid habebo, tibi quoque etiam proderit.
Si auferes puerum, à Milite omnis tum mihi spes animam efflaverit.
DI. Factum cupio. nam re facere, si velim, non est locus.
Nunc puero utere, & procura: quia unde procures habes.
PH. Multum amabo te ob istam rem mecastor. ubi domi metues, malum.
Fugito huc ad me: saltem amicus mihi esto manubiarius.
DI. Bene vale, Phronesium! *PH.* jam me tuum oculum non vocas?
DI. Id quoque interim futatim nomen commemorabitur.
PH. Nunquid vis? *DI.* fac valeas! operæ ubi mihi erit, ad te venero.
PH. Ille quidem hinc abiit, abscessit: dicere hîc quidvis licet.
„ Verum est verbum, quod memoratur: UBI AMICI, ibidem opus.
Propter hunc spes etiam se hodie tantum .....ri militem:
Quem ego ecastor mage amo quàm me, dum id, quod cupio, inde aufero.
Quæ, cùm multum abstulimus, haud multum apparet, quod datum est.
Ita sunt gloriæ meretricum. *AS.* aha, tace! *PH.* quid est, obsecro?
AS. Adest pueri. *PH.* sine eum ipsum adire huc! sine, si is est modò.
Sine eum ipsum adire, ut cupit, ad me hàc rectà. si venerit.
Næ istum ecastor hodie astutis confexim fallaciis.

INTERPRETATIO.

DI. *Minimè.* PH. *Jam obsecro.* DI. *Quid est opus?* PH. *Est è meâ re. Saltem per hos dies tres, dum miles circumvenitur. Aliqua præda si mihi erit hoc dolo, partiar tecum. Si auferas puerum, tum omnis spes concidet.* DI. *Volo fieri. Nam non possum facere si velim. Nunc utere puero, & eum cura, quia est tibi quo cures.* PH. *Per Castorem te amabo impensissimè idcirco. Quando timebis malum domi, veni huc ad me. Esto mihi saltem amicus, in tuam rem.* DI. *Bene vale, Phronesium!* PH. *Non me appellas jam tuum oculum?* DI. *Interim disputabitur quoque de isto nomine.* PH. *Visne aliquid?* DI. *Fac valeas! Revertar ad te, quando mihi erit opus.* PH. *Ille hinc profectus est, fugit: licet dicere hìc quidquid voluero. Id quod dicitur est verum: quando sunt amici, tum est molestia. Propter hunc miles se vidit sæpè excluſum: quem ego etiam hodie amo, per ædem Castoris, magis quàm me, dum aufero ab eo, id quod exopto. Meretrices in eo ponunt suam gloriam, quòd cum abstulerunt plurimum, quod datum est, putatur nihil.* AS. *Aha, sile!* PH. *Quid est, amabo?* AS. *Adest pater pueri.* PH. *Permitte hunc accedere huc, petere inquam, si est is sine eum ipsum adire, ut exoptat, ad me hàc rectà. Si venerit. Per Castorem iste est confectus dolis fallacibus.*

ANNOTATIONES.

27. *Manubiarius.*] *Esto mihi saltem amicus; si non ex animo, at fructuosus; at manubiarum, & spoliorum collator.*
29. *Futatim.*] *Profusim.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

AMATORES duo Phronesiii Strabax & Stratophanes, rusticus & castrensis de amoribus Phronesii decertant : vincitur Stratophanes miles ; vincit Strabax rusticus, & triumphat.

STRATOPHANES miles, ASTAPHIVM ancilla, PHRONESIVM meretrix, STRABAX adolescens rusticus.

STRATOPHANES.

EO mihi amare ! fero supplicium damnis ad amicam meam.
Utut illud acceptum sit, priùs quod perdidi, hoc addam insuper.
Sed quid ? video heram atque ancillam ante ædis. adeunda est hæc mihi.
Quid hîc vos agitis ? *PH.* ne me appella. *STRAT.* nimium sævis!
PH. sic *sine !*
Potin es ut mihi molestus ne sies? *STRAT.* quid, Astaphilitium, est?
AS. Meritò ecastor tibi succenset. *PH.* Egon' ? atque isti etiam parum
Malè volo. *STRAT.* ego, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc minam fero auri. si mihi rides, espice.
PH. Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quicquam credere.

INTERPRETATIO.

PErgo *ad amicam ! defero munus ad eam placandam, jactura. Quoquo modo id jucundum fuerit quod amisi antea, adjiciam id præterea. Sed quid ? Video heram & ancillam ante ostium ; oportet ut hanc conveniam. Quid facitis vos hîc?* PH. *Ne me appella.* STRAT. *Es sævior.* PH. *Sine me sic sævire, ne mihi sis molestus.* STRAT. *Quid est, mea Astaphilium?* AS. *Per eadem Castoris, Phronesium est irata meritò tibi.* PH. *Egone? Ego illi non sum tam irata, quàm debeo.* STRAT. *Ego, mea voluptas, si peccavi antea in aliquo, accedo supplex, cum hac mina auri. Si mihi es propitia, aspice me.* PH. *Manus prohibet credere quidquam, antequam id teneat penes sese.*

ANNOTATIONES.

1. *Supplicium.*] *Supplicium* dicitur à *supplex* ; quasi dicas *id quod offers munus, ut tibi propitium facias aliquem.*

8. *Espice.*] Quasi *aspice : respice*, pro *reaspice.*

10 Puero

Puero opu'ſt cibum : opus eſt matri autem quæ puerum lavit ;
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Ut dies noctesque potet : opu'ſt igne, opus eſt carbonibus :
Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis :
Oleum opus eſt, farina puero opus eſt eſt : opu'ſt totum diem.
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus ſemper fiet.
Non enim poſſunt militares pueri ſetanio educier.
STRAT. Reſpice ergò ! accipe hoc, quî iſtuc efficias opus.
PH. cedò !
Quanquam parum eſt. *STRAT.* addam minam adhuc iſtic poſtea.
PH. parum eſt.
STRAT. Tuo arbitratu, quod jubebis, id dabitur. da nunc ſavium.
PH. Mitte me, inquam, odioſus. *STRAT.* nihil fit : non amor. teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxiliſper perdidi.
PH. Accipe hoc, atque auferto intrò. *STRAB.* ubi mea amica eſt gentium ?
Neque ruri, neque hîc operis quicquam facto : corrumpor ſitu ;
Ita miſer cubando in lecto hîc exſpectando obdurui.
Sed eccam video. heus amica mi ! quid agis ? *STRAT.* quis illic homo ?
PH. Quem ego mecaſtor magis amo, quàm te. *STRAT.* quàm me ? quomodo ?
PH. Hoc modo, ut moleſtus ne ſies. *STRAT.* jam abis, poſtquam aurum habes ?

INTERPRETATIO.

Puero opus eſt cibo matri, quæ lavit puerum, eſt opus ; nutrici eſt opus, ut habeat utrem veteris vini, ut bibat largiter dies noctesque : opus eſt igne, opus eſt carbonibus : opus eſt faſciis, pulvinis, cunis, incunabulis : opus eſt oleo, opus eſt farinâ pro puero : opus eſt toto die, & nunquam efficietur, hoc uno die, quin ſit ſemper opus. Pueri militum non poſſunt nutriri vilibus cibis. STRAT. *Reſpice igitur ! accipe hoc, ut efficias iſtud opus.* PH. *Da ! tametſi eſt parum.* STRAT. *Adjiciam adhuc minam deinceps.* PH. *Eſt parum.* STRAT. *Numerabitur id, quod mandabis, tuo arbitratu. Da nunc oſculum.* PH. *Dimitte me, inquam, es moleſtus.* STRAT. *Nihil fit : non amor. Conteritur dies. Amiſi plus decem pondo amoris ferè.* PH. *Accipe hoc, atque infer intrò.* STRAB. *Ubi eſt gentium mea amica ? Nihil facio operis, neque hîc, neque ruri. Pereo deſidiâ ; adeò obdurui infelix expectando hîc cubando in lecto. Sed illam conſpicor. Heus mea amica ! quid facis ?* STRAT. *Quis hic homo ?* PH. *Eſt homo quem ego, per Caſtorem, magis amo, quàm te.* STRAT. *Quàm me ? Quo pacto ?* PH. *Hoc pacto, ut ne ſis moleſtus.* STRAT. *Jam abis poſtquam accepiſti aurum.*

ANNOTATIONES.

16. *Setanio.*] Eſt vilis & nullius fermè pretii, obviaque eſca.

21. *Pauxilliſper.*] Id eſt, *per particulas.*

PH. Condidi intrò, quod dedisti. *STRAB.* ades amica! te alloquor.

PH. At ego ad te ibam. *STRAB.* ad me, delicia? *PH.* hercle verò feriò.

STRAB. Quanquam ego tibi videor stultus, gaudere aliquî me volo.

Nam quanquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliquî gaudeo.

PH. Vine te amplectar, & savium dem? *STRAB.* quidvis face, gaudeam.

STRAT. Meósne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier? Mortuum hercle me duco satius. abstine hoc, mulier, manum!

Nisi si te meâ manubiâ machærâ & hunc vis emori.

PH. Nihil ὀλυφεῖν satius est, miles. si te amari postulas, Auro, haud ferro deterre potes, ne amet, Stratophanes.

STRAT. Quî (malum!) bella aut faceta es, quæ ames hominem istimodi?

PH. Venitne in mentem tibi, quod verbum in caveâ dixit histrio;

„Omnes homines ad suum quæstum callent & fastidiunt.

STRAT. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?

PH. Quanquam hic horridu'st, quanquam hic squalidu'st; scitus bellum init.

STRAT. Dedin' ego aurum? *PH.* mihi? dedisti filio cibaria.

STRAB. Nunc, si hanc tecum esse speras, aliâ opu'st auri minâ.

STRAT. Malam rem his & magnam! *STRAB.* magno opere serva tibi viaticum.

Interpretatio.

PH. *Condidi intrò id, quod dedisti.* STRAB. *Adesdum amica! te alloquor.* PH. *At ego pergebam ad te.* STRAB. *Ad me, mea vo laptas?* PH. *Per Herculem ibam.* STRAB. *Quanquam tibi ego videor amens, volo recreare animum aliquatenus. Nam quamquam es venusta, es tuo malo, nisi ego tuâ ope gaudeo aliquatenus.* PH. *Visne te complectar & deosculer?* STRAB. *Fac id, quod volueris, non erit ingratum.* STRAT. *Feramne illam amplexari alios, ante meos oculos? Per Herculem, existimo esse satius me esse mortuum. Abstine manum ab hoc, mulier, nisi vis obtruncari & te, & illum, meâ machærâ inclitâ manubiis à me partis.* PH. *Nihil prodest nugari, ô miles; si cupis amari, potes terrere* Strabacem *ab amore auro, non ferro, Stratophanes.* STRAT. *Quomodo potes esse venusta & scita, quæ amas hominem ejusmodi?* PH. *Tibine venit in animum verbum, quod histrio attulit in caveam; omnes homines sunt ardentes & remissi, pro lucro, quod eis ostenditur.* STRAT. *Te complecti hominem tam horridum, atque sordidum?* PH. *Quamquam hic est horridus, quanquam hic est sordidus, lepidum bellum infert.* STRAT. *Nonne ego dedi aurum?* PH. *Mihi? dedisti filio cibaria.* STRAB. *Nunc, si speras hanc esse tecum, opus est aliâ auri minâ.* STRAT. *Apprecor illis malam rem & magnam.* STRAB. *Serva diligenter tuam pecuniam in viaticum ituro in malam crucem.*

Annotationes.

35. *Meâ manubiâ machârâ.*] Quasi *manubiis comparandis facta.*

45. *Viaticum.*] Scilicet, in malam rem ituro.

Quid ista debet, nisi tria? *STRAT.* quæ tria nam? *STRAB.* unguenta, noctem, savium.

PH. Par pari respondet, verùm nunc saltem si amas, mihi
Da tu de tuis deliciis, summis quid pauxillulum.
STRAT. Quid? id ai, amabo! est quod dem. dic-dum! si superet, feres.
PH. Campas dicis: abi, abi! consultavi istuc. *STRAT.* mihi homo
Cave faxis volnus, tibi jam cui sunt dentes ferrei.
Vulgò ad se omnes intromittit: abstine istâc tu manum.
STRAB. Jam hercle, jam magno tu vapula vir strenuus.
STRAT. Dedi ego huic aurum. *STRAB.* at ego argentum. *STRAT.* at ego pallam & purpuram.
STRAB. At ego oves, & lanam: & alia multa, quæ poscet, dabo.
Melius te minis certare mecum quàm minaciis.
PH. Lepidus ecastor mortalis! Strabax mi, perge obsecro.
„ Stultus atque insanus damnis certant: nos salvæ sumus.
STRAT. Age prior, tiro, da aliquid. *STRAB.* imò tu prior perde, & peri.
STRAT. Hem tibi talentum argenti! Philippicum est, tene tibi.
PH. Tanto melior! noster esto; sed de vestro vivito.
STRAT. Ubi est, quod tu das? solve zonas. *PH.* provocatur.
STRAT. quid times?
STRAB. Tu peregrinus *es*: hic habito: timeo meos. non ego ambulo.
Pecua ad hanc ego in cruminâ obligata defero.

Interpretatio.

Quid debet hæc, nisi tria? STRAT. *Quanam tria?* STRAB. *Unguenta, noctem, osculum.* PHR. *Respondet par pari, sed si amas saltem nunc, da mihi nunc pauxillulum de tuis deliciis.* STRAT. *Quid dicis id, obsecro? Est quod dem. Dic dum! accipies, si superst.* PH. *Nugaris: abi, abi! consultavi istuc.* STRAT. *O homo, cui sunt dentes ferrei, cave ne mihi infligas vulnus. Introducit vulgò ad se omnes: tu abstine ab istâc manum.* STRAB. *Per Herculem, ô vir strenue, da pœnas magnâ mercede.* STRAT. *Ego huic dedi aurum.* STRAB. *At ego argentum.* STRAT. *Sed ego pallam & purpuram.* STRAB. *Sed ego oves & lanam, & dabo alia complura quæ petet. Præstat te decertare mecum pecuniâ, quàm minitationibus.* PH. *Per eadem Castoris festivus mortalis! mi Strabax, perge quæso. Stultus & insanus decertant, uter plus jactura faciat: nos sumus salvæ.* STRAT. *Age, tyro, da prior aliquid muneris.* STRAB. *Imò tu prior perde, & peri.* STRAT. *Hem tibi talentum argenti! est Philippicum, accipe.* PH. *Est tanto melior! esto noster; sed vive de tuo.* STRAT. *Ubi est, quod tu das? Solve zonas.* PH. *Provocatur.* STRAT. *Quid metuis?* STRAB. *Tu es advena: hic maneo: timeo meos. Ego non ambulo. Ego affero ad hanc pecudes inclusas in marsupio.*

Annotatio.

50. *Campas.*] Lambinus interpretatur, *jactantias.*

53. *Magno vapula.*] Id est, *magnopere.*

64. *Pecua.*] Id est, *pecudes* oves Tarentinas, seu potius pretium ovium Tarentinarum.

STRAT. Quid dedi? ut distrinxi hominem! *STRAB.* imò ego verò, qui dedi.
I nunc intrò, amabo, & tu ergo hâc mecum. *STRAT.* tu eris mecum quidem.
STRAB. Quid tu, quid ais? cum hoccine? *STRAT.* ego posterior dedi.
PH. Tu dedisti, *hic* jam daturus est: istuc habeo, hoc expeto.
Verùm utrique mos geratur amborum ex sententiâ.
STRAT. Fiat! ut rem gnatam video, hoc accipiundum est, quod datur.
STRAB. Meum quidem te lectum certè occupare non sinam.
PH. Lepidè mecastor aucupavi, atque ex meâ sententiâ:
Meámque ut rem bene gestam, vestram rursus bene geram.
Verùm amabo, si quid amatu's facere, fac jam ut sciam.
Veneris causâ applaudite: ejus hæc in tutelâ est Fabula,
Spectatores: bene valete, PLAUDITE, atque exsurgite.

INTERPRETATIO.

STRAT. *Quid dedi? ut impedivi hominem!* STRAB. *Imò ego verò, qui dedi.* PH. *Intrò i nunc, hàc mecum.* STRAT. *Tu quidem eris mecum.* STRAB. *Quid tu, quid ais, Phronesium? Eris cum hoc? Ego dedi posterior.* PH. *Tu dedisti, hic est daturus nunc. Habeo istud, expeto id. Verùm obsequamur utrique ex sententiâ.* STRAT. *Fiat! ut res ipsa loquitur, accipiendum est id, quod datur.* STRAB. *Profectò non patiar te occupare meum lectum.* PH. *Per Castorem aucupata sum lepidè, & ex meo arbitrio; & ut voluistis meam rem gestam benè, geram benè vestram. Sed obsecro, si est animus facere aliquid, fac ut nesciam. Applaudite Veneris causâ: hæc Fabula est ei dicata. Spectatores: bene valete: PLAUDITE, atque consurgite.*

ANNOTATIONES.

65. *Distrinxi hominem.*] Id est, *devinxi, Phronesium*; ita ut mihi debeat, & satisfacere necesse habeat. Rusticum deduxi ad id, ut moliri ulterius nihil possit. Ferii & quasi transadegi ictu muneris amatorem rusticum.

72. *Aucupavi.*] Id est, *aucupata sum, prædata sum.*

76. *Plaudite.*] Horatius:

——quibus oblitus actor,
Cum stetit in Scenâ, concurrit dextera lævæ.

Ovidius:

In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo.

Quintilianus: *Tunc est commovendum theatrum, cùm ventum est ad ipsum illud, quo veteres Tragœdiæ, Comœdiæque claudantur, PLAUDITE.*

FINIS TRUCULENTI.

M. ACCII PLAUTI FABULARUM FRAGMENTA.

PARS PRIMA.

LOCI EX AMISSIS PLAUTI COMOEDIIS maximam partem à Grammaticis citati.

ACARI STVDIVM.

†

QUAM ego tantâ pauperavi per dolum pecuniâ.

ABROICVS.

†

QUASI lupus ab armis valeo : clunes infractos gero.

ADDICTVS.

†

OPUS facere nimiò quàm dormire mavolo : veternum metuo.

INTERPRETATIO.

ACARI STUDIUM. *Quam ego fraude adeò spoliavi argento.* ABROICUS sive AGROICUS. *Sum firmis lateribus tanquam lupus, habeo tergum indomitum.* ADDICTUS. *Magis libet indulgere labori, quàm somno. Pertimesco somnolentiam.*

ANNOTATIONES.

1. *Pauperavi.*] Nonius hoc verbum laudat, quasi sit Plauti in Fabulâ quæ appelletur *Acari studium.* Quid sit autem Acarus, tam notum est, quàm divinatu difficilè, quod argumentum fuerit hujus Fabulæ ex hoc titulo. Sunt qui ἀχαρι, *studium* reposuerint ; quasi voce ex duabus unâ ; quod est *ingratum studium.* Alii, *Acaristio*, id est, *ingratus. Pauperavi*, id est, *pauperiorem feci.* Utitur hoc verbo, & in Truculento Plautus :

Qua improba merx est, pro mercis vitio dominum pretio pauperat.

2. *Ab armis.*] Hanc Fabulam Nonius laudat & vocat, seu *Abroicum*, seu *Agroicum.* Quid significat *Abroicus*, neque ex Græco, neque ex Latino conjicere est. *Agroicus* autem est à Græco ἀγροικος, id est, *agrestis* : & similis fuisse argumenti suspicio est cum Truculento, in quâ rusticorum ingenium adumbratur. *Armi armorum* ea pars in quibus est præcipua sedes roboris. *Valeo ab armis*, id est, *sum validis armis, validi sunt mei armi.*

3. *Opus facere.*] Addictus fermè significat dicto audientem alieno : & versus hic, qui unus ex illâ Fabulâ supereſt, hominem notat sedulum in opere suo, & desidiæ metuentem.

ARTAMON.

†

Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo adest superstes.

†

*Unguentum quod naribus mu*lionum nauteam fecisset.

ASTRABA Latinè CLITELLARIA.

†

SEQUERE, sequere, Polybadisce: meam spem te cupio consequi.

POLYB. Sequor hercule quidem. nam lubenter, mea sperata, consequor.

†

Axitiosæ annonam caram è vili concinnant viris.

†

Quasi tollenonem aut pilum reciproces planâ viâ.

†

Terebrâ tu quidem pertundis.

†

Dare pedibus protinam sese ab his regionibus.

INTERPRETATIO.

Sese proripere fuga ab his plagis... ARTAMON. *Jam nihil vetat quominus quidlibet dicam: nullus* hic *supereſt .... Unguentum quod mulorum ductoribus nautea fuisset.* ASTRABA Latinè CLITELLARIA. *Sequere, sequere, Polybadisce: exopto te, ut tu, qui es mea spes, me assequaris.* POLYB. *Sequor per Herculem; Etenim alacriter assequor, id quod spero... Centumaces reddunt annonam pretiosam ex vili... Quasi tolleres ac deprimeres tollenonem, aut pilum Græcum in plano loco... Profectò tu perforas terebra...*

ANNOTATIONES.

4. *Superstes.*] Artamon, vel est ab Αρτεμων, quod præcipuum est navis velum; vel ab Αρτεμον, quod est lanius coquus. *Superstes*, hoc loco significat eum qui supereſt in Scenâ alibi, *viventem.*

5. *Naribus mulionum.*] Exaggeratio in unguentum fœtidum in primis: oportet enim fœtorem esse gravissimum, qui mulionum inter teterrimos odores in stabulis & sterquiliniis perpetuo degentium nares percellat. Nonius: *Nautea aqua ex navis sentinâ veniens.*

6. *Polibadisce.*] In omnibus fragmentis Plautinis, hæc sola persona nominatur: adeò nihil retinent, unde Fabularum argumentum liceat deprehendere. Hæc autem Fabulâ Græcè est ἀστραβη, quod hesychio est Ephippium, & Latinè *clitellaria à clitellis*, quod idem significat atque *Astraba.* Probus Grammaticus in vitâ Virgilii dicit Astrabam vehiculum fuisse dictum παρὰ τὸ μὴ στρέφεσθαι; quo titulo Plautum dicit scripsisse Comœdiam in quâ mulieres sunt, quæ ejusmodi vehiculo inducuntur. Agellius & Nonius dicunt incertum esse utrum Comœdia hæc sit Plauti.

8. *Axitiosæ.*] Id est, *factiosæ.* Festus: *Axitiosi, factiosi dicebantur: quum plures unà quid agerent facerentque. Axii autem pro egerint; unde axites mulieres, sive dii, dicebantur unà agentes.*

9. *Tollenonem.*] Festus: *Tolleno est genus machinæ quo hauritur aqua in alteram partem prægravante pondere.*

Pilum.] Pilus hic Græcus dicebatur, ut videre est paucis post versibus, & sumi potest pro illo pondere, quo elato demittitur vas ad hauriendam aquam, depressoque levatur.

10. *Pertundis.*] Id est, *Perforas.*

11. *Dare sese pedibus.*] Id est, *fugere.* *Protinam*, vetus, *protinus.*

†

Terebratus multum sit: & subscudes addite.

†

Non quasi, ut hæc sunt heic limaces lividæ.

†

—— quasi tolleno, vel
Pilum Græcum reciproces planâ viâ.
Quæ nisi sic biteris, nimium is vegrandi gradu.
Pol ad cubituram, mater, mage sum exercita:
Reliquùm, ad cursuram sum tardiuscula.

†

Quid tuam amicam times, ne te manuleâ caiet.

†

Prohibet divitiis maximis, dote altili atque opimâ.

†

Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.

†

Quæ quasi carnificis angiporta purgitans.

†

Intro ad bonam meretricem: adstat ea in viâ
Sola: prostibula sanè est ——

†

Malum aufer: bonum mihi opus est.

†

Miminêre officium suum.

Interpretatio.

Sit perforatus penitus; & fibulis compactus... Non sicut illa sum erga tuos quales sunt cochleæ squalidæ... quasi tolleno, vel pilum Græcum erigas ac deprimas in Plano loco; quæ nisi ita gradiaris, pergis grandiori passu. Per Pollucem, mater, sum exercitior ad cubandum: cæterum sum paulò segnior ad cursum... Quare metuis tuam amicam, ne te perimat manicâ. „Arcet opibus amplissimis, dote almâ, atque amplâ. Excusabo universa usque ad Raucedinem... Quæ sicut illa quæ mundat angiportum carnificis... Ingredior in ædes probi scorti: ea stat in viâ sola: est sine dubio prostibulum... Averte malum: bono indigeo... Recordantur suarum partium...

Annotationes.

12. *Subscudes.*] Est fibula lignea, seu clavus committendis lignis duobus vi adactus.

16. *Biteris.*] *Biteris* est ab antiquo *beto*; id est, *vado*: in Curculione & in Pseudolo utitur hoc verbo Plautus.

Vegrandi gradu.] Id est, *parvo gradu.* Sanè ex contextu conqueritur aliquis de alio, qui jaceat lubentius, quàm pedem promoveat, quod est fessi hominis & vix, ac nevix quidem sese moventis. Vecors est cui vix est cor. Vejovem appellabant veteres, qui lubentius læderet quam juvaret. Quasi *minimè juvantem.*

19. *Manuleâ caiet.*] Manicâ feriat à veteri, *caio*, *caias*, ferio.

22. *Angiporta.*] *Angiportum*, *i.*

24. *Prostibula.*] *Prostibula*, æ. pro *prostibulum.* In his duobus versibus est origo vocis hujus, *prostibulum.*

†

Potin'es tu homo facinus facere ſtrenuum?
N. Aliorum eſt affatim qui faciant. ſanè ego
Me volo fortem perhiberier virum ———

†

Tun', túne igitur mea matercula?

†

Germana mea ſororcula.

†

Si quidem imperes pro copiâ, pro reculâ.

†

Datores belliſſimi negotioli ſenecis ſoletis eſſe.

†

Adhinnire equulam poſſim ego hanc, ſi detur ſola ſoli.

BACCHARIA.

†

Quis eſt mortalis tantâ fortunâ affectus unquam,
Quàm ego nunc ſum? cujus hæc ventri portatur pompæ.
Vel nunc, qui mihi, in mari acipenſer latuit antehac,
Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

BIS COMPRESSA: BOEOTIA.

†

Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit,

INTERPRETATIO.

Valesne, ô homo, perpetrare aliquid præclari? N. ſunt ſatis multi qui perpetrent: profectò libet me ſtrenuum virum præſtare... Túne, túne ergo, ô mea matercula?... Mea ſororcula germana... Si à me exigas, id quod poſſum præſtare *pro viribus, pro opibus tenuibus. Vobis mos eſt faceſſere lepidiſſimè negotium ſeni: ego poſſem adhinnire ad hanc equam, ſi eſſem ſolus cum ſola*... BACCARIA. *Quis eſt homo qui tantâ felicitate unquam cumulatus eſt, quantâ ego nunc ſum? Ad cujus abdomen hæc pompa confertur. Acipenſer qui delituit in mari hactenus, ego effodiam nunc in caverunam dentibus & manibus, latus acipenſeris, qui delituit hactenus in mari.* BIS COMPRESSA: BOEOTIA. *Dii perdant primum horarum autorem.*

ANNOTATIONES.

34. *Adhinnire equulam.*] Id eſt, *Adhinnire ad equam*, eſt allegoria ducta ab equo ad hominem non abſimilem equo, quando inſanit amore. Tum enim maximè comparandus eſt *jumentis inſipientibus*, ut ſcriptura innuit.

35. *Quis eſt mortalis.*] Hi verſus quatuor afferuntur à Macrobio, tanquam è Baccharia Plauti. Rationem autem nominis hujus, & argumentum Fabulæ, nemo ex his verſibus conjiciat. Porrò hi verſus videntur eſſe paraſiti exultantis, quòd ab eo ſit modò depectendus digitis acipenſer.

37. *Acipenſer.*] Piſcis olim in pretio habitus. Hujus ſquammæ eſſe dicuntur, aliter atque in aliis piſcibus ſitæ.

39. BOEOTIA.] *Ut illum Dii.* Hi verſus novem dicuntur ab Aulo Gellio Plautiniſſimi; quamquam apud eundem Varro aſſerat minimè Plauti eſſe, ſed Aquilii cujuſdam Comœdiarum ſcriptoris. Porrò cujuſcunque tandem ſint Poëtæ, ſunt perſonæ paraſiticæ. De inventoribus horologiorum lege Plinium libris ſecundo, cap. 72. & ſeptimo cap. 60.

Quique

Quique adeò primus hîc ſtatuit ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum.
Ubi iſte monebat eſſe: niſi cùm nihil erat.
Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi ſoli lubet.
Itaque adeò jam oppletum eſt oppidum ſolariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

CÆCUS, ſive PRÆDONES.

†

Nihil quicquam factum niſi fabrè, nec quicquam poſitum ſine luco, auro, ebore, argento, purpurâ, picturis, ſpoliis, tum ſtatuis.

†

Neque eam à me invitò unquam abduces.

†

Spectari ludos magnificè atque opulenter.

†

Peregrè eſt.

†

Plure altero tanto, quanto ejus fundus eſt, velim.

†

Ita ſunt prædones, prorſum parcunt nemini.

†

Velim te arbitrari factum. R. ſedulum eſt.
ſubmoventur hoſtes, removentur lapides.

†

Si non ſtrenuè fatetur, ubi ſit aurum, membra ejus exſecemus ſerrâ.

INTERPRETATIO.

& qui primus collocato hîc ſolario diſcerpſit fruſtatim diem mihi infelici. Nam quando eram puer uterus erat hic ſolarium, quod iſtis omnibus longè antecellebat, & bonitate & veritate. Quando hic indicabat edendum: niſi quando nihil habebam. Nunc non habeo etiam, quod habeo, niſi ſol velit. Tota urbs eſt plena ſolariis. Major pars plebis jacet avida ob inediam. CÆCUS, ſive PRÆDONES. Nihil erat niſi eleganti artificio perpolitum, nihil collocatum ſine luco, auro, ebore, argento, purpura, picturis, ſpoliis & ſtatuis. ... Et nunquam illam avocabis à me niſi volente. .. Cerni ludos ſplendidos atque divites. .. Abiit extra patriam. .. Optem eſſe carius duabus partibus, quàm ejus eſt prædium. .. Ejusmodi ſunt latrones, nulli omnino ignoſcunt. .. Optarem te judicem ejus rei. R. Eſt res diligens. Arcentur hoſtes, tolluntur lapides... Concidamus ejus artus ſerrâ, ſi non indicet, in quo loco ſit pecunia. ...

ANNOTATIONES.

48. *Nihil quicquam.*] Charisius in adverbio hos versus quatuordecim affert,

54. *Plure.*] Pro *pluris*. Laudat Ciceronem idem Charisius in eâdem voce: *plure venit.*

†

Nihil feci secus, quàm me decet.

†

Quis tu es, qui ducis me? mu! perii hercle, Afer est.

CALCEOLUS.

†

MOLLUSCAM nucem super ejus dixit impendere tegulas.

CARBONARIA.

†

SECUNDUM ipsam aram aurum abscondidi.

†

Esto pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia.

†

Patibulus ferar per urbem, deinde affigar cruci.

COLAX.

†

COLACEM esse Nævii & Plauti veterem Fabulam.

†

Batiolam auream octo pondo habebat, accipere noluit.

COMMORIENTES.

†

SYNAPOTHNESCONTES Diphili Comœdia est:
Eam COMMORIENTES Plautus fecit Fabulam.

†

—— Saliam in puteum præcipes.

INTERPRETATIO.

Nihil commisi, quod me dedeceat.... Quis es tu, qui ducis me? interii Hercule, Afer est... CALCEOLUS. *Dixit nucem Molluscam suo tecto imminere..* CARBONARIA. *Juxta altare ipsum occultavi aurum... Comede pernam, sumen suis, spectile, callum, glandia... Me trahent per civitatem patibularium, deinde affigar cruci...* COLAX. *Colacem esse veterem Comœdiam Nævii & Plauti... Egerat Batiola aureâ octo librarum, accipere recusavit...* COMMORIENTES. Synapothnescontes *est una è Diphili Comœdiis: Plautus ex eâ composuit Fabulam* commorientes... *Me dabo præcipitem in puteum...*

ANNOTATIONES.

61 *Mu.*] Particula qua terror incutitur. Lucilio: *Mu facere*, est *mutire*.

62. *Molluscam nucem.*] Versus hic affertur à Macrobio, & interpretatur molluscam nucem de persica, quam nos vocamus, *une peschе*.

64. *Sueris.*] Id est, *suis*.

65. *Patibulus.*] Adjectivè.

66. *Colacem.*] Colax Græcum est, & adulatorem significat. Argumentum hujus Fabulæ videtur fuisse parasiticum; nam tria erant genera parasitorum; alii vocabantur ridiculi, qui risum convivis movebant; alii plagipatidæ & lacones, in quos licebat quodvis audere, dummodò a mensa non removerentur; alii adulatores, quod genus serium erat & grave.

67. *Batiolam.*] *Batiola*, vas vinarium in quod vinum educitur primum è cado.

70. *Præcipes.*] Id est, *præceps*.

CONDALIVM.

†

Tam crepusculo ferè, ut amens, lampadas accendit.

CORNICVLARIA.

†

Facite olant ædes Arabicè.

†

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio:

†

Latrocinatus decem annos mercedem.

†

Pulcrum & luculentum hodie evenit prælium.

†

Te obsecro, Lyde, pileum meum, mi sodalis, mea salubritas;

†

Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest.

†

Qui amant ancillam meam Hedylium oculitùs

†

Mihi Laverna in furtis celebrassis manûs.

INTERPRETATIO.

CONDALIUM. *Adeò manè, ut stultus lucernas accendit.*...CORNICULARIA. *Date operam, ut domus odore Arabico repleatur... Qui militavit annis decem sub rege Demetrio... Egregium atque præclarum certamen commissum est hodiernâ die... Te rogo, Lyde, pileum meum, mi amice, mea salus... Quid moramur committere ludos? Adest noster circus... Qui in oculis habent Hedylium meam ancillam... Laverna, redde meas manus celebres furto...*

INTERPRETATIO.

71. *Tam crepusculo.*] Hæc Fabula Condalium vocatur. *Condalium* autem est annuli genus. Festus: *Condalus, annulus; Condalium similiter, annuli genus.* Varro negat Condalium esse Plauti, ut scribit Aulus Gellius: affirmat Terentius Condalium, & Commorientes esse Plautina.

72. *Olant.*] *Olo olis*, pro *oleo oles*, antiquè, *olere Arabicè*, id est, *suaviter.* Suavissimi enim afferebantur ex Arabiâ odores.

74. *Latrocinatus.*] Latro dicebatur stipator non à latere principis, ad quod stabat, sed à mercede quam stipationis ergo recipiebat, quæ vocabatur λάτρον.

77. *Circus.*] Putat Varro circum dici, quod milites defixo in terram palo circumluderent. Et ille ludus vocabatur, olim, *palaria* à *palo.*

79. *Laverna.*] Fures olim venerabantur Lavernam, tanquam patronam suam. Horatius quas preces ad eam funderent etiam refert:

——— *pulcra Laverna*
Da mihi fallere: da justum sanctumque videri.

Hæc Dea Græcis erat Πραξιδίκη. Plagiarium versuum appellat Ausonius, *Lavernam carminum.* Pareus legit, *Litavam lavernam, ni furis sceleraſcit manus. Litavam*, pro *litabam*: *lito* autem est *precor. Furis manus*, id est, *fures*, seu, *furaces manus.* Alius legit, *Mitigaveram Lavernam ni*; id est, *mitiorem reddideram, placaveram. Fures celeraſſit manus*, id est, *celeres manus in furando redderet.*

DYSCOLVS.

†

Virgo sum: nondum didici verba nupta dicere.

FOENERATRIX.

†

Heus tu! in Barbariâ quod dixisse dicitur
Liberta suæ patronæ, id ego dico tibi:
Liberta salve: VAPULA Papyria.

FRETVM.

†

Hoc illud est
Quod arietini responsum magnis ludis dicitur:
PERIBO, SI NON FECERO: SI FAXO, VAPULAVERO.

FRIVOLARIA.

†

Commodò dictitemus.

†

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera.

†

——sequimini hàc
Sultis legiones omnes Lavernæ. ubi rorarii

INTERPRETATIO.

DYSCOLUS. *Sum virgo: nescio quidem nomina rerum obscœnarum...* FOENERATRIX. *Heus tu! tibi dico id quod Libertæ refertur dixisse suæ patronæ apud Romanos: salve liberta: Vapula Papyria....* FRETUM. *Id est quod dicitur in magnis ludis responsum Arietini: Occidam, nisi egero: si egero, pœnas dabo.* FRIVOLARIA. *Dicamus commodè... Is mihi erat instar bilis, aquæ intercutis, tussis, febris robustæ... Sequamini hàc, si vultis, legiones omnes Lavernæ! Ubi estis*

ANNOTATIONES.

80. *Nupta verba.*] Festus: *Nupta verba dicebantur ab antiquis, quæ virginem dicere non licebat.* Idem: *Nubentibus depositis prætextis, à multitudine puerorum obscœna clamantur.* Varro: *Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures returant:* Videlicet antea erant obturatæ. Pueris autem non ante licebat obscœna jactare ad novas nuptas, quàm prætextam detulissent ad Fortunam virginalem.

81. *Barbariâ.*] Si argumenti est Græci Fabula barbaria significat Romanos; si Romani, significat Græcos.

83. *Vapula Papyria.*] Festus: *Vapula Papyria, in proverbio antiquis fuit. De quo Sinnius Capito refert: tum dici solitum esse, cum vellent minantibus significare, se eos negligere & non curare fretos jure libertatis.* Alii accipiunt pro *dole:* Varro pro *peri.* Scaligero est οἰμωζε. Præter hos versus, Diomedes hunc affert: *Quæ ego populabo probè*; alii, *propere.*

85. *Arietini responsum.*] Arietinum responsum est anceps, & quocumque te vertas incommodum: hoc patet ex sequenti versu:

Peribo, si non fecero: si faxo, vapulavero,
Id est, *Sive fecero, sive non fecero, incommodum erit.*

88. *Febris querquera.*] Festus: *Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi prælium committebant quòd, ut antè imbrem ferè rorare solet; sic illi ante gravem armaturam quòd prodibant, rorarii dicti.*

Estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce*
Agito, subsidite omnes, quasi solent triarii.

†

Navè agere oportet, quod agas, non ductariè.

†

Superaboque omnes argutando præficas.

†

——tunc papillæ primitus
Fraterculabant: illud volui dicere,
Sororiabant. quid opus est verbis? &c.

†

O amice, ex multis mihi une Cephalio

†

Strebula agnina tene.

GASTRION, vel GASTRON.

†

Caro strebula, vitellina est: cænabis.

INTERPRETATIO.

prima aciei milites? Ubi accensi? ecce subsistite universi, sicut qui tertio ordine decurrant... Decet perficere id, quod instituisti ultrò non ægrè... Et vincam viniversas præficas argutâ voce.... Tunc mammæ primùm eminebant ut fratres: volui dicere, ut sorores. Quid opus est verbis? &c... O amice Cephalio unus inter multos... Accipe agninam Diis oblatam...* GASTRION, vel GASTRON. *Habeo carnem conendicis vitulinæ: cænabis....*

ANNOTATIONES.

91. *Accensi.*] Varro: *Accensi dicti sunt, quòd Decurionibus & Centurionibus accensebantur*, id est, *attribuebantur*. Iidem *Adscriptivi*, & *Optiones* dicti sunt.

92. *Subsidite.*] Festus: *Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extremâ acie, labentique aciei succurrebant. Quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, & tamen retinebant locum in exercitu: quæ erat tertia acies, quæ dicebatur Triariorum.*

Triarii.] *Triarii* dicti, quòd in tertio ordine aciei starent.

93. *Navè.*] Id est, *naviter*. Festus: *Navus, celer, ac strenuus, à navium velocitate dictus.*

Ductariè.] *Ductariè*, quando adverso amne funibus trahitur navis.

94. *Præficas.*] *Præficæ* erant mulieres conductitiæ, quæ præirent funeri, ad lamentandum & lachrymandum; & quia arguta, acutaque mulierum esse vox solet, ideò pollicetur hæc quæcumque sit tandem persona, fore ut vincat arguta voce, & acuta *præficas*.

96. *Fraterculabant.*] De geminis papillis, quasi de geminis pueris, & uno partu editis, qui solent esse simillimi. *Fraterculare*, seu *ferorculare*, seu *sororiare*. *Frater* & *soror* obscœna erant olim: iis enim nominibus abutebantur conjunctionis naturalis, ad exprimendam suam lasciviam.

93. *Une.*] Pro *unus*, in vocandi casu; & alibi *sole*, pro *solus*. Priscianus quidem, pro *frivolario*, ponit *fribularia*; sed in manuscriptis veteribus *b* littera pro *u* consonante non rarò ponitur; & pro *a* ponebatur *ou*, quod deinde vel in *u* vel in *o* mutatum fuit. Unde *fribularia*, pro *fribolaria*; *frivolaria*.

99. *Strebula.*] Strebula agnina, est caro agnina, cujus pars fuit adhibita ad sacrificium. Nonnulli putant esse carnem coxæ, quia στρεβλὸς, est *curvus*. Qualis est coxa.

100. *Caro strebula.*] Uno verbo dicitur, *carostrebula*. Dividit tamen Arno-

HORTVLVS.

†

Præco ibi adſit cum coronâ: quîque liceat, veneat.

KAKISTVS.

†

——malo hunc alligari ad oriam;
Ut ſemper piſcetur, etſi ſit tempeſtas maxima.

LENONES GEMINI.

†

Dolet hic puellus, ſeſe venum ducier.

MEDICVS.

†

In conſpicillo adſervabam: pallium obſervabam.

†

Paraſito cum virgis caſeum radi poteſt.

†

Domi reliqui exoletam virginem.

NERVOLARIA.

†

Scobinam ego limâ actutum adraſi.

†

Scranciæ, ſcrupedæ, ſtrictivellæ, tantulæ.

INTERPRETATIO.

HORTULUS. *Præco veniat, & habeat coronam; & vendatur tanti quanti licitum fuerit...* KAKISTUS. *Eum ad malum oriæ conſtringi; ut ſemper piſces capiat, licet ſit tempeſtas maximæ....* LENONES GEMINI. *Ægrè fert hic puer, quia ducitur ut vendatur...* MEDICUS. *Intuebar in ſpeculo: obtuebar pallam... Caſeus poteſt radi cum virgis paraſito... Deſerui in ædibus virginem adultam.* NERVOLARIA. *Ego adraſi ſtatim ſcobinam limâ... Fœtidæ, tardæ, rugoſæ, breves....*

ANNOTATIONES.

bius adverſus gentes: *Nonne placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur?*

101. *Cum corona.*] Captivi coronati vendebantur, Feſto teſte.

Quique liceat.] *Tanti* vendatur, *quanti liceat.*

102. *Oriam.*] *Oriæ*, & ut aliis *horiæ*, eſt navis piſcatoriæ genus.

105. *In conſpicillo.*] Conſpicillo; vel ut alii, conſpicilio obſervare, eſt adhibito vitro oculorum juvare aciem.

109. *Scranciæ.*] Id eſt, ſidentidem *ſereantes* fœtorem ſtomachi ſputis egerentes. Hæ & *ſcreatiæ* dictæ.

Scrupedæ.] Tardæ & malè ſtantes, quaſi per ſcrupos & lapillos perpetuò incedant: veteres etiam petreias appellabant. Scaliger tranſlatum è Græco putat, & *ſcrupedas* dici, quaſi *crupedas*: *crupedas* autem derivat à κρουπεδοι, id eſt, *duris homines pedibus.*

Strictivellæ.] Aliis *ſtrictipellæ*, ſed propriæ *ſtrictipellæ*, quæ ſunt *ſtrictivellæ*: ſignificantur enim mulieres, quæ quum ſint rugoſæ diſtendunt pellem, ut aſperitatem rugarum tollant, & expolliant cutem. Ab aliis dicebantur *tentipellæ*, vel *tentipellæ*: eæ verò, quæ ad id adhibebant ignem, dicebantur *incoctæ mulieres.*

Tantulæ.] Breves vocantur ac parvæ.

†

Prohibent, quom mœnia aliunde ego fungor mea.

†

Ociſſimè nos liberi poſſimus fieri.

†

Polluctè prodigum eſſe amatorem addecet.

†

vinum ſubleſtiſſimum.

†

Inſanum valdè uterque deamat.

PATINA, ſive PATINARIA.

†

Nam quid ille nunc tam diu intus remorantur rem eligines?

PARASITUS-PIGER, ſive LIPARGUS.

†

INDE bene appotus primulo crepuſculo
Domum ire cæpi tramite rectâ viâ.

†

Ambo magnâ laude lauti: poſtremo ambo ſumus non nauci.

†

Addite lepades, echinos, oſtreas,

†

Nihil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

PHAGON.

Honos ſynceraſto perit.

†

PLOCIONA.

†

Nam coloratam frontem habet, petilis labris.

INTERPRETATIO.

Impediunt, quando ego obeo meum officium.... Valeamus manumitti celerrimè... Oportet amatorem eſſe abundè profuſum... Vinum inſuaviſſimum.... Uterque magnopere inſanit amore... PATINA, ſivè PATINARIA. *Quare ille tamdiu retinet in ædibus remoras...* PARASITUS-PIGER, ſive LIPARGUS. *Inde probè madidus vino reverſus ſum rectà in ædes primâ luce... Ambo lautiſſimi: demum uterque non ſumus ſpernendi... Addite lepades, echinos, oſtreas. Non curo ſi fucus eſt in alveo, qui vorat cibum apum...* PHAGON. *Honor Synceraſti interit...* PLOCIONA. *Eſt illi frons colorata, & exilia labra.*

ANNOTATIONES.

110. *Mœnia fungi.*] Id eſt, *muniis, ſeu muneribus, & partibus fungi.*

113. *Vinum ſubleſtiſſimum.*] *Infirmum, tenue:* & quaſi *dilutius* aquâ.

114. *Inſanum valde.*] Id eſt, *magnopere.* Inſanum ſæpè in autoribus, non quod non ſanũ eſt, ſed quod eſt magnum.

122. *Nam coloratam.*] Hæc Fabula vocatur *Plociona*, à πλοκιώνης, *ſtupparum emptor.*

Petilis labris.] Feſtus: *Petilam ſuram ſiccam, & ſubſtrictam vulgò interpretantur.* Nonius: *Petilum, tenue & exile.*

SATURIO.

†

CATULINAM carnem esitavisse, hoc est, comedisse Romanos, Plautus in SATURIONE refert.

†

Retrahi nequitur, quoquò progressa est semel.

†

Malo tibi evenisse video. qui glaber erat tanquam rien.

†

Succenturia; centum require, qui te delectent domi.

SCYTHA LITURGUS.

†

MULIER es, uxor. Cuja, vir? ego novi, scio: axiosa es.

†

——Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brocchum filium.

TRIGEMINI.

†

Ni fugissem, medium credo præmorsisset.

VIDULARIA.

†

UBI quamque pedem videbat, suffurabatur omnis.

†

Nescio qui servus è myrtetâ prosiluit.

INTERPRETATIO.

SATURIO. *Comedisse carnem Catulorum... Non potest retrahi, in quemcumque locum progressa est semel... Animadverto id tibi malè cessisse. Qui imberbis erat veluti ren.... Succenturia; quare* vel *centum qui te oblectent in ædibus.* SCYTHA LITURGUS. *Es mulier, ô uxor. Cuja, vir? Ego novi, scio: factiosa es... Si deinceps non edat mihi pueros, nævo quodam notatos, qui sint aut vari, aut valgi, aut compernes, aut pati, aut brocchi.* TRIGEMINI. *Nisi in fugam me conjecissem, me medium dentibus invasisset...* VIDULARIA. *Statimatque pediculum cernebat, eum surripiebat... Nescio quis servus erupit ex myrteto...*

ANNOTATIONES.

124. *Nequitur.*] *Nequitur* antiquè dictum. Festus: *Nequitum, & nequitur, pro non posse dicebant.*

125. *Rien.*] Nihil est riene magis glabrum.

126. *Succenturia.*] Festus: *Succenturiare, est explenda centuria gratiâ supplere, subjicere.*

129. *Varum.*] Varus distortis est cruribus vulgò contrarius, atque adeò incedit genibus juxta positis, pedibus longissimè disjunctis.

Valgum.] *Valgum* appellant, qui incedit talis juxta se positis, sed disjunctis genibus.

Compernem.] Longis est *compernis* pedibus.

Pætum.] Tremulis est, & clausissimis oculis.

Brocchum.] Nonius: *Broncus, qui dentes habet prominulos, & os productum.*

Paupera

†

Paupera hæc res est.

†

Opposita est claxendix. at ego dicam signi quid sit.

†

Animum advortite ambo, si vultis, vidulum hîc apponite.
Ego servabo, quasi sequestro detis: neutri reddibo, donicum
Res judicata erit hæc.

†

Haud fugio sequestrum.

†

Inopiam, luctum, mœrorem, paupertatem, algum, famem.

†

Ejusdem Bacchæ fecerunt nostram navim Pentheum.

†

Nunc, ut apud sequestrum vidulum posivimus.

†

Nunc servus argentum à patre expalpabitur.

†

Imo id quod hæc nostra est patria, & quod hic meus
Est pater, illic autem Soterinis est pater.

†

Malim moriri meos, quàm mendicarier. boni ministrantur: illum nunc irrident mali.

†

Signum rectè comparebat: hujus contendi annulum.

Interpretatio.

Hæc res est misera.... Opposita est concha; ego vero aperiam, quod sit signum... Animadvertite ambo, si libet, deponite hic vidulum. Ego custodiam, quasi deposueritis apud sequestrum: reddam neutri, donec hæc lis sit dijudicata... Non deprecor sequestrum... Egestatem, fletum, tristitiam, inopiam, frigus, famem... Ejusdem Bacchationes dilaceraverunt nostram navim, sicut Pentheum... Nunc, quia deposuimus vidulum apud sequestrum.... Nunc servus circumveniet patrem pecuniâ... Imò quia adest patria nostra, & quia hic est meus pater, ille verò est pater eorum, qui saluti fuerunt.... Malim meos mortem oppetere, quàm mendicare. Quia boni serviunt mortuo: *mali illudunt mendico.... Signum optimè apparebat: contuli cùm annulo....*

Annotationes.

134. *Claxendix.*] Priscianus: *Claxandix* significat concham, quâ signum tegitur.

140. *Fecerunt navim Pentheum.*] Nota est Fabula de Pentheo, qui cum curiosius contemplaretur orgia Bacchi, à Bacchidibus discerptus est.

144. *Soterinis est pater.*] Hæc Soteris, hujus Soterinis; id est, *pater salvatricis*. Nam *Soteris*, est à Græco.

145. *Boni ministrantur.*] Alii, *Boni in miserantur*; id est, *bonos ejus miseret.*

146. *Contendi.*] Id est, *comparare* aliquid cum alio, ut deprehendas in quo differant. Contendere fila, utrum sint æqualis longitudinis.

BIBLIOTECA UNIV GRANAD

†

Quid multa verba? plurimùm luctavimus.

†

—— Jube hunc insui culleo,
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

†

Ibi ut piscabar, fuscinâ ici vidulum.

†

Nam audivi fœminam ego leonem semel parire.

INTERPRETATIO.

Quid plura? Multùm luctati sumus... Impera hunc includi culeo, atque deferri in altum, si cupis habere annonam ubertem... Quum piscarer in illo loco, fuscinâ ferii vidulum... Audivi mulierem olim peperisse leonem.

PARS SECUNDA.

LOCI EX AMISSIS CITATI, AMISSO etiam Comœdiæ nomine.

†

EPEUM fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum.

†

Oggannuit odiosus omni totæ familiæ.

†

Licet vos abire curriculò.

†

Jam tibi tuis meritis crassus corius redditus est.

†

Dii benè vortant! tene cruminam: in eâ erunt triginta minæ.

INTERPRETATIO.

Epeus fumosus, qui coquit cibos nostris copiis... Oblatravit invitus universæ nostræ familiæ... Licet vos fugere celeriter... Tua cutis evasit crassior tuis virtutibus... Dii benè vertant! Accipe crumenam: sunt in eâ triginta minæ.

ANNOTATIONES.

1. EPEUM *fumificum.*] Epeus coquus dicitur *fumificus*; quia coqui ut plurimùm versantur in fumo, atque adeò melius *fumosum* dicas, quàm *fumificum.*

2. *Oggannuit.*] Ogganire est latratus ille tenuis & amicus canum gestientium, & ut ita dicam gratulantium propter reditum heri.

3. *Curriculò.*] Id est, *cursim.*

4. *Corius.*] Vetus, *corium. Tuus corius redditus est crassus tuis meritis*; id est, *induruit flagris tibi propter nequitiam inflictis.*

†

Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quàm famam reor.

†

Stultus est adversum ætatem & capitis canitudinem.

†

Numnám mihi oculi cæcultant? estne hic noster Hermio.

†

Ejuravit militiam.

†

Sic me subes cotidie, quasi fiber salicem.

†

Herbam do.

†

Iniit te unquam febris?

†

Neque muneralem Legem, neque Lenoniam;
Rogata fuerit nec né, floccid æstimo.

†

Perfidiosè captus, edepol nervo cervices probas.

†

Muriatica autem video in vasis stagneis:

Interpretatio.

Arbitror nihil esse velocius apud homines famâ... Desipit præter ætatem & canitiem... Nonne oculi falluntur? Estne hic noster Hermio?... Deseruit arma... Sic subit meas ædes singulis diebus, quasi Castor subit salices... Herbam porrigo... Nunquamne te febris occupavit?... Nauci facio, rogatane fuerit, necne Lex munerum dandorum, aut Lenonia.... Per ædem Pollucis perfidè occupatus explorat utrum collum ferre possit nervum... Animadverto res muria mersas in vasis stãneis:

Annotationes.

7. *Canitudinem.*] Id est, *canitiem*, vetus.

8. *Cæcultant.*] Festus: *Cæcultant; cæcis proximi sunt oculorum acie obtusâ.*

9. *Ejuravit militiam.*] *Ejuratio significat id, quod desideretur, non posse præstari.*

10. *Fiber.*] Dicitur etiam *Castor*, & *Canis Ponticus*. Varro de ling. Lat. *Fiber, ab extremâ ora fluminis dextra & sinistra maximè quòd solet videri; & antiqui fibrum dicebant extremum. Unde & in sagis extremâ simbriæ, & in jecore extremum fimbria.*

11. *Herbam do.*] Festus: *Herbam do, cùm ait Plautus, significat, victum me fatetur; quod est antiqua & pastoralis vitæ indicium: nam qui in prato, cursu aut viribus contendebant, cùm superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant.*

12. *Iniit.*] *Introiit.*

13. *Muneralem legem.*] Lex *muneralis* erat *Lex Cincia*, quâ cautum erat ne quis munus acciperet ob causam orandam, & patrocinium præstandum.

15. *Nervo cervices probas.*] Festus: *Nervum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait.*

16. *Muriatica.*] Edulia muriâ condita.

Vasis stagneis.] Id est, *stanneis.* Nisi fortè allusione factâ ad stagnum exprimat vasa lata in quibus innatent in muria pisces, & cætera edulia.

Bonam naritam, & camarum, & tagenia:
Echinos fartos, conchas piſcinarias.

†

Non ego te novi, navalis ſcriba, columbar impudens?

†

Nihil deconciliares illi, niſi quid Perſibus ſapis.

†

Sacrum an profanum habeas, parvipenditur,

†

Ulceroſam, compeditam, ſubverbuſtam, ſordidam.

†

Glirium examina.

†

—— ſed leno egreditur foras.

†

Hinc ex occulto ſermonem ejus ſublegam.

†

Nec, machæra, audes dentes frendere.

†

Floccipendo quid rerum geras.

†

Argentum hinc facite.

†

Clandeſtina ut celetur conſuetudo.

†

Properant prandium.

†

Quam folles taurini habent, cùm liqueſcunt petræ, ferrum ubi fit.

INTERPRETATIO.

Videlicet naritam, & camarum, & tagenia: echinos fartos, conchas depromptas è piſcinis... Non te novi navalis ſcriba, columbar impudentia? ... Nihil adimeres illi, niſi videaris Perſibus ſapere.... Sacrum an profanum exiſtimes perinde eſt... Ulceribus plenam, compedibus vinctam, verubus aduſtam, ſordidam.... Glirium examina... Sed leno exit foras.... Aucupabor ejus orationem hinc ex occulto... Nec audes dentibus, frendere, ô machæra... Nihili facio, quid agas... Hinc habete pecuniam... Ut eſſet incognita familiaritas... Accelerant prandium... Quemadmodū folles fabriles, quando funduntur ferrum, & liqueſcunt lapides.

ANNOTATIONES.

17. *Naritam.*] Oſtrei genus, *narita.*
Camarum.] Aliud edulii genus.
Tagenia.] Piſcis genus.

19. *Navalis ſcriba.*] Navalis ſcriba geminum eſt convitium. Nam navalis homo dicebatur in contemptum de homine vili & nequam. *Scriba* etiam inter viles accenſebantur.

Columbar impudens.] Columbaria ſunt foramina quo proferantur extra navim remi, ad remigandum.

22. *Subverbuſtam.*] Id eſt, *Verubus uſtam.* Videlicet ferro calente torquent, & criſpant capillos.

†

Non hic ut possit, edit; sed posse cupit, ut edat.

†

Fortasse se amare suspicavêre.

†

Instare factum.

†

Egóne illi venear?

†

Inimicus esto, donicum ego revenero.

†

Pedibus.

†

Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.

†

Nunquam ad civitatem venio, nisi cùm infertur peplum.

†

Scelerare manus.

†

Ipsa sibi avis mortem creat.

†

Pro larvato te circumferam.

†

Paupera hæc est mulier.

†

——Si quæ fortè concio est,
Ubi eum hietare nondum in mentem venit.

†

Cilix, Lyciſce, Sosia, Stiche, Parmeno,
Exite, & ferte fusteis privos in manù.

†

Anus hæc in pellis periculum protenditur.

INTERPRETATIO.

Hic non edit ut valeat, sed optat valere, ut edat.... Forsitan suspicatæ sunt se amari.... Urgere rem... Egóne illi vendar?... Esto inimicus, donec ego revertar... Pedibus... inscribam tuum corpus virgis ulmeis... Nunquam venio ad urbem, nisi quando infertur peplum.... inquinare manus... Avis sibi affert exitium ipsa... Te prædicabo larvatum esse.. Hæc mulier est inops... Si quis est fortè cætus in quo nundum venit in mentem adesse hiscendo... Cilix, Lyciſce, Sosia, Stiche, Parmeno, adeste, & afferte singuli suum fustem in manu... Hæc anus extenditur in cutis periculum....

ANNOTATIO.

37. *Pedibus.*] Adverbialiter.

†

Cedite mihi.

†

Mecum habet patagus, morbus, æs.

†

Quid est hoc? rugat pallium. amictus non sum commodè.

†

——exi tu Dave,
Age, sparge. mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra. non hoc pulveret.

†

Regiescit.

†

Pullaria.

†

Vesperna.

†

Neque ego ad mensam publicas res clamo, neque leges crepo.

INTERPRETATIO.

Date mihi... Patagus, morbus, & æs alienum mecum habitant.... Quid est hoc? pallium est rugosum; non sum indutus commodè... Egredere tu Dave, age, sparge. Opto hoc vestibulum esse versum. Nostra Venus est huc ventura. Ne pulvis superfit... Crescit... Manus dextra... Vespertina cœna.... Neque ego vociferor ad mensam de rebus publicis, neque leges prædico.

ANNOTATIONES.

50. *Patagus.*] Id est, *capitis quassatio.*
Morbus.] Id est, *patagus morbus*, quo laborabant Corybantes in sacris Cybeles.
Æs.] De ære quo Corybantes celebrabant Cibeles sacra intellige.
55. *Regiescit.*] Festus: *Rigiescit apud Plautum significat crescit.*
56. *Pullaria.*] Id est, manus dextra interprete Festo.
57. *Vesperna.*] *Vesperna* uno verbo, pro *vesperna*, seu *vespertina cœna.*

PARS TERTIA.

LOCI EX COMOEDIIS, QUÆ EXTANT, citati: qui tamen in noſtris hodie Codicibus nuſquam comparent.

AMPHITRVONE.

†

OPTIMO jure infringatur aula cineris in caput.

†

Ne tu poſtules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.

†

Herus Amphitruo occupatus.

†

Quæſe adveniente morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certè aut larvatus aut cerritus es.
Edepol hominem te miſerum! medicum quærita.

†

Cuique, me abſente, corpus vulgavit ſuum.

†

Exjuraviſti te mihi dixe per jocum.

†

Qui nequeas noſtrorum uter ſit Amphitruo decernere.

†

Niſi hoc ita factum eſt, proinde ut factum eſſe antumo,
Non cauſſam dico. verùm qui inſimules probri?

†

Manifeſtum hunc obtorto collo teneo furem.

INTERPRETATIO.

AMPHITRYO. *Merito frangatur olla plena cinere in ejus caput.... Ne una matella aqua injiciatur in tuum caput.... Amphitryo herus eſt impeditus.... Quare jam medicum ad te curandum morbo accedente. Profecto, aut larvis, aut cerere inſtinctus es. Per ædem Pollucis hominem infelicem! quare medicum.... Cuivis, quando abfui, vulgavit ſuum corpus.... juraviſti te mihi dixiſſe joco.. Qui non potes ſtatuere uter noſtrum ſit Amphitryo... Niſi id ita geſtum eſt, ut geſtum eſſe dico, non me defendam. Sed tu me inſimulas flagitii?.... Teneo hunc furem manifeſto obtorto collo...*

ANNOTATIONES.

3. *Occupatus.*] Id eſt, *Impeditus.*
4. *Quæſe.*] A veteri, *quæſo, ſis, ſit: quæſivi, quæſitum, quæſere.*

†

Ibi ſcrobes effodito duplos ſexagenos in dies.

†

At ego certè cruce & cruciatu muctabo : exi ô foras, maſtigia.

ASINARIA.

†

Qui etiam me miſerum famoſum flagitiis facit ſuis.

†

Heic aderit, credo, congerro meus.

AVLVLARIA.

†

Nec noctu nec diu quietus unquam eam, nunc dormiam.

†

——ſed leno egreditur foras.

Hinc ex occulto ſermone ſatus ſublegam.

†

Homo ebriolatus ſomno ſanari ſolet.

†

Qui mihi olera cruda ponunt, halec danunt.

†

Ego ecfodiebam in die denos ſcrobes.

†

Hic quidem pervicus cuſtodem addidit.

†

Pro illis crocotis, ſtrophiis, ſumptu uxoris.

†

Ut admemordi hominem.

INTERPRETATIO.

Effodies bis ſexagenos ſcrobes in dies ſingulos... Sed ego te adigam in crucem, & cruciatum: egredere foras, ô maſtigia... ASINARIA. *Qui me reddit quoque celebrem probris ſuis... Meus congerro huc veniet, ut puto..* AULULARIA. *Non ſim quietus, nec diu, nec noctu. Nunc ſomno indulgebo... Sed leno exit foras. Auſcultabo ex occulto ſermonem ejus... Homo temulentus conſuevit levari ſomno... Mihi apponunt olera cruda, & dant... Ego effodiebam decem ſcrobes in ſingulos dies... Hic contumax adjecit cuſtodem... Pro illis* veſtibus *croco tinctis, ſtrophiis, ſumptu uxoris... Ut momordi hominem.*

ANNOTATIONES.

16. *Congerro.*] *Confabulator, nugarum ſocius.*

19. *Sermone ſatus ſublegam.*] *Sermone ſatus*, unâ voce è duobus factâ: *ſatus*, autem quartæ declinationis ſignificat ſationem. *Sermoneſatus* igitur idem eſt, ac ea, quæ in ſermonem inciderint: alii legunt, ſermonem ejus ſublegam

23. *Pervicus.*] Id eſt, *pervicax.*

24. *Crocotis.*] *Crocota* eſt veſtis crocei coloris. In Epidico eſt Crocotula.

Strophiis.] Strophium faſcia pectoralis, quæ ad oram ſummam veſtis muliebris poſita ſcapulis ſinuique, inſidet.

25. *Ut admemordi.*] Pro *admemordi*, Admordere autem hominem eſt, *genuinum infigere* maledictis.

myrtam.

†

myrtam. myrtum.

†

CAPTEIVEI.

†

Fac fidele: cave fluxam fidem feras.

†

Pileum, quem habuit, deripuit, eumque ad cœlum tollit.

†

Auctionem facio paraſiticam.

CASINA.

†

Perii! illic habebit flocco jam homo lumbos meos

†

Intro ad uxorem, ſufferamque meum tergum ob injuriam.

BACCHIDES.

†

ILLA mei cognominis fuit.

†

——nam & ex mari timida ecce ego
Pavitare——

†

Quibus ingenium animi utibile, eſt modicum & ſine
Vernilitate——

†

Ecquis evocat cum naſiternâ & cum aquâ illum impuriſſimum?

INTERPRETATIO.

Myrtam, Myrtum... CAPTIVI. *Eſto fidus: vide ne fluxa ſit fides tua.. Eripuit pileum, quem habebat* in capite, *& eum ſuſtulit in cœlum.... Facio auctionem paraſiticam....* CASINA. *Occidi! ille homo modò nauci faciet meum tergum....Ingredior ad uxorem, & confe-ram meum tergum, ut afficiatur injuriâ....* BACCHIDES. *Illi fuit idem cognomen ac mihi....Nam ecce ego trepidare cœpi recens à mari.... Qui habent animum commodum, modeſtum & minimè ruſticum.... Quis vocat illum impurum cum naſiternâ aquâ plenâ?....*

ANNOTATIONES.

26. *Myrtam, myrtum.*] A *myrta, myrtus.*

27. *Fac fidele.*] *Fac quod eſt hominis fidi. Quod eſt fidei.*

31. *Ob injuriam.*] Id eſt, *ad injuriam. Obviam injuriæ.*

33. *Ex mari timida.*] Id eſt, *Titubans, & malè ſtans*; eos enim qui navigant torpor occupat.

36. *Vernilitate.*] Indoles quæ ſervum & vernam redoleat, & liberum hominem dedeceat.

37. *Naſiterna.*] Juvenalis vocat: *Calicem naſorum quatuor.*

†

Quæ ſodalem atque me exercitos habet.

†

Nam tu quidem cuivis excantare cor facilè potes.

†

Vincla, virgæ, mole ſævitudo mala fit pejor.

†

Cor meum, ſpes mea, mel meum, ſuavitudo, cibus, gaudium.

†

Limaces viri.

†

Ne à quoquam [illegible] acciperes mercedem annuam
Niſi ab ſeſe [illegible] cum quiquam limares caput.

†

Cupido te conficit, ánne amor?

†

Prænestinum, opino, esse: ita erat glorioſus.

†

Sin lenocinium fortè collubitum eſt tibi,
Videas mercedis quid tibi eſt æquum dari,
Ne iſtâ ætate me ſectêre gratiis.

†

Ulyſſem audivi fuiſſe ærumnoſiſſimum,
Qui annis viginti errans à patriâ abfuit:
Verùm hic adoleſcens multo Ulyſſem anteit,
Qui illicò errat intra muros civicos.

INTERPRETATIO.

Quæ me diſcruciat atque ſodalem. ... Nam tu quidem potes facilè animum incantare cujusvis. ... Vincula, verbera, crudelitas evadit gravior, quâvis mole. .. Cor meum, ſpes mea, mel meum, ſuavitudo, cibus, gaudium. .. Viri limaces. .. Ne acciperes à quoquam alio mercedem annuam, niſi ab ſeſe: neque limares caput cum quoquam. .. Cupidone, an amor te conficit? ... Opinor illum eſſe præneſtinum: adeò erat glorioſus. ... Sin libet lenocinium exercere, vide quid par eſt tibi dari præmii, ne me ſequaris iſtâ ætate. Audivi Ulyſſem in ærumnis verſatum eſſe plurimis, qui viginti annis abfuit à patriâ vagus: ſed hic juvenis longè antecellit Ulyſſem, qui errat illic intra muros civitatis. ..

ANNOTATIONES.

42. *Limaces viri.*] Id eſt, *aſſueti limare caput.* Id in obſcœnis.

46. *Opino.*] Antiquè, *opinor.*

MOSTELLARIA.

†

SINE juxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia.

MILES.

†

ITA nos noſtrámque familiam habes exercitam.

†

Modicè ſapis.

PSEUDOLUS.

†

Niſi carcerem aliquando effregeritis veſtram domum.

POENULUS.

†

IMPORTUNA avis venit veſperi.

RUDENS.

†

QUID murmurillas tecum, & te diſcrutias?

†

Aulas abſtulas.

STICHO.

†

Nonne hoc publicitus.

INTERPRETATIO.

MOSTELLARIA. *Patere ut ſedeam juxta aram, & dabo meliora conſilia..* MILES. *Ita nos divexas, & noſtram familiam...Sapis moderatè.. ..* PSEUDOLUS. *Niſi effregeritis aliquando veſtram domum...* POENULUS. *Avis importuna venit ad veſperam....* RUDENS. *Quid murmuras tecum, & te diſcrutias?...Ollas aufers...* STICHO. *Nonne hoc publicè...*

ANNOTATIONES.

54. *Conſilia.*] Servius. Ad illud Æneidos 9. — *Luco tum fortè parentis,*
Pilumni Turnus ſacratâ valle ſedebat.
Secundum Plautum *ſedere*, eſt *conſilium capere*. Qui inducit Moſtellaria, ſervum dicentem, ſive juxta aram ſedeam, & dabo meliora conſilia. Nam & ipſa conſilia à ſedendo, quaſi *conſidia* dicta ſunt. Sedentiũ enim animi tranquilliores fiunt.

57. *Carcerem...veſtram domum.*] Jactum illud videtur in ſervum quemdam, qui ſæpiùs in carcerem propter ſcelera conjiceretur, ut domus ejus carcer videretur.

60. *Aulas abſtulas.*] Id eſt, *Ollas aufers. Abſtulo* antiquum, pro *aufero*. Unde *abſtuli*.

TRUCULENTUS.

†

BONA perdidi, mala repperi: factus sum extimus à vobis.

INTERPRETATIO.

TRUCULENTUS. *Amisi fortunas, infortunium nactus sum: evasi alienus à vobis.*

†

FRAGMENTORUM FINIS.

†

M. ACCII PLAUTI OBSCOENA.

AMPHITRYO.

PROLOGUS, Versus 131. 132.

Pater nunc intus suo animo morem gerit.
Cubat complexus, cujus cupiens maxumè est.

Actus 1. *Sc.* 1. *v.* 131.

SO. Ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?

Versus 192. 193.

ME. Ego tibi istam hodie sceleſtam comprimam linguam. *SO.* haud potes:
Benè pudicéque asservatur.

Sc. 2. *v.* 3.

Patri ut liceret tutò illam amplexarier.

Versus 10. 11.

Adeò, usque satietatem dum capiet pater
Illius quam amat.

Actus 3. *Sc.* 4. *Versus* 12. 13.

Amat? sapit, rectè facit, animo quando obsequitur suo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.

ASINARIA.

Actus 1. *Scena* 3. *versus* 71. 72.

Si papillam pertractavit; haud est ab re aucupis.
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.

Actus 2. *Sc.* 2. *v.* 26. 27.

LI. Edepol hominem infelicem, qui patronam comprimat!
Nam si quid sceleſtè fecit, lingua pro illo pejerat.

Act. 3. *Sc.* 3. *v.* 78.

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

Versus 105. 106.

Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.
Circumdatoque me brachiis: meum collum circumplecte.

Versus 113.

Asta igitur, ut consuetus es puer olim, scin' ut dicam?

Actus 4. *Scena* 1. *Versus* 42. 43. 44.

verùm in cubiculo
Deme istuc: equidem illam moveri gestio.
Nolo habere illam caussam, & votitam dicere.

Versus 61. 62.

Si forrè purè velle habere dixerit,
Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit.

Sc. 2. *v.* 3. 4.

Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli
Fungare? uxori excuses te, & dicas senem?

Act. 5. *Sc.* 2. *v.* 23. 24.

Ille opere foris faciendo lassus noctu advenit:
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.

AULULARIA.

Actus 4. *Sc.* 4. *Versus* 10.

EU. Pone. *ST.* Equidem, pol, te datare credo consuetum, senex.

CAPTIVEI.

Grex, *versus* 2.

Neque in hâc subigitationes sunt, neque ulla amatio,

CURCULIO.

Actus 1. *Sc.* 1. *versus* 28. *ad* 39.

Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato ne sis intestabilis.
Quod amas, amato testibus præsentibus.
PH. Quid istuc est verbi? *PA.* cautè ut incedas viâ.
PH. Quin leno hîc habitat. *PH.* nemo hinc prohibet nec vetat,
Quin quod palàm est venale, si argentum est, emas.
NEMO IRE quemquam publicâ prohibet viâ.
Dum ne per fundum septum facias semitam,
Dum tete abstineas nuptâ, viduâ, virgine,
Juventute, & pueris liberis; ama quid lubet.
PH. Lenonis hæ sunt ædes. *PA.* malè istis eveniat.

Versus 55. 56.

QUI è NUCE nucleum esse volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.

Scena 3. *versus* 5. 6 7. 8.

PL. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
Sisto ego tibi me, & mihi contrà itidem te ut sistas suadeo.

PH. Assum. nam si absim, haud recusem quin mihi malè sit mel meum.

Versus 32. 33.

Viden', ut miserè moliuntur! nequeunt complecti satis.
Etiam dispertimini?

CASINA.

Actus 2. *Scena* 8 *versus* 22. *ad* 29.

CH. Effodere herclè hic volt, credo, vesicam villico.
OL. Ultrò te amator! apage te à dorso meo.
CH. Hodie hercle, opinor, hice conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos sanè sectari senex.
Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum: &
Idem me prídem, cùm ei advorsum veneram,
Facere arrienſem voluerat sub januâ.

Actus 4. *Scena* 3. *versus* 11. 12. 13. 14.

licet illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non est copia. *OL.* edepol næ tu, si esses equus, esses indomabilis.
ST. Quo argumento? *OL.* nimis tenax es.
ST. Numné expertus uspiam?

Actus 5. *Scena* 2. *Versus* 9. *ad finem Scenæ.*

.....senex abs te decumbem.
Colloco, fulcio, mollio.....
Ut prior quam senex nup.....
Tardus esse illicò cœpi, quoniam**.....
Respecto identidem, ne senex**.....
Illecebram stupri, principiò eam savium posco.....
Reppulit mihi manum, nec quietum dare sibi savium me finit.
Enim jam magis jam appropero: magis jam lubet in Casinam irruere.
Cupio illam operam seni surripere: forem obdo, ne senex me opprimat.
MV. Agedum tu adi hunc. *CL.* obsecro ubi tua nova nupta est?
OL. Perii hercle ego! manifesta res est. *CL.* omnem ordine rem
Fateri ergo æquum est. quid intus agitur? quid agit
Casina? satin' morigera est? *OL.* pudet dicere me.....
.....*CL. Me*mora ordine, ut occœperas. *OL.* pudet hercle. *CL.* age audacter.
.....*Post*quam decubuisti, hinc te volo memorare, quid est factum.
OL......*At* flagitium est. *CL.* CAVEBUNT, QUI AUDIERINT, faciam.
OL..... Hoc majus est. *CL.* perdis! quin tu pergis? *OL.* ubi....
.....ut subtus porrò.....
.....quid? *OL.* babæ. *CL.* quid? *OL.* papæ
.....est. *OL.* oh erat...maxumum
.....haberet metui, id quærere occepi.

.....

Dum gladium ne habeat, quæro, arripio capulum·····
Sed, quum cogito, non habuit gladium: nam esse frigidius. *CL.* eloquere.
OL. At pudet. *CL.* num radix fuit? *OL.* non fuit. *CL.* num cucumis?
OL. Profectò hercle·····non fuit quidquam olerum:
Nisi, quidquid erat, calamitas profectò attigerat nunquam.
Ita quidquid erat grande erat.
MV. Quid fit denique? edisserta. *OL.* ubi appello Casinam: *Casina*, inquam,
Amabo, mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?
Nimis tu quidem hercle immerito·····
Meo mihi hæc facis: quia mihi te expetivi·····
Illa haud verbum facit, & sepit veste id, quî estis.
Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire,
Volo ut obvertam cubitissim·····
Ullum muttit e·····
Surgo, ut ineam in·····
Atque illam in·····
Perlepidè narrat·····
Savium·····
OL. Ita quasi setis labra mihi compungit barba.
Continuò in genua astanti pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps. subsilit. obtundit os mihi.
Inde foras tacitus (præfiscini!) exeo hoc ornatu, quo vides;
Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. *CL.* optumè est.
Sed ubi est palliolum tuum? *OL.* hîc intus reliqui.
CL. Quid nunc? satin' lepidè adita est vobis manus? *OL.* meritò.
CL. St! concrepuerunt fores. *OL.* num illa me nam sequitur?

Actus 5. Scena 4. versus 2.

Nunc tu, si vis subigitare me, proba est occasio.

Grex, versus 5. 6. 7.

Qui faxit; clàm duxorem ducat scortum semper, quod volet.
Verùm qui non manibus clarè, quantum poterit, plauserit,
Ei pro scorto supponetur hircus unctus nauteâ.

BACCHIDES.

Actus 3. Scena 3. Versus 75. 76. 77. 78.

Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas, labra à labris nusquam auferat?
Nam alia memorare, quæ illum facere vidi, dispudet:
Cùm manum sub vestimenta ad corpus detulit Bacchidi,

MILES GLORIOSVS

Actus 3. *Scena* 1. *Versus* 58.

Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio.

Versus 62.

Venerem, amorem, amœnitatémque accubans exerceo.

Actus 4. *Scena* 2. *versus* 67. 68.

Dixi hoc tibi dudum, & nunc dico: nisi huic verri affertur merces,
Non hic suo seminio quámquam porculam impertiturus est.

Scena 3. *Versus* 18. 19. 20.

PY. Quid is? ecquid fortis? *PA.* abi sis hinc: nam tu quidem
Ad equas fuisti scitus admissarius,
Qui consectâre quà mares quà fœminas.

MERCATOR.

Actus 5. *Scena* 4. *versus* 27.

EV. Adolescentes rei agendæ istis magis solent operam dare.

Versus 61. 62. 63.

Neu quisquam post hac prohibeto adolescentem filium
Quin amet, & scortum ducat; quod bono fiat modo.
Si quis prohibuerit, plus perdet clàm, quàm si præhibuerit palàm.

PSEVDOLVS.

Actus 1. *Scena* 1. *Versus* 64. 65. 66.

Compressiones arctæ amantum comparum,
Tenebris labellis molles morsiunculæ.
Papillarum horridularum oppressiunculæ,

Actus 4. *Scena* 1. *Versus* 38.

Ibidem unà aderit mulier lepida, tibi sævia super sævia quæ det.

Scena 7. *Versus* 81. 82. 83. 84. 85.

Quid ais? túne etiam cubitare solitus es in cunis puer?
SI. Scilicet. *BA.* etiámne facere solitus es? scin quid loquar?
SI. Scilicet solitum esse. *HA.* saníne estis? *BA.* quid hoc quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebátne in vaginam tuam machæra militis?

Actus 5. *Scena* 1. *Versus* 13. 14. 15. 16. 17. 18.

nam ubi amans complexu'st
Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui manifestò
Inter se prehendunt: ubi mamma maniculâ
Opprimitur aliâ; aut, si lubet, corpora
Conduplicant:

POENVLVS.

Actus 3. *Scena* 3. *Versus* 84. 85.

lepidam mulierem
Complexum contrectare *te*.

Actus 5. *Scena* 4. *Versus* 65.

Dato mihi pro offâ savium, pro osse linguam objicito:

PERSA.

Actus 2. *Scena* 4. *Versus* 13. 14.

SA. Video ego te! jam incubitatus es. *PÆ.* ita sum. quid id attinet ad te?
At non sum ita, ut tu, gratis.

TRVCVLENTVS.

Actus 2. *Scena* 2. *Versus* 6. 7. 8. 9.

comprime!
ST. Spero meam quidem hercle: tu quæ solita es comprimas.
Imprudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum!
AS. Iram dixi.

FINIS.

INDEX

VOCABULORUM OMNIUM,

QUÆ EXTANT

IN M. ACCII PLAUTI COMOEDIIS VIGINTI ET FRAGMENTIS.

Prior numerus, Actum; alter, Scenam; sequens vel sequentes, Versum vel Versus Scenæ denotant: syllabæ Prol. & Fragm. Prologos significant, & Fragmenta: & in his prior numerus partem Fragmentorum, alter Versum notat, Lineolæ Versuum numeris subjectæ, eos à sequentibus Versuum numeris distingunt.

A.

A. *Personæ Amph. Prol.* 25 | 64 | 4: 2. 12| *Asin.* 1: 3. 48| *Aul.* 2:9.5|4: 7.6|4:*Capt.*2. 92| *Curc.* 1: 1. 68| 1: 3. 45 | 2: 1. 34| 4: 3. 10 | *Cas.* 2: 3. 51| 2: 5. 3| 3: 5. 49| *Epid.* 1: 2. 40| 2: 2. 70| *Most.* 2: 1. 14| 5: 2. 48 | *Menæch.*2: 2. 16| 5: 7. 55 | *Mil.* 4: 1. 11| 4: 5. 1 | *Pers.* 1: 1. 40| 1: 1. 42| 4: 3. 8|*Rud. Prol.* 25| 26| 2: 4. 17| 2: 6. 71| 3: 6. 23| *Stic.* 1: 2. 23| *Trin.* 2: 4. 2 | 2: 4. 18 | 4: 2. 122| 4: 2. 127 | 5: 2. 22| *Truc.* 1: 2. 42 | 2: 4. 23| *Fragm.* 1: 142 |

a. loci. Amph. Prol. 48| 149| 1: 1. 10| 1: 1. 40| 1: 1. 113| 1: 1. 171 | 1: 1. 184 | 1: 2. 2| 1: 2. 5| 1: 3. 25| 2: 1. 32| 2: 1. 55| 2: 1. 59| 2: 2. 9 | 2: 2. 219| 2: 2. 227| 3: 3. 12| *Asin.* 1: 1. 44 | 1: 3. 2| 3: 3. 17| 3: 3. 110 | *Aul.* 2: 3. 6 | 2: 6. 7 | 3: 4. 14 | 3: 6. 35| 5: 1. 22| *Capt.* 2: 1. 12| 2: 2. 21| 2: 3. 55 | 2: 3. 89| 2: 3. 90| 2: 3. 93 | 3: 3. 2| 3: 4. 19 | 3: 4. 75| 4: 2. 24 | 4: 2. 89| 4: 2. 118| 5: 1. 28| *Curc.* 1: 2. 24 | 1: 3. 30| 2: 2. 11 | 2: 3. 69 | 3: 3. 5| 4: 4. 25| *Cas.* 2: 7. 12 | 2: 8. 23| 3: 4. 1 | 3: 6. 10| 4: 4. 10| *Cist.* 1: 1. 8| 1: 2. 20| 1: 2. 21 | 1: 2. 27 | 4: 2. 70 | *Epid.* 1: 1. 25| 1: 1. 72| 2: 2. 22 | 2: 2. 66 | 5: 2. 8| *Bacch.* 1: 2. 31 | 1: 2. 40 | 2: 3. 70 | 2: 3. 108 | 3: 1. 5 | 3: 3. 19| 3: 3. 76 | 3: 5. 3 | 4: 4. 106 | 4: 9. 83 | 4: 9. 107 | 5: 2. 5 | 5: 2. 20| 5: 2. 57 | 5: 2. 84 | *Most.* 1: 2. 50 | 1: 2. 60 | 2: 1. 16 | 2: 1. 83 | 2: 2. 2 | 2: 2. 6| 2: 2. 54| 3: 2. 27 | 3: 2. 158| 3: 2. 169 | 4: 3. 6 | 4: 3. 19| 4: 3. 20 | 5: 2. 6| *Menæch. Prol.* 31| 1: 2. 24| 1: 2. 48| 5: 1. 23 | 5: 2. 79 | 5: 7. 55 | 5: 9. 56 | *Mil.* 2: 1. 76 | 2: 2. 5 | 2: 3. 68| 2: 5. 68| 2: 6. 44 | 2: 6. 95 | 3: 1. 13 | 3: 1. 13 | 3: 1. 205 | 3: 2. 44 | 3: 3. 45 *bis* | 3: 3. 59 | 4: 1. 11 | 4: 1. 12 *bis* | 4: 1. 32| 4: 2. 92| 4: 4. 15 | 4: 6. 62| 4: 7. 5| 4: 7. 16| 4: 8. 3| 4: 8. 11 | 5: 2. 9 | *Merc. Prol.* 108| 1: 49 | 1: 1. 10| 3: 4. 9| 4: 1. 1| 4: 2. 8| 5: 2. 53| *Pseud.* 1: 1. 93| 1: 1. 126 | 1: 2. 30| 1: 2. 69 | 1: 3. 62 | 1: 5. 71| 1: 5. 85 | 1: 5. 89 | 1: 5. 94 | 1: 5. 96| 2: 2. 23| 2: 2. 52 | 2: 4. 27| 2: 4. 40 | 2: 4. 45| 3: 1. 10 | 3: 2. 108 | 3: 2. 112| 4: 1. 17| 4: 2. 26 | 4: 3. 11| 4: 5. 4 | 4: 7. 20 | 4: 7. 44 | 4: 7. 56 | 4: 7. 66| 4: 7. 97 | 4: 7. 126 | *Pœn. Prol.* 65 | 86 | 1: 2. 151| 3: 3. 77 | 3: 3. 78 | 4: 2. 107| 5: 2. 132 | *Pers.* 1: 3. 10 | 1: 3. 83 | 2: 5. 162| 3: 3. 18 | 3: 3. 30| 3: 3. 37|

4 : 3. 22 | 4 : 3. 28 | 4 : 3. 61 | 4 : 4. 54 | *Rud.* 1 : 2. 11 | 1 : 5. 1 | 1 : 5. 22 | 2 : 4. 20 | 2 : 6. 34 | 3 : 5. 53 | 4 : 3. 29 | 4 : 4. 56 | 4 : 4. 146 | 5 : 1. 3 | *Stich.* 1 : 2. 91 | 2 : 1. 23 | 2 : 1. 24 | 2 : 2. 14 | 3 : 2. 3 | 4 : 1. 18 | 5 : 1. 7 | *Trinum.* 2 : 4. 112 | 2 : 4. 136 | 2 : 4. 137 | 3 : 2. 13 | 3 : 2. 54 | 3 : 3. 13 | 3 : 3. 41 | 3 : 3. 45 | 3 : 3. 48 | 3 : 3. 55 | 4 : 2. 16 | 4 : 3. 26 | 5 : 2. 20 | *Trucul.* 1 : 2. 59 | 2 : 6. 44 | 2 : 7. 59 | 4 : 2. 47 | 4 : 3. 71 | 4 : 4. 23 | *Fragm.* 3 : 4. 2 | 3 : 5. 1 | 3 : 6. 2 |

à. *distantiæ*, *Pseud.* 2 : 2. 3 | 4 : 1. 106 | 4 : 2. 5 | *Pers.* 4 : 4. 54 | *Trin.* 4 : 2. 43 |

à. *numeri*, *Pseud.* 3 : 1. 10 |

à. *ordinis*, *Pers.* 5 : 1. 19 | *Rud.* 2. 6. 55 |

à. *similitudinis*, *Truc.* 3 : 1. 12 | 3 : 2. 18 |

à. *Temporis*, *Amph.* 1 : 1. 97 | *Capt.* 3 : 4. 12 | 3 : 4. 13 | 3 : 4. 92 | 3 : 4. 112 | 5 : 3. 14 | *Cas.* Prol. 4 | *Most.* 3 : 1. 3 | 3 : 2. 80 | 3 : 2. 137 | *Mil.* 2 : 6. 23 | *Merc.* Prol. 89 | *Pseud.* 2 : 4. 48 | 4 : 2. 14 | *Pœn.* 3 : 3. 37 | *Stich.* 1 : 3. 21 | *Truc.* 2 : 4. 24 |

à. *Causa*, *Amph.* 1 : 1. 262 | 3 : 2. 2 | *Asin.* 1 : 1. 52 | 2 : 3. 7 | *Aul.* 2 : 2. 16 | 2 : 2. 28 | *Curc.* 1 : 1. 73 | *Cas.* 2 : 6. 42 | 5 : 1. 8 | *Cist.* 1 : 1. 13 | *Bacch.* 2 : 3. 61 | 4 : 4. 106 | *Most.* 4 : 1. 6 | *Mil.* 2 : 6. 78 | 3 : 3. 58 | *Merc.* Prol. 64 | 68 | *Pœn.* 3 : 6. 10 | 4 : 2. 62 | 5 : 4. 13 | *Pers.* 5 : 1. 14 | *Rud.* 1 : 5. 28 | *Trinum.* 1 : 2. 145 | 2 : 4. 70 |

à. *quantum ad. Aul.* 2 : 2. 9 | *Curc.* 1 : 1. 51 | *Epid.* 1 : 2. 26 | 2 : 1. 30 |

à. *punicum. Pœn.* 5 : 1. 12 |

ab. *Causa*, *Prol.* 12 | 34 | 35 | *Capt.* 2 : 2. 29 | *Bacch.* 4 : 9. 39 | *Menæch.* 5 : 6, 8 | 5 : 7. 22 | *Mil.* 4 : 5. 3 | *Pseud.* 2 : 2. 1 | *Pœn.* 5 : 4, 10 | *Pers.* 5 : 1. 21 | *Trin.* 2 : 1. 15 |

ab. *Personæ*, *Amph.* Prol. 36 | *Capt.* 3 : 5. 63 | *Curc.* 1 : 1. 65 | 2 : 2. 20 | *Cas.* 2 : 3. 52 | *Bacch.* 4 : 7. 4 | 4. 9. 39 | *Mil.* 4 : 2. 70 | *Pseud.* 4 : 2. 54 | *Truc.* Prol. 14 |

ab. *loci*, *Amph.* Prol. 140 | 150 | 1 : 1. 89 | 2 : 2. 163 | 2 : 2. 224 | 3 : 2. 46 | 3 : 3. 23 | 5 : 1. 26 | *Asin.* 1 : 1. 106 | 1 : 3. 11 | 2 : 1. 13 | 2 : 1. 12 | 2 : 2. 95 | 2 : 4. 18 | 3 : 3. 13 | 3 : 3. 14 | 3 : 3. 83 | *Aul.* 1 : 1. 7 | 1 : 2. 27 | 3 : 3. 11 | 4 : 3. 1 | 4 : 4. 33 | 4 : 10. 45 | *Capt.* 2 : 1. 20 | 3 : 1. 10 | 3 : 1. 27 | 3 : 4. 19 *bis* | *Curc.* 2 : 3. 57 | 2 : 3. 70 | 3 : 3. 8 | 3 : 8. 2 | 4 : 2. 8 | 5 : 2. 16 | 5 : 2. 20 | *Cas.* 2 : 4. 23 | 3 : 5. 44 | 3 : 5. 6 | *Cist.* 2 : 3. 7 | 2 : 3. 10 | 2 : 3. 85 | 3 : 10 | 4 : 1. 6 | 4 : 1. 7 | *Epid.* 1 : 1. 45 | 1 : 1. 51 | 1 : 1. 56 | 1 : 1. 83 | 2 : 2. 9 | 2 : 2. 54 | 2 : 2. 67 | 2 : 2. 69 *bis* | 2 : 2. 104 | 2 : 3. 14 | 3 : 1. 11 | 3 : 1. 13 | 5 : 1. *Bacch.* 1 : 2. 9 | 1 : 2. 32 | 2 : 2. 10 | 2 : 2. 19 | 2 : 3. 16 | 2 : 3. 92 | 2 : 3. 105 | 3 : 6. 10 | 4 : 2. 11 | 4 : 2. 13 | 4 : 4. 35 | 4 : 4. 87 | 4 : 6. 7 | 4 : 6. 22 | 4 : 9. 7 | 4 : 9. 13 | 4 : 9. 108 | 5 : 2. 58 | *Most.* 1 : 1. 7 | 1 : 1. 8 | 2 : 1. 43 | 2 : 2. 29 | 3 : 2. 76 | 3 : 2. 138 | 3 : 3. 14 | *Menæch. Prol.* 64 | 1 : 2. 18 | 1 : 2. 25 | 1 : 2. 49 | 1 : 2. 66 | 1 : 3. 17 | 2 : 2. 52 | 2 : 3. 42 | 3 : 3. 29 | 4 : 2. 108 | 5 : 2. 33 | 5 : 2. 63 | 5 : 2. 81 | 5 : 2. 83 | 5 : 2. 84 | 5 : 3. 8 | 5 : 6. 8 | 5 : 7. 22 | *Mil.* 2 : 1. 19 | 3 : 2. 55 | 3 : 3. 65 | 4 : 1. 16 | 4 : 1. 23 | 4 : 2. 55 | 4 : 2. 56 | 4 : 2. 57 | 4 : 2. 58 | 4 : 4. 10 | 4 : 5. 3 | 4 : 6. 17 | *Merc. Prol.* 55 | 2 : 1. 19 | 2 : 1. 25 | 2 : 3. 22 | 5 : 1. 8 | *Pseud.* 1 : 2. 44 | 1 : 3. 64 | 1 : 5. 112 | 2 : 2. 22 | 2 : 4. 64 | 4 : 6. 25 | 4 : 6. 26 | 4 : 7. 67 | 4 : 7. 129 | 5 : 1. 36 | *Pœn.* 1 : 2. 8 | 1 : 2. 131 | 1 : 2. 193 | 3 : 3. 4 | 3 : 5. 41 | 4 : 2. 25 | *Pers.* 1 : 3. 71 | 1 : 3. 84 | 2 : 5. 25 | 4 : 1. 13 | 4 : 5. 4 | 5 : 1. 21 | *Rud. Prol.* 59 | 1 : 2. 76 | 2 : 3. 39 | 2 : 5. 21 | 3 : 2. 18 | 3 : 3. 7 | 3 : 3. 10 | 4 : 3. 100 | 5 : 3. 27 | *Stich.* 1 : 1. 17 | 1 : 2. 23 | 1 : 3. 99 | *Trin.* 1 : 2. 42 | 1 : 2. 180 | 2 : 1. 11 | 2 : 2. 90 | 2 : 2. 95 | 3 : 1. 13 | 3 : 2. 53 | 3 : 3. 29 | 3 : 3. 30 | 3 : 3. 54 | 4 : 2. 7 | 4 : 2. 57 | 4 : 2. 124 | 4 : 2. 125 | 4 : 2. 141 | 4 : 2. 147 | 4 : 3. 5 | 4 : 3. 12 | *Truc. Prol.* 19 | 1 : 1. 26 | 1 : 1. 28 | 2 : 4. 65 | 2 : 5. 24 | 2 : 7. 25 | 4 : 3. 17 | 4 : 3. 59 | 4 : 3. 76 | *Fragm.* 1 : 2 | 1 : 11 | 3 : 44 |

ab. *ordinis*, *Asin.* 5 : 3. 41 | *Aul.* 2 : 2. 58 | 2 : 2. 72 | *Most.* 1 : 4. 33 | 3 : 2. 138 | *Trin.* 1 : 2. 180 |

ab. *contra*, *Capt.* 2 : 2. 88 |

ab. *distantiæ*, *Epid.* 5 : 1. 17 | 5 : 2. 16 | *Merc.* 2 : 4. 9 | *Rud. Prol.* 76 |

ab. *quantum ad. Cist.* 1 : 1. 62 *ter* | *Epid.* 1 : 2. 26 |

ab. *Temp. Most.* 3 : 2. 80 | *Mil.* 4 : 2. 87 | *Pœn.* 1 : 2. 8 | *Trinum.* 2 : 2. 30 | 2 : 2. 24 |

abalienare. *Trin.* 2 : 4. 112 |

abalienatier. *Miles.* 4 : 8. 11 | *Merc.* 2 : 3. 129 | *Trin.* 2 : 4. 56 |

abalienatit. *Asin.* 4 : 1. 20 |

